SYNTAGMATIS MUSICI
TOMUS PRIMUS

Complectens

DUAS PARTES:

quarum

PRIMA agit

DE MUSICA SACRA VEL ECCLESIASTICA,

Religionis exercitio accommodatâ:

&

QUATUOR MEMBRIS

comprehensa.

I. Διάνοια, ſive Diſcurſus de Muſica Chorali & veterum Pſalmodia.

II. Ὑπομνήματα ſive Commentarij de Miſſodia vel Leturgia ſumma.

III. Ἐξήγησις ſive Explicatio Matutinæ & veſpertinæ Leturgodiæ: cum alijs annexis.

IV. Θεωρία ſive Contemplatio Muſicæ Inſtrumentalis Eccleſiaſticæ, cùm in Veteris, tùm Novi Teſtamenti Eccleſiâ uſitatæ.

AUCTORE

MICHAELE PRÆTORIO C.

WITTEBERGÆ.

E Typographéo JOHANNIS RICHTERI, Anno 1615.

Reverendiſsimis, Illuſtriſsimis, Reverendis, Nobiliſsimis, Excellentiſsimis, Clariſsimis, Doctiſsimisq;

D. D.

EPISCOPIS, ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, CANONICIS, DOCTORIBUS, & Eccleſiarum Inſpectoribus

in

SAXONICO, BRANDEBURGICO, MAGDEBURGICO, HALBERSTADENSI, BRUNSVICENSI,

Archi--Electoratu & Epiſcopatu, Ducatu:

LEITURGIÆ SACRÆ

XYSTARCHIS,

Dominis Patronis & Fautoribus ſuis colendis

Hanc ſacram Syntagmatis Muſici partem

In Eccleſiaſticæ Dignitatis Honorem

Dedicat & conſecrat

cum Sal. Pl.

Michaël Prætorius C.

REVERENDISSIMI, ILLUSTRISSIMI, REVERENDI, NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI, CLARISSIMI, DOCTISSIMIQVE D. D. EPIscopi, Abbates, Patres, Præpositi, Canonici, Doctores, & Ecclesiarum Inspectores, Domini Patroni & fautores colendi.

DVO Reverendissima Celsitudo, Reverendaq; Reverentia Vestra mecum fatebitur requiri ad integram absolutamq; Lyturgiæ divinæ, in publicis Ecclesiæ congressibus administrandæ, perfectionem *exercitia*; *Concionem* videlicet & *Cantionem*; quarum conjunctionem consecravit sanctionis mystica dignitas, frequẽtavit intentionis dogmatica utilitas, redintegravit functionis paradigmatica sedulitas.

Et certè genuinæ divini cultus exercitationi destinat ac devovet hominem ultimus & summus finis, quem ipse cum beatis Angelis habet communem. Si enim actionem spectamus, *duplex* est *finis Hominis*: nempe *Veritatis inquisitio* a-

gnitio-

gnitioque; & *Virtutis electio.* At cùm summa Veritas sit Noticia Dei, & summa Virtus sit Deum vero cultu celebrare: Sequitur, quod finis Hominis sit Agnitio Dei & ejusdem celebratio, quarum illa potissimum per sacras Conciones; hæc per Cantiones in Ecclesia accipitur & redditur.

Ad hunc itaque finem geminum humanum genus ante lapsum in *ἐυταξίᾳ* conditum est; ad hunc post lapsum in Gratia reparatum est; ad hunc denique post vitam mortalem in Gloria resuscitandum, & Angelorum consortio immortali associandum est, ut *Homo* in omni statu Bonitatis suæ, divinitùs communicatæ, nihil aliud sit, quàm *Templum Dei*, sacrosanctum Triados numen celebrans. Et huc non sine divino instinctu spectant symbolica cultús Paradisiaci, ritûs Levitici, & visûs Prophetici mysteria, quæ Exercitationum Leiturgicarum constitutionem ad oculos & aures numero definijsse, & ad manus uno complexu exhibuisse, quis est, qui non, vel nemine admonente intelligat.

Prima Ecclesia, ex Adamo & Eva in Paradiso conflatæ, ad cultus Leiturgicos *propositum* & appositum erat *Arborum duarum Sacramentum*: *Unum* erat Probationis, scilicet *Arbor scientiæ boni & mali*; sub qua instituenda fuerat theoria & meditatio discretionis inter bonum expetendum; & malum fugiendum, à Creatore insitæ: *Alterum* erat *Arbor vitæ*, sub qua colenda fuisset homini, in errorem non prolapso, practica celebratio Immortalitatis, & in terrestri & cœlesti Paradiso cum Angelis æternùm decantandæ, *Genes.* 2.

Atque non obscurè, imò multiformis adumbrationis lu-

ce de colore, inter alios ritus Leviticos & Sacerdotis ornatus, illuſtravit duo Leturgiæ officia illud Summi Pontificis pectorale *Ephod*, quod non ſolum auro & gemmis, pro numero tribuum, ſed etiam duabus illuſtribus notis inſignitum & diſtinctum fuit: URIM & THUMIM, quod LXXII. *Interpretes* interpretantur *δείλωσιν καὶ ἀλήθειαν*, Perſpicuitatem & Veritatem: *Chaldæus* ſervavit *ἀνερμηνεύτους*: *Hebraicè* URIM Lumina ſive Claritatem, THUMIM Perfectionem ſive Integritatem: *Lutherus* vertit, das Liecht vnnd das Recht/ *Exod.* 28.

Quemadmodum enim congruit Concioni perſpicua oratio ad auditorũ mentes, in myſteriorum cognitione illuminanda: *Ita* convenit certè Cantioni veriſsima Deo debitæ laudis confeſsio, in fidei perfectionem non alij, niſi Deo, innixæ, qui pro ratione juſtitiæ, ſuum cuique tribuentis, ſibi ſoli propriam vendicat, & ab Eccleſia exigit Invocationis & Gratiarum actionis gloriam. Quam, ubi priùs concione per luce S Sancti intùs illuminata fuerit Ratio, *λόγος ὁ ἔσω*, pòſt, radiorum inſtar exſerit & diffundit in Sanctuario publico Cantionis oratio, *λόγος ὁ ἔξω*: ut hoc modo *τὸ λογεῖον τῶν* URIM & THUMIM, cui pectorale Chriſtiani *χριστοφόρου*, quem geſtat in fide profectum, & quam illa ſcilicet fides in divinæ voluntatis & juris cœleſtis oraculis perfecta ſit, publica religione profiteri geſtiat.

Et *quemadmodum* URIM & THUMIM à ſummo Sacerdote in *λογείῳ* conjunctа geſtabantur: *ſic* quibus ſumma creditur Eccleſiarum inſpectio, cavendum omnino, ne alter-

utra, aut Concio, aut Cantio, in Rationali Leiturgiæ publicæ Ecclesiastico divellatur aut separetur unquam; ut *velut* in utroq; sinu pectoris pectorale incumbit integrum: *ita* leiturgia duobus, concionandi videlicet & cantandi, officijs perfecta & absoluta consistat. Nam URIM significat splendorem mentis sive Rationis, lucemq; ad cogitandum & perspiciendum: THUMIM verò harmonicā orationis sive cantionis perfectionem, ad integrè incorrupteque laudandum. *Utq;* puro auro, gemmis pretiosis, & notis sacratissimis illustre fuit *λογεῖον*: *sic* nullis humani sophismatis inquinamentis mixta, sed sinceræ fidei integritate, docendi canendiq; leiturgia constat perfecta & suis numeris absoluta.

Per URIM & THUMIM, velut perfectas absolutæ sapientiæ vias, petita oracula in sacris literis memorantur: *sic* certè summa & infinita Bonitas & Sapientia Dei per leiturgicas exercitationes imploratur, donec exauditione benigna, & benedictione gratuita cœlitus respondeat.

Abjathar, Achimelechi filius, Davidis exilij individuus comes & socius, Davidem ex Ephodo monuit, ut Ceila discederet, quoniam Ceilani eum Saulo essent dedituri, 1.*Reg*.23. *Sic* URIM & THUMIM, hoc est, leiturgicæ Concionis & Cantionis devotio fidelis & devota fidelitas in pijs Ecclesiæ ministris nos miseros, in hujus vitæ exilio circumvagantes, adversùs persecutionem Tyrannorum, prudentiâ præmunit, & præmonet cautè & tutò, ne quando infidelium & hæreticorum fraude circumventi, Satanæ ad excidium & exitium animæ tradamur.

Rursus

Rursus cum Amalechitæ Siceleg urbem diripuissent, & ingentem prædam multo ante abduxissent, Ephodi oraculo jussus David cum 600. viris eos persecutus cecidit, prædamq; recepit, 1. *Reg.* 30. *Ita* leturgia oraculis copiosos & validos hostes Ecclesiæ, numeri exigui fideles cum gloriosa victoria valent propulsare & persequi, donec opimis spolijs & thesauris pretiosissimis potiantur.

Et, quod *Suidas* testatur, Sacerdos Deum interrogaturus collecto Ephodo infernè manus supponebat, & in Ephod intuens rogabat Deum: quæ interrogatio si Deo placuisset, statim fulgurabat Adamas, emissisq; radijs lucebat; sin displicuisset, suo loco manebat. Ad eundem modum manus tactu, vultus gestu, fideiq; contuitu devotè ac intentè directa, ac observata Leturgia, Spiritus Sancti igne accensos motus edit efficacissimè, & per fidem placente persona, si non ad utilitatem, certè ad salutem Deus annuit, & respondet benigna exauditione.

Quia etiam *Adamas*, si populum Deus occidendum daturus erat, *sanguineq;*, sin peste afflicturus *niger* fiebat: convenit similiter Leturgiæ Conciones & Cantiones temporibus belli, pacis; & pestis accommodare, ad Dei gratiam impetrandam, & pœnas pœnitudine avertendas.

Denique consulenti Deum si non edebatur responsum, iræ divinæ fuit significatio: quamobrem Sauli, cum abjectus esset, 1. *Sam.* 28. nihil respōsum est, ut nec Prophetia & somno, ita neque per Urim & Thumim: *Sic* certè nulla fide & pœnitentia stipatam, sed impietate & hypocrisi administratam le-

turgiam Deus aversatur, ut indignatione justissima commotus hominem ad æternam reprobationem abjiciat, & vultum cum silentio abscondat.

Porrò cum *Concio* & *Cantio* unius fidei orthodoxo consensu ac harmoniá, ejusdem confessionis doctrinam de Christo, & per ejus sanguinem facta propitiatione; prædicet ac celebret: non inconveniens est hæc *duo Ecclesiastica Leiturgiæ crura adumbrare* in duabus, in porticu templi à Salomone erectis, & coronarum malogranatorumq; serie ornatis, *columnis æneis*; quarum dextra dicebatur *Jacchin* (hoc est, approbator sive stabilit aut stabiliet) sinistra *Booz* aut Bohaz (id est, in ipso virtus sive fortitudo) 1. *Reg*. 7. 2. *Prov*. 3. Quippe Ecclesiæ plus quàm aheneum columen & robur est concio & cantio, quo stabilitur regnum CHRISTI in homiliam & cõgregationem fidelium, qui, ceu grana, unius mali punici cortice conclusa, cum Prophetis & Apostolis una eademq; fide fideiq; confessione juncti pendent à Christi cruore, exspectantes coronam immarcessibilem. Nam, ut *Poëta* canit:

Fidere qui Christo novêre viriliter, illos
Illanguescenti fronde corona manet.

2. *Timoth*. 4. 1. *Petri* 5.

Præclarè insuper concionum & cantionum Administros notant, cùm isti duo Cherubim florentes *Exod*. 25. tùm duo Seraphim urentes, *Esa*. 6. quorum Illi mutuo contactu alarum, contuituq; in propitiatorium, quod Aaronis virgam, mannæ urnam, & Decalogi tabulas continebat, converso, referunt utriusq; Leiturgiæ cognationẽ & harmoniam omni-

bus Hierarchijs Christo conciliatis utilem & gratam: Hi verò, qui τρισάγιον tectis vultibus pedibusq;, advolatum accincti concinebant, denotant cùm modestam & humilem, tùm expeditam & officiosam Leiturgiã, quâ Trinunius adorandi confessio mystica ex consono docendi & canendi corde & ore celebretur gloriosissimè. Sic Angelo Domini, Nativitatem Christi in festivo fulgore docenti ac Evangelizanti, conjungit Musicam suavissimam glorificãs ille exercitus cœlestis, ut optima Concio & Cantio connexam & mutuam festo soleant solennitatem.

Denique quas Moses divino jussu paravit ad cœtum clangore sive taratantara convocandum, argenteæ tubæ duæ duplicia Leiturgiæ unanimis munia congruè indicant, *Num.* 10, *v.* 3. *&* 7. Etenim vocem, quam Concionatores & Cantores adinstar tubæ, cum harmonica concionum & cantionum consonãtia, & incorrupta sinceritate, extollunt, significat cum in usu Ecclesiastico ad concionem cogendam editus tubæ utriusque clangor simplex & æqualis, sive διάτονος, tum ex puro solido & ductili argento conflata materies.

Tot divinis Protypis, quibus Leiturgiæ duplicis conjunctionẽ sanctionis mystica dignitas consecravit, accedit porrò intentionis dogmatica utilitas, & cum hac conjuncta functionis paradigmatica sedulitas, qua Leiturgia subinde frequentata, celebrata & ad nostram usque Ecclesiam propagata est.

In Veteris Testamenti festis & solennitatibus celebre est Davidis, Salomonis aliorumque studium, ad exercendam

Leiturgiam, cum per *Levitas*, qui ſub ſacrificijs Meſsiam docebant, tùm per *Cantores*, qui viva & inſtrumentali cantione eundem Chriſtum celebrabant.

In Novo Teſtamento exſtat Apoſtoli ex tot Pſalmis petita, ad Leiturgiæ διδασκαλίαν καὶ νουθεσίαν exhortatio, *Eph.* 5. *Coloſſ.* 3. In primitiva Eccleſia poſt Apoſtolorum tempora obſervatione Leiturgiæ æmulâ exarſerunt Chriſtiani Imperatores, Reges, Epiſcopi, Patres, Doctoresq; Eccleſiarum.

Leiturgiæ cultu nomen obtinuerunt immortale *Theodoſius*, *Conſtantinus*, *Pipinus*, *Carolus Magnus*, *Ludovicus* &c. qui Leiturgijs in honorem Majeſtatis divinæ vacantes, ſeſe choris pſallentium junxerunt cum devotione intima. Ex quibus *CONSTANTINUS* ille *MAGNUS* piè & graviter pronunciabat, ad ſe ſpectare curam cùm Religionis, tùm Religionis, cum Regni, tùm Eccleſiæ: cujus non intra eam, ut Sacerdotes, ſed extra eam à Deo conſtitutus eſſet Epiſcopus: *LUDOVICUS III.* Dux Bavariæ dicere ſolitus eſt: *Malo in templo concinere, quàm precularū murmure, quas nullus Superûm, ne Ego quidem intelligo. Divùm aures obtūdere, & Deum ad iracundiā invitare.* (*H. Henningus* in Geneal.) Quo nomine laudem meriti ſunt inſignem *Flacianus*, *Diodorus*, *Damaſus*, *Ambroſius*, *Gregorius*, *Vitalianus* alijq; plures; quorum pietas in Leiturgiæ cantu inſtituendo & confirmãdo, cùm ex præfationibus meæ Leiturgodiæ (nimirum Miſſodiæ, Hymnodiæ, Megalynodiæ & Evlogodiæ) tùm ex Syntagmatis Muſici Eccleſiaſtica hac parte paſsim & ſparſim occurret cognoſcenda,

memorari quippe dignissima; cum inde per manus traditam Leturgiam Ecclesiæ nostræ, deposita instar pretiosi, acceperint, & conservarint fidissimè.

Atqui reperiuntur, qui Leturgiæ officia infringere & tollere summè elaborant, cùm eorum ferat opinio, *anniversarias Dominicarum Lectiones & cantiones* ex Papatu originem duxisse primam; quas tamen vetustissima consuetudine, & quidem *longo ante Pontificios abusus tempore, receptas* attestatur Ecclesiæ historia.

Sunt, qui tradunt Lectionum Ecclesiasticarum exercitia, imperante Carolo M. primùm esse instituta, & Ecclesiæ ad seriam observationem demandata, instinctu & operâ doctissimorum virorum, Pauli Aquilegiensis Diaconi, & Alcuini Abbatis Torunensis, venerabilis Bedæ quondam auditoris, circa annum à Christo nato 800. At idipsum verisimile non fit ex multò vetustiori hujus instituti calculo. Siquidem ex Scriptis Patrum, qui ætatem Caroli M. præcesserunt, liquidò constat in certa tempora jamdudum divisas fuisse lectiones & historias.

Vide quæso ejus rei gratiâ Orationes *Ambrosij* tomo 3. qui vixit circa annum CHRISTI 400. *Chrysostomi* tomo 2. & 3. qui circa annum Christi 405. floruit: *Leonis I.* tomo 1. qui anno 440. ad Episcopatum Ecclesiæ Romanæ evectus fuit: *Augustini* tomo 10, qui anno 430. Ecclesiæ Hipponensi in Africa præfuit: *Gregorij Magni* orationes 40. super Evangel. qui anno 590. Romæ Episcopus fuit: & *Bedæ* denique

oratio-

& *Bedæ* deniq; orationes 98. ſuper eadem, qui anno 732. in Anglia defunctus eſt. Reperies inde, ipſos, quæ tempori certo deſtinata legimus, Evangelia legiſſe olim eadem.

Fidem itaque meretur, quod *Guilelmus Durandus* ſcribit *lib.5. Rational. divinor. cap. de completorio*, quod Imp. Theodoſius è Damaſo Epiſcopo Romanenſi efflagitaverit, ut per doctum & orthodoxum quēdam certas lectiones, precationes, ſive Collectas & Cantiones, ſingulis diebus feſtis & Dominicis convenientes, conſtitueret. Damaſum itaque, addit, hunc laborem docto & linguarum peritiſsimo, Hieronymo, tunc Bethlehemi ad cunas Chriſti habitanti, demandaſſe circiter Annum Chriſti 440. Is labore hoc recepto & effecto, ut poſtulationi piæ ſatisfieret, ſeriem textus, ordine certo diſtinctā, per anni circum contexuit, quæ pòſt Eccleſiarum leturgijs publicis eſt injuncta.

Quid verò? conceſſo etiam, in Papatu Leturgicas lectiones & cantiones fuiſſe conquiſitas, congeſtas & uſurpari cœptas: an hoc nomine eas neceſſariò contemnendas & abrogandas eſſe ſanus quis putet? Equidem non is ero, qui partes Pontificiorum defendam; ſed mecum optimos quosq; arbitror in *Auguſtini* ſententiam facilè deſcenſuros, qui *lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap.* 18. rectè affirmat: *Quisquis bonus verusq; Chriſtianus eſt, Domini ſui eſſe intelligat, ubicunq; inveniat veritatem.* Et *Epiſt.* 28. *A quocunq; verum dicitur, illo donante dicitur, qui eſt ipſa veritas.*

Atque hîc locum habet, quod jura adſtruunt. *Conſuetudinem, quà Religioni convenit, quà diſciplinæ congruit, quà ſaluti*

proficit, pro Lege esse habendam. C. *Consuetudo distinct.3.* Et congruit huc assertio *Augustini* epist.119. cap.18. *Quæ enim non sunt contra fidem, neq; contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunq; institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur.*

Quid quòd *Leiturgia* Ecclesiarum reformatarum planè *consona* sit *canoni Apostolorum*? cum quibus ea cognationem habet, *doctrinæ consanguinitate*, ut *Tertullianus* loquitur *lib. 1. de præscript. advers. Hæretic.* cum retineat traducem fidei & semina doctrinæ, ab Apostolis traditæ.

Quanquam negari non potest, *monachos*, leiturgiam in ludicrum & scenicum actum pervertentes, *sacra officia*, Missæ abominabilis blasphemia, profanasse olim hodieq; profanare, & superstitionis ac idololatriæ inquinamentis conspurcare, adeoque leiturgicâ melodiâ, velut incantatione, aures ideo opplere, ut tetris corruptelis & crassis erroribus de Missæ sacrificio & Sanctorum invocatione animos fascinent: tamen constat à superstitioso vanoq; cultu per Dei gratiam vindicatos cantus, & in leiturgijs reformatis ad Dei venerationem religiosam & veram rectissimè translatos esse; non aliter ac spolia Ægyptiorum, quibus illi fuerant abusi, in veriorem Sanctuarij usum conferre didicerant Israëlitæ. Ad quem modum legitur *Harmonius Syrus*, magni illius Ephraimi discipulus, patrias voces, legitimis modis, Musisq; numeris inclusas,

ordine circulari cani instituisse, ut paternam hæresin lyricis modulis aspergeret: quibus multi ex Syris, propter verborum venustatem, & sonorum numeros demulsi, paulatim opinionibus Bardesanæ Patris recipiendis sunt assuefacti. Qua re cognita, D. Ephraim Harmonij numeros moderatus est, atque ejusmodi modulis carminibus Ecclesiasticæ sententiæ consonis adjectis, Syris canenda dedit. A quo tempore huc usque Syri psallentes, non quidem carminibus ipsis, sicuti sunt ab Harmonio prodita, sed sonis tantum eorum, utuntur, quoties Deum inprimis celebrant.

Atqui omnis, qui æquo animo attendet, fatebitur, ut Concionum, sic Cantionum, in nostris Ecclesijs receptarum, *Leuturgiam* esse puræ & incontaminatæ Confessionis, *unicè in Sacrosanctæ Trinitatis gloriam*, ejusque operum ac meritorum laudes *conditam*. Nullus hîc locus est celebrationi Pontificiæ, quæ, cùm superstitione & idolomania scateat, dudum impugnata est, & nostris eliminata Ecclesijs. Quæ nostris à primitiva recepta est Ecclesijs Cantio in psalmodijs Responsorijs, Hymnis, Antiphonis &c. nihil sonat, nisi quod concionum Propheticarum & Apostolicarum veritati consonat, quod fidei canoni analogum est, quod cum sacra Scriptura ad amussim congruit, quodque ab ea minimè discrepat. Quicquid hîc voce & organis canitur, gratam de Deo famam spargit, Religionis Christianæ sinceritatem confitendo spirat, & verissimum *Deo* cultum supplicando & glorificando præstat.

Illam itaque cùm concionis, tum cantionis leiturgiam primævæ pietatis propagine derivatam Ecclesiæ repurgatæ in templis & choris εὐτάκτως, καὶ εὐσχημόνως retinent ac frequentant cùm voce, tùm organo, festiva congregationis sacræ gaudia ritè suscitandi, & anniversariam solennitatem religiosè celebrandi gratiâ. Ῥῆμα γάρ ἐστι θεοῦ καὶ ἐνθυμούμενον, καὶ ᾀδόμενον, καὶ ἀνακρουόμενον, Verbum enim Dei est sive mente cogitetur, sive canatur, sive pulsu edatur, *Justinus Martyr in quæstionibus ad orthodoxos*, pronunciat; Id quod quisque λειτουργόφιλος θεοφιλέστατος suffragio irrefragabili comprobet necessum est.

Equidem istam Leiturgicæ sanctionis dignitatem, intentionis utilitatem, functionis sedulitatem accuratè dimetiens, quid mearum partium esset, quidq; suppeteret, quod Leiturgiæ *CONCIONI*, & *CANTIONI* in Ecclesiæ ac Scholarum emolumentum, pro talento divinitùs mihi concesso, conferrem, sollicitè cogitare cœpi. Monente itaque me officio, quo ad Dei & Magistratus clementissimi nutum benignum, in Illustri aula Ducis Brunsvicens. perfungor, non modò Germanicos tum *LUTHERI* tum aliorum Hymnos per Musas Sionias ad choris Melodiæ canonem harmonicè concinnavi, (quæ tamen ipsæ Primitiæ, mihi hoc quidem temporis per omnia non probantur: Ideoq; eas de integro recognitas & accuratiùs emendatas, *DEO* me benè juvante, iterum aliquando prælo subjicere constitutum habeo) verum etiam universæ Leiturgiæ anniversariæ Cantiones Latinas ex chorali διαγραφῇ sive præscripto, Harmonicis vocum nu-

meris aſtrictas, ad Chori, Organi aliorumq; Inſtrumentorum concentus, Motectarum inſtar accommodare & per *σωματοποιΐαν* in unum faſciculum colligere incepi. Iſtarum in Leiturgijs uſitatarum Cantionum diſtinctionem ſub Titulo generali (videlicet Leiturgodiâ Sionia Latinâ edita Anno 1611.) Synopſis ſive Tabella; & in earundem compoſitione ſcopum & finem Autoris eidem Tabellæ ſubjecta obſervatio, commonſtravit: quam, etiam huic primo Tomo repetito ſubjicere, & quaſi Appendicis loco annectere, non ſupervacaneum putavi.

Quemadmodum autem in *Concionibus* ſacris turpe eſt, non cum Scriptura loqui, aut verbis ſanis, canoni congrius, non uti: Sic qui vult canere in templis, cum Eccleſiâ eum oportere canere, non incongruè dixero. Neq; enim in eorum numero Melopæorum haberi volo, qui Eccleſiæ aliquam navaturi operam, receptas in templis melodiæ choralis normas prorſus aſpernantur ſe ponuntq; ſuo unicè genio & ingenio indulgentes. Sua Eccleſiæ meritò conſtare debet & majeſtatica ſuavitas & ſuavis majeſtas. Huc itaq; totis connitor viribus, ut ſacros decantaturus hymnos, altero ſemper oculo uſurpatam ab Eccleſia choralem melodiam, altero vero meam ipſius qualemcunq; harmoniam reſpiciam. Quo ipſo conſilio, præter Muſas Sionias antehac editas, ſuperiori biennio, dum Dresdæ in aula Electorali Saxonica Muſico choro præfui, cantilenas Eccleſiaſticas non paucas tum Germanicas tum latinas in plures diffudi voces, ita quidem ut ipſam choralis (ceu vocant) modulationem, præſertim in

Germanicis attenderim non tantùm, ſed & diligenter excuſſerim, & in varios, partim mea ipſius, partim ab Italis modernis ſumpta inventione, vultus verſaverim. Has cantilenas in duos digeſsi Tomos, & horum alterum Germanicum nimirum vel hoc currente anno, ſi vitam & vires ſuffecerit Dominus, publici juris facere decrevi.

Ut autem Cantionum, Organi, aliorumq́; Inſtrumentorũ genera ad Leiturgiæ ritus Deo *gratos*, & ſocietati publicæ utiles, ſancita, atq; cùm in veteris tum in hodiernæ Eccleſiæ cætu uſurpata, piè commendarentur, dilucidarenturq́; non alienũ ab officio meo laborem ſuſcipi arbitratus ſum, ſi inprimis ejus rei ſtudio, ex veterum & recentiorum Eccleſiaſticorũ autorum lectione, Polyhiſtorum conſignatione, variarum linguarum notatione, hodierni ſeculi uſurpatione, ipſius deniq, Muſicæ artis obſervatione digeſtum conſtruerem Syntagma Muſicum.

In quatuor illud enatum Tomos, à Pietate exorditur Tomi primi Primam partem; in qua Muſicam Sacram ſeu Eccleſiaſticam, Religionis ſive Leiturgicæ exercitio ſervientem, (ſicuti ex Tabella & Indice generali operi præfixo, videre eſt) illuſtrant ſerie capitum diſtincta hæc quatuor membra:

Διάνοια, ſive Diſcurſus de Pſalmodia.
Ὑπομνήματα, ſive Commentarij de Miſſodia.
Ἐξήγησις, ſive Explicatio Matutinæ & veſpertinæ Leiturgodiæ.

Θεωρία, sive Contemplatio Instrumentalis Ecclesiasticæ Musicæ.

Hac pia Syntagmatis institutione fore confido, ut ingenia, ab usu artis seculari ad sacrum usum conversa, antiquam in cantilenis Ecclesiæ Majestatem, mysticam divinitatẽ & Spiritus plenam devotionem cum laudabili Religionis fructu suspicere & venerari incipiant. Spero inde λειτουργοφίλοις θεοφιλεστάτοις hoc Syntagmatis labore ita satisfactum iri, ut duntaxat Studij pij & promtæ erga Sacram Musicam voluntatis testinionium non prorsus sint denegaturi. Mihi nihil imprudenter arrogo: Gloriolam nullam aucupor; quam ne videar hac opera velle mereri, aut affectare, in opusculo passim & sparsim nominavi Patres & Historicos, ex quorum monumentis cum *Centuriarum Magdeburg*. Autoribus, cum *Petro Martyre, Stephano Szegedino, Salomone Gesnero, Christophoro Pelargo, Joachimo Garcæo, Guilielmo Perkinsô, Polydoro Virgilio, Guilielmo Durando, Theodore Zuingero* & compluribus alijs, hausi antiquitatem: atq; διάταξιν καὶ διακόσμησιν dispositionem ac ordinem hujus Musici Syntagmatis me concinnasse & extruxisse, non sine Opt. Amicorum adminiculo, qui, modò per valetudinem meam modò per aulica simul & domestica negocia impedito operi manus porrexerunt auxiliatrices, apertè fateor.

Intelligãt velim alij, quib. abũdãtior doctrina & locupletior

Bibliotheca est, calcar sibi additū Ecclesiasticæ Leiturgodiæ & Musicæ Organicæ antiquitatem dignitatemq́; fusiùs ornatiusq́; edisserendi: ut meam aliorumque φιλομȣ́σον Musicorum juvent φιλομάθειαν ac discendi cupiditatem. Id verò ubi eos suppudet aut tædet facere, caveant ne cum exprobratione de se dici queat, quod Ptolemæus Philadelphus rescripsit ad Judæos, cum ab ijs scripta characteribus Hebraicis impetrasset Biblia: θησαυρȣ̃ κεκρυμμένȣ καὶ πηγῆς ἐσφραγισμένης τίς ὠφέλεια ἐν ἀμφοτέροις; *Thesauri occulti & fontis obsignati, quæ est utilitas in utrisq;?* Idem enim apophtegma Siracides cùm imperante Ptolemæi Philadelphi filio Evergete, in Ægyptum venisset, accommodavit ad eos, qui studia sua, quibus possent alijs utiliter inservire, planè abdunt, ac tantum non seipsos etiamnūm vivi sepeliunt; quos ita affatur cap.20. ver.32:

Σοφία κεκρυμμένη καὶ θησαυρὸς ἀφανὴς τίς ὠφέλεια ἀμφοτέροις; *Sapientia absconsa & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisq;?* Quod in invidos aut ignavos, aut timidos nec satis cupidos utilia communicandi Musicos maximè quadrat; quos etiam huic consonum coarguit Græcorum proverbiū, quod Nero apud Suetonium lib.4. jactasse legitur:

Occultæ Musicæ nullum esse respectum. Ubi Casaubonus annotat Græcum Senarium fuisse:

Τῆς λανθανȣ́σης μȣσικῆς ȣ̓δεὶς λόγος.

Nullus latentis Musicæ respectus est.

Ovid: *Non erit ignotæ gratia magna Lyræ.*

Lucianus in Harmonide paulò aliter pronunciavit: ȣ̓δὲν ὄ-

φελ☉ ἀπορρήτȣ καὶ ἀφανȣ̃ς μȣσικῆς. Gellius lib.13. c. 10.vertit: *Egregiam Musicam, quæ sit abscondita, esse nullius rei.*

Nunc ut ad RRdſsmā & Illuſtriſs. VV.CC.atq; ad RRdam VV. DD. προσφώνησιν modeſtam ac humilem cum pace veſtra me convertam, hujus de Leturgia vocali & Organica Syntagmatis patrocinium & tutela neceſſariò flagitat.

Nam vos Eccleſiarum Antiſtides, & Patroni, adeoque in Templis & choris officij ſacri ſuperiores & ſummos curatores inſpectores & directores Ego, Chori miniſter humilis, veneror & agnoſco, quos meum alloquium non averſaturos eſſe, mihl pollicetur RR.CC. & DD. VV. inſignis pietas & Leturgiæ obſervantiſsima ſedulitas.

Quid enim Sedes & Ædes Cathedrales, quid Domus ſummæ, quid Templa collegiata, quid Cœnobia ſint, commonefaciunt RR. CC. & DD. VVræ Eccleſiaſtica munia & nomina cùm Epiſcoporum, Abbatum, Præpoſitorum tùm Decanorum, Cantorum &c. Indicant ea omnes animorum veſtrorum cogitationes, omnesq; vitæ actiones in hanc curam eſſe intentas & intendendas, ut Cathedra Religionis ſtabilita & immota conſiſtat, ut Domus Summa videlicet Pietatis, Prophetarum & Apoſtolorum fundamento innixa, hæreticorum ſubſtructione ne corruat, ut Collegia Pacem & Concordiam in doctrina & cultu orthodoxo conſocient ſolidè confirment, ut Chori & Templa ſint μελιτήρια, φροντιστήρια, σεμνεῖα, ἁγνευτήρια, ἀσκητήρια, quæ exercitijs Leturgicis Concionis & Cantionis devotè & religiosè intonent &

perſonent in Nominis diviniſsimi glorificationem & fidei ſalvificæ confeſsionem.

Vos fidos Eccleſiarum Gubernatores Deus exſuſcitavit ex Chryſoſtomi aureo ore (in Pſal.43.Joh.6.) Tubis ſimiles, quorum clangore muri Jericho corruerunt. Facit enim veſtra in obeũdo ſancto munere, ad quod vocati & evecti eſtis, Sedulitas, ne Eccleſiæ Romanæ doctrina, multis licèt potentum propugnaculis, ceu muris altiſsimis, circumvallata vigeat, ſed ut ſanctiſsimo illo clangore Evangelicæ Concionis & Cantionis everſis doctrinæ pontificiæ fulcimentis, tanquam muris Jerichunticis dirutis, Eccleſiæ Romanæ corruptelæ, abuſus erroresq́; jam omnium oculis pateant. Inenarrabile hoc Dei beneficium eſt, quòd in Saxonia & ſuperiori & inferiori, Barbariei Errorum & Religionis tenebris diſcuſsis, & pontificiæ ſervitutis jugo illo ferreo excuſſo, tot veſtras collegiatas Eccleſias in libertatem Chriſtianam feliciter aſſeruerit; in quibus meritò vos veræ ac ſinceræ Religionis aſſertores & vindices atq; Leiturgiæ Xyſtarchos ἐργοδιώκτας probatis conſtantiſsimos & munificẽtiſsimos. Nec enim tantum modò *Conſtantinum*, *Theodoſium*, *Flavianum* aliósq; exprimitis æmulâ Leiturgicæ functionis ſedulitate, verùm etiã erga Deum, & perſonas ac res ſacras magnifica libertatis propẽſione: atq; ut verbi divini interpretes fidiſsimos, Chriſtiq́; præcones diſertiſsimos, ita etiam Cantores, qui ſacras Leiturgodiæ vices præſtant, liberaliter fovetis & in magno habetis precio.

Vos itaq; Chriſtianæ Leiturgiæ obſtrictos & juratos propugnatores arbitror eſſe digniſsimos, quorũ Patrocinio tutò

creda-

credatur hoc Leiturgicũ Syntagmatis Musici opusculũ, quod eo maximè indiget his præsertim temporibus, in quibus cùm Concio tùm Cãtio Leiturgiæ tot undiq; habet infensissimos hostes, qui nihil non tentatum relinquũt, quò vel per violentos ἀμούσους concreditũ Leiturgiæ, inprimis Organicæ, thesaurum Ecclesiæ eripiant ac supprimant, vel per virulentos κακομούσους corrumpunt ac depravent, plenis superstitione errore concionibus obtrusis.

Et certè tot testimonijs de vestro erga Leiturgicos ministros affectu palàm editis, me quoq; in spem optimam de vestro mei Leiturgici Syntagmatis patrocinio & præsidio concipiendam adduxistis & invitastis.

Quamobrem erga tàm magnificos & fidissimos Leiturgodiæ Patronos grati animi mei indicium, cùm aliud dandi desit copia, pagellas hasce Syntagmatis Musici primarias & Leiturgicas, velut publicum gratæ prædicationis testimonium, in publico famæ theatro & fano suspendere, & simul eas vestræ tutelæ commendare, volui.

Quod ut cum pace vestra fiat, qua par est, animi submissione contendere non desino. Pro tàm eximio vestri præsidij & patrocinij officio & beneficio cùm nihil, nisi votum rependendum suppetat, omnium Moderatorem, Agonothetam Patrem, Xystarchum Filium & Epistaten Spiritũ S. precibus oro devotis, ut conatus, pro Religione & reb. sacris suscipiendos, feliciter secũdet, exercitia Religionis salva & integra conservet; utq; illius gratia & ductu, vos indefesso studio, infracta constãtia, & invicta pietate spaciũ vobis propositũ decurrẽtes,

Leturgicæ ſanctionis dignitatem propugnetis, intentionis utilitatem propagetis, functionis ſedulitatem Eccleſiæ per manus tradatis, atq; conjunctas Leturgicas cùm Concionis adversùs Pſallianos, Prodicianos Meſſalianos, tùm Cantionis adversùs ineptè murmurantes, vel hypocritico gutture boantes, & contra Organorum & Chororum vaſtatores & diſtructores, qua decet, officij fide, ſtrenuè aſtruatis.

Quod ratum firmumq; eſſe jubeat Religionis autor & auctor, dator & conſervator; Is RRſmam & Illuſtriſs. VV. CC. & RRdam VV. DD. in ſincera Religione conſtantē, in tranquilla pace florentem, in longæva felicitate vigentem, clementer tueatur, muniat, ac roboret in τϱισαγίȣ cultum glorioſum & Eccleſiæ augmentum ſalvificum, per *Christum Immanuelem Amen.*

Gvelferbyti Anno Chriſti

IVDICIVM Inſtans pIos non terreat:
eCCe VenIo CItò CItò; ô nVnC MI ChrIſte.

Mihi Patria Cœlum.

SYNTAGMA MUSICUM

ex

VETERUM

&

RECENTIORUM

Ecclesiasticorum autorum lectione,
Polyhistorûm consignatione,
Variarum linguarum notatione,
Hodierni seculi usurpatione,
ipsius denique
Musicæ artis observatione:

In

Cantorum, Organistarum, Organo
pœorum, cæterorumq; Musicam scientiam aman-
tium & tractantium gratiam collectum;

Et

Secundùm hunc generalem Indicem
toti Operi præfixum,

IN QUATUOR TOMOS DISTRIBUTUM,

à

Michaële Prætorio Creutzbergensi, Cœno-
bii Ringelheimensis Priori, & in aula Brun-
svicensi Chori Musici Magistro.

ANNO

IUDICIUM plos non terreat: nam
MIHI aDIVtor ChrIstVs.

TABELLA.

Syntagma Musicum *dividitur in* **Quatuor Tomos.**

- *I. Continet in se duas partes.*
  - 1. *Pars agit de* Musica sacra *cujus membra quatuor:*
    - 1. διάνοια, *discursus de* Chorali Musica *& veterũ* Psalmodia.
    - 2. ὑπομνήματα *de* Missodia *vel* Leiturgia *sũma*.
    - 3. ἐξήγησις *Leiturgodia* Matutinæ *&* Vespertinæ, *&c.*
    - 4. θεωρία *Musica* Instrumentalis *Ecclesiastica*.
  - 2. *Pars de* Musica politica *extra Ecclef: cujus duo mẽbra:*
    - 1. *de* Musica vocali *apud Ethnicos*.
    - 2. *de* Musica *veterum* Organica.
- *II. Pertractat Or*ganographian; *Cujus membra sunt quinq́.*
  - 1. *Distinctio &* Nomenclatura *omnium* Instrumentorum Musicorum.
  - 2. *Eorundem operosa* intonatio *& usurpatio*.
  - 3. Organorum *pneumaticorum Veterum*.
  - 4. *&* Novorum *nostri temporis* inventio *ac* dispositio.
  - 5. Sciagraphia *&* pictura *omnigenorum Instrumentorum*.
- *III. Complectitur tres partes.*
  - 1. Ἀσματολογίαν, *sive* Etymologicas Cantionum *exoticarum descriptiones*.
  - 2. Τεχνολογίαν, *sive* admonitiones *quasdam &* præcepta *Musices utilissima & summè necessaria*.
  - 3. Χειραγωγίαν, Concerta *&* Motetas *per Choros variis modis disponendi & adorandi*.
- *IV. Comprehendit* Μελοποιΐαν Musicam, *sive Compositionis Musica Institutionem* Poëticam.

INDEX GENERALIS,

PRIMARIORum MEMBRORum,

quæ in

Syntagmatis hujus Musici distinctis quatuor Tomis continentur.

TOMuS PRIMuS

Complectitur duas partes.

I. PARS agit

De Musica sacra vel Ecclesiastica, Religionis exercitio accommodatâ;

CuJuS MEMBRA SuNT QuATuOR.

I.

 & de-

II.

In altero proponuntur ὑπομνήματα sive Commentarii de Missodia vel Leiturgia summa Ubi primùm Missæ & Missodias nomen explicatur; deinde quibus partibus tàm apud veteres, quàm apud nostrates constet, & quomodò quælibet pars addita & indigitata fuerit.

III.

In tertio habetur ἐξήγημα, sive explanatio Leiturgodiæ matutinæ & vespertinæ: quibus ex partibus, quo ordine (ordinis simul ratione annotatâ) constent: ubi de Antiphonis, Psalmis majoribus & minoribus, eorumq; Tonis, Responsoriis, Hymnis, Cantico B. Mariæ Virginis, & εὐλογῳδία finali, non quibusvis nota, producuntur.

Coronidis loco subjicitur huic parti, tractatus de Supplicationibus publicis, sive Litaniis majoribus & minoribus, de Horis Canonicis, & de Psalterio B. Mariæ Virginis: quibus quæq; auctoribus, quo tempore, quâ occasione introducta omnia.

IV.

In quarto exhibetur θεωρία ὀργανικῆς, sive contemplatio Musicæ Instrumentalis Ecclesiasticæ, in Ecclesia tàm Veteris, quàm Novi Testamenti usurpatæ. Nempe de prima ejus adinventione, & ad religionis exercitium translatione - - - - (c. 1.

de Tym-

General Register

der vornembsten Stücken / Welche in den Vier Tomis dieses Syntagmatis Musici begriffen werden.

TOMuS PRIMuS

begreifft in sich zween Theil:

Der erste Theil

handelt

Von der Geistlichen- vnd Kirchen- Music, die auff den Gottesdienst gerichtet/vnd vorzeiten/wie auch noch jtzunder zum theil darbey gebraucht wird.

Vnd dieser Erste Theil helt in sich

Vier Stücke.

I.

Im ersten Stück wird gehandelt / Vors erste ein Discurs vnnd Vnterricht vom Vrsprung des Choral Gesanges/ vnd der Alten Kirchen Melodeyen: Wie dieselbe nicht allein bey

 dem

dem Jüdischen Volck in jhren Versamblügen im gebrauch; sondern auch in den Aegyptischen/Arabischen/Griechischen vnd Lateinischen Kirchen üblichen gewesen.

II. Wird gesaget/auff waßerley Art vnd Melodeyen dieselbe gesungē:

III. Mit welcher grossen Reverentz/auch Geistreichen vnd Christlicher Andacht dieselbe gehalten:

IV. Wie füglicher weise sie einem jeden Dinge/nach eigentlicher gestalt/mit welchen modis vnd von welchen Musicis vnd Gesangmeistern/ die Melodeyen einem jeden Gesang zugeordnet:

V. Von deroselben Nutz vnd Krafft/Gottselige Gedancken zuerwecken vnd zubewegen;

VI. Im Glauben zu vnterrichten/vnd in Christlicher Lehr zuvnterweisen:

VII. In Tempel vnd Kirchen Einweyhungen:

VIII. Auch sein selbst eigne Bewegungen des Gemüts an Tag zugeben:

IX. Wie die gebraucht worden zu Bekrefftigung der Göttlichen Warheit vnd Christlichen Gotteßdienst/ wieder die Kätzer vnd Tyrannen:

X. Wie dadurch die Irrigen vnnd Verführten von dem weiten vnd breiten Irrwege/wiedervumb auff den rechten Steg vnd Weg des Glaubens gebracht worden:

XI. Wie dieselbige/ in so grossem vnd werthem Gebrauch an Königlichen vnnd mächtiger Potentaten Höfen: Auch XII. in frölichen Zusammenkunfften/ vnd Gastereyen gewesen:

XIII. Wie die Christen Abends vnd Morgens: Vnd XIV. Wenn sie zu jhrer Arbeit gangen/ sich darmit dem lieben GOtt befohlen:

XV. Ja auch in der letzten Todes Angst sich hefftig darmit gestercket:

XVI. Vnd wie sie bey Leich Begengnüssen in stättigem Gebrauch gewesen.

II.

IM Andern Stück/wird vns für die Augen gestellt/ eine gründliche Erklerung vnd Bedeutung deß gewöhnlichen Kirchen Choral Gesanges/ so bey der Missa vnd Vormittags Predigt/ vnd bey den hohen Ampt im gebrauch gewesen. Da erstlich deutlich vnd außführlich/waß das Wörtlein Missa bedeute/ oder in sich habe/ vnd woher/ auß welcher Sprach es seinen Vrsprung nehme oder habe/ erklert wirdt.

Zum

Zum andern/ wird in demselben nach der lenge erzehlet/ wie dieselbe Missam zuhalten üblich vnd gebreuchlich gewesen; Was für Gesänge d̶ bey gesungen; Auch mit welcher Ordnung eins auff das ander erfolget/ vnd welche Ceremonien dabey gehalten vnd in acht genommen/ vnd ein jedes genennet worden.

III.

ZVm Dritten / haben wir auch in demselben Ersten Theil eine Vnterrichtung von den andern Gesängen/ welche in der Christlichen Kirchen Versamlungen/ so wol zur Metten als Vesper zeit/ vnd in den Bettstunden gesungen werden/ wie dieselben abgetheilet seyn/ vnd eins auff das ander erfolgen: Do denn auch von Antiphonis, Psalmis majoribus & minoribus, vnd deroselben mancherleyen vnd vnterschiedlichen Tonis: Von den Responsoriis, Hymnis, Cantico B. Virginis Mariæ, Magnificat, vnd Benedicamus nützlicher vnd nötiger Bericht gethan wird.

Zum Beschluß wird hinan gehengt/ von den allgemeinen vnd öffentlichen Kirchen Litaneyen, oder öffentlichen Supplicationen zu GOtt/ für die allgemeine Noht der gantzen Christenheit/ wenn vnd von wem dieselbe jhren Vrsprung genommen: Wie daselbsten nicht wenig denckwürdige Sachen mit annotiret vnd auffgezeichnet seyn.

Zu dem auch ein kurtzer Vnterricht beygesetzt / von den Horis Canonicis vnd Psalterio B. Mariæ Virginis, welches sonsten ein Pater noster genennet wird; von wem/ zu welcher zeit vnd mit was gelegenheit dieselbige eingesetzet vnd angeordnet seyn.

IV.

ZVm Vierden / wird vns eine nützliche Erklerung vnd Beschreibung aller derer Musicalischen Instrumenten vorgeschrieben/ welche vor alters zu der Väter zeiten/ im alten Testament/ vnd hernach auch im newen Testament in der Kirchen GOttes gebreuchlich gewesen.

Vnd zwar im 1. Capittel wird gesaget/ von welchen Autoribus anfenglichen nach der Sündflut dieselbige jhren Vrsprung gehabt/ vnd wie sie erfunden worden/ vnd wie hernach zum Christlichen Gottesdienst derselben Gebrauch bracht worden.

Im 2. von

Im 2. von dem Choro Musico im Tempel zu Jerusalem / vnnd von den Sängern vnd Leviten.

3. Wie viel derselben in jhrer anzahl gewesen.

4. Von jhrem Ampt vnd Diensten in vnterschiedlicher Ordnung.

5. Von jhrem Auff- vnd Vnterhalt/im Speisen vnd Kleidung; Wie die löbliche Könige im Alten Testament mit reicher vnnd milder Hand darzu gegeben vnd gnug verordnet haben.

6. Von den Titeln/ so vor den Psalmen vorher gesetzt.

7. Vnd welcherley Art Instrumenten daraus köñen erwiesen werden; Da dann ferner von mancherley Instrumenten gehandelt wird/woher sie jhren Namen/wie sie gebraucht worden / vnd durch nützliche Allegorien geistlicher weise außgelegt werden können.

8. Von der Orgel.

9. Von Cithern vnd Säiten/Nablo, Cymbeln vnd Psalter von Zehen Säiten.

10. Von der Paucke/ wie dieselbe recht gebrauchet / auch mißgebraucht worden.

11. Von der Trommeten vnd Posaunen/woraus sie gemacht/wie dieselben gebraucht worden/ in den sonderlichen Festen der Jüden: da sehr schöne Allegorica annotiret vnd angedeutet seyn/ vnd vielleicht nicht vnanmütig zulesen.

12. Von den Glocken/Glöcklein/Röllichen vnd Schellichen/wie dieselbe auch zu volkömlicher perfection des Tempels oder Tabernakels gebraucht worden/da auch viel nützliches Dinges vorfelt.

13. Vnd wird auch ferner erwiesen/daß die Kirchväter im Newen Testament/die Instrumentalische Musicam nicht verworffen haben.

14. Vnd wie jtziger zeit die Kunst so hoch gestiegen / fürnemlichen in den künstlichen Orgelwercken/ die man jtziger zeit in den Kirchen Gebewden hat.

15. Darbey letzlich eine gutherzige Vermahnung/das man dieselbe in jhrem Esse erhalten / vnd zu GOttes Ehren gebrauchen wölle.

II. Pars

II. PARS

Continet

Historiam de Musica veterum Politica, in usu & lusu extra Ecclesiæ limites ingenuo & liberali:

CUIUS DUO SUNT DISTINCTA MEMBRA.

Prius agit

De Musica Vocali *& generaliori Musices cognitione, atq; usus frequentatione, tàm Vocali, quàm Instrumentali ferè communi.*

Posterius

De *Musica* veterum *Organica*, in Organis, vel Instrumentis Musicis considerata.

PRIUS MEMBRUM

absolvitur

XXII. Capitibus.

QVorum I. tractat DE MUSICA civili extra Ecclesiam, ab Ecclesiastica generaliter nominibus distincta, ejusdemq; primis ac generalioribus principiis.

2. De artis Musicæ Inventoribus & inventione ex calamorum, chordarum, malleorum, & sonorum proportione.

3. De Doctoribus, scriptoribus, cultoribus, discipulisq; Musices eximiis.

4. De inventione in Harmoniæ generibus, in Tetrachordis; Ubi de Chordarum, sive Clavium, sive Vocum numero aucto & ad δὶς διὰ πασῶν apud veteres, hodie plus ultrà constituto, &c.

5. De Melodiarum quarundam, quas Veteres Modos seu Tonos vocarunt, Inventoribus.

6. De diverso istorum Modorum seu potius Melodiarum affectu & effectu, eorundemq; selectu.

7. De voce & pronunciatione in Cantu, deq; vocis utili, necessario decoroq; exercitio, docili imitatione ac suavi audiendi voluptate.

8. De Musices cognatione cum Ethica, Physica & Mathesi.

9. De Musicæ vi & efficacia, atq; usu παθητικῷ, ad affectus cùm placidè sedandos, tùm rapidè excitandos.

10. De efficacia ac usu πολιτικῷ καὶ πολεμικῷ, civili ac militari, in firmanda nim: pace Reip. & virtute bellicâ comparanda.

11. De usu Musices θριαμβικῷ, in pompa & solennitate triumphali.

12. De usu & efficacia Musices Ethicâ ad mores honestè componendos & feritatem comprimendam.

13. De virtute Musices ἰατρικῇ, sive Medica, ad pellendos corporis morbos.

14. De usu Musices Philosophico, institutioni & refectioni inserviente.

15. De admiranda vi & efficacia in Brutis.

16. De usu & exercitio Musices ἱερουργικῷ, in Sacris & sacrificiis Deorum Ethnicorum, Dearumq; peragendis.

17. De usu Musices συμποσιακῷ, in epularibus & convivialibus hilaritatibus.

18. De usu Musices ὀρχηματικῷ, sive saltatorio, deq; quibusdam Saltationum præcipuarum speciebus, varioq; earundem usu.

19. De usu Musices θεατρικῷ in ludis scenicis & Theatricis.

20. De usu Musices ἀγωνιστικῷ ad certamina; ubi & de quibusdam certantium & victorum præmiis, & devictorum pœnis.

21. De usu Musices θρηνητικῷ in funerum & exequiarum deductionibus atq; pompis.

22. De variis veterum Cantionibus.

POSTE-

POSTERIUS MEMBRUM,

de

MUSICA *Veterum* ORGANICA *vel Instrumentis Musicis;* *quod XXI. pertractatur Capp.*

QUorum 1º agitur de MUSIS & Apolline, omnis harmonici concentus autoribus & præsidibus, deq; earum numero.

2. De generali Musicorum Instrumentorum distinctione.

3. De FISTULAE notatione, materia, structura vel figura, inventione, speciebus atq; usu.

4. De TIBIA, ejus Etymologia, descriptione, inventione atque partibus, variisq; ejusdem ab inventoribus denominatis generibus.

5. De variis TIBIARUM speciebus & appellationibus, à regionibus & gentibus desumptis.

6. De variis TIBIARUM generibus, à varia apud varias gentes materia.

7 De multiplici Tibiarum usu atq; ab eodem deductis Tibiarum ὀνομασίαις & denominationibus, deq; singularibus quibusdam Tibiarum modis & cantu Tibicinum.

8. De Harmoniis & modis Tibicinum Musicis.

9. De peritis quibusdam Tibicinibus & Auletices studiosis.

10. De imperitis quibusdam Tibicinibus, deq; Tibiarum ὀλιγωρίᾳ & contemptu.

11 De Citharæ & Lyræ notatione, inventione, partibus, chordarum numero & circa illum de Lacedæmoniorum severitate, modis item & Citharæ cantu, & (quas vocant) Tabulaturis.

12. De variis Instrumentis Lyræ proximis, Scindapso, Helicone, Barbito, Trigono, Sambuca, Phœnice, Nablo, Pandura,

13. De Magadi, Pectide, Psalterio, Epigoneo, Tripode, Sionico Organo, &c.

Der Ander Theil

begreifft in sich

Eine Historische Beschreibung der Alten Politischen vnd Weltlichen Music, welche ausserhalb der Christlichen Kirchen nur zur Lust vnd Kurtzweil/ im freyem löblichem Gebrauch jederzeit vorblieben.

Vnd wird dieselbe in zwey Stück abgetheilet.

Das erste Stück handelt von allgemeiner Wissenschafft der Music vnd derselbigen Gebrauch / so wol mit Menschlicher Stim̃ / als auff Instrumenten / so im Musiciren fast gemein sind.

Im andern Stück wird vermeldet / Wie bey den Alten die Musica auff Orgeln / Instrumenten vnd allerley Säitenspielen gebraucht worden.

Das

Das Erste Stück dieses Andern Theils
helt in sich
XXII. Capittel.

Das ander Stück des Andern Theils begreifft in sich XX. Capittel.

Im 3.

Im 3. Wird die Erfindung/ Matery, Structur vnd Zubereitung mancherley Arten vnd Gebrauch der Flöten / so bey den Alten Fistula genand worden/ kürtzlich beschrieben.

Im 4. Wird von der Pfeiffen/ welche Tibia heisset / vnd von derselben Erfindern vnd zugehörigen Stücken gehandelt.

Im 5. Von mancherley Pfeiffen vnnd derselben Nahmen / so sie von den Ländern vnnd Völckern / bey denen sie vblich gewesen / vberkommen.

Im 6. Von mancherley Arten der Pfeiffen vnd derselben matery bey vnterschiedlichen Volckern.

Im 7. Von allerley Namen vnd vnterscheidt der Pfeiffen/nach vnterschiedlichem brauch/klang vnd alter der Menschen ; Vnnd von etlichen sonderbahren Arten vnnd Weisen / so im Pfeiffen gebraucht worden.

Im 8. Vom Thon der Pfeiffen/ vnd wie sie nach demselben zu vnterscheiden.

Im 9. Von etzlichen hocherfahrnen Pfeiffern/vnd wie sie mit höchstem fleiß dieser Kunst obgelegen.

Im 10. Von etlichen vnerfahrnen Pfeiffern/vnd wie solche Kunst in despect vnd verachtung geraten.

Im 11. Von Erfindung der Leyer / Cither oder Harpffen ; vnnd von jhren zugehörigen stücken vnd zahl der Säiten. Sowol auch von den Carminibus, wie die nach der Leyer gemacht worden : Auch wie vnd was man nach der Tabulatur vff der Harffen schlagen kan.

Im 12. vnd 13. Von den Instrumenten / so der Harpffen sehr nahe zugethan sind/vnd andern dergleichen mehr.

Im 14. Von den Carminibus Lyricis, welche man in die Leyre mit eingesungen.

Im 15. Von etlichen vortrefflichen Harffenisten / vnd was dieselben erfunden vnd außgesonnen ; Auch von denen so diesen Künstlern mit guter Affection zugethan gewesen.

Im 16.

TOMUS SECUNDUS,

in quo

pertractatur

Οϱγανογϱαφία.

id est,

ORganorum pnevmaticorum, & reliquorum Instrumentorum Musicorum ferè omnium, nostro tempore usitatorum, accuratè distinctorum, & eleganter depictorum, Nomenclatura, Sciagraphia, & operosa ac artificiosa eorundem intonatio ac usurpatio.

Darin

Darinnen zufinden:

I.

Aller Musicalischen Instrumenten (so zu unser jetzigen zeit im gebrauch) Distribution und Begriff in unterschiedenen Abtheilungen/sampt deroselben Namen oder Nennung mit beygesetzter Tabell.

II.

Aller Blasenden vnnd Besäyteten Instrumenten mancherley Stimmen vnd deroselben Thon/ nach jhrer Grösse vnd Eigenschafft müglicher Höhe vnd Tieffe zuerzwingen: In einer Tabell vnd eines jeden Instruments insonderheit beygefügter Erklärung:

Als nemblich/

1. Wie die Wörter/ Instrument vnd Instrumentist, Accort, Sorten vnd Falsett Stimmen/ in Pfeiffen vnd andern Instrumenten zuverstehen seyn.

2. Vom rechten Thon der Orgeln vnd anderer Instrumenten/ auch der Menschen-Stimm: vnd vom vnterscheid des Chor- vnd Cammer-Thons.

3. 4. Universal-Tabell, darinnen die Claves Signatæ/die Claves in scala Tabulaturæ, die Namen vnd Zahl der Füsse/ nach Orgelmacher Art/ vff allen Instrumenten zu finden.

III.

Von der Ersten Invention der Alten Orgeln/ jhrer Disposition der Claviren, Laden/Blaßbälgen vnd was sonsten mehr darzu gehörig: auch wie das alles von einer zeit zur ander vermehret vnd verbessert/ vnd biß zum jetzigen Stande gebracht worden.

IV.

Von Newen vnd vnserer jetzigen Orgeln Eigenschafft vnd mancherley Stimmen: Mit mehrererm vnd fernerem Bericht/ was bey jeder Stimme in Specie vnd besonders zu wissen von nöhten sey. Auch angehengter Form vnd Weise/ ein Regahl oder Clavicymbel vnnd

Symphony an sich selbst rein zustimmen vnd einzuziehen: So wol auch wie man sich in Liefferung der Orgeln vorhalten könne.

V.

Etliche Dispositiones vnnd Verzeichnüs aller Stimmen vnnd Registern/ so in den fürnembsten Orgeln Teutsches Landes gefunden werden.

Auch wie man ein Pfeifflein zum ChorThon verfertigen lassen könne.

VI.

Eigentliche Abcontrafeyung eines jeden Musicalischen/ der Alten vnd Newen Außlendischen vnd Einheimischen Instrumenten Grösse/ Lenge vnd Dicke/ gar just nach dem Maßstabe in etlichen Viertzig Stücken vnd HoltzRissen gezeichnet vnd abgetheilet.

TOMuS TERTIuS.

Continet

tres Partes.

I.

Ασματολογίαν, sive descriptiones Etymologicas Cantionum exoticarum, apud Italos, Anglos & Gallos, Ethico, Politico & Oeconomico usui dicatarum:

DArinnen die Bedeutung/ wie auch Abtheil- vnd Beschreibung fast aller Namen der Italianischen/ Frantzösischen/ Englischen vnd jetziger zeit in Teutschland gebräuchlichen Gesänge: Alß/ Concerten, Moteten, Madrigalien, Canzonen, Villanellen, Messantzen, Tocaten, &c.

II.

Τεχνολογίαν Musicam, sive admonitiones de quibusdam præceptis, Musicæ studiosis apprimè necessariis: Qua etiam ratione difficiliores quædam veterum Musicorum Regulæ & modi in canendo ad longè faciliorem & meliorem pro incipientibus captum transferri, & tutiùs usurpari possint.

Nützli-

Nützliche Erklehr- vnd Anleitung: Was im singen bey den Noten, Pausen vnd Tactu, Modis, Signis vnd Transpositione, Partibus seu Vocibus vnnd vnterschiedenen Choris, Auch bey den Unisonis vnd Octavis zu observiren.

III.

Χειραγωγίαν, seu manuductionem Musicam; Sive peculiarem rationem Cantiones, quas CONCERT vocant, & id genus alias, per Choros variis modis disponendi & distribuendi: Ut in Ecclesiasticis conventibus, & in magnatum conviviis, majori cum gratiâ, suavitate ac voluptate adhiberi & auscultari possint.

Wolgemeinte Anleitung / wie man Concert vnd andere dergleichen Gesänge mit Instrumenten vnd Menschen-Stimmen / vnnd auch vnterschiedlichen Choris auff allerley Art in der Kirchen vnnd für Fürsten vnd grosser Herrn Taffel anordnen könne / daß sie mit sonderbahrer gratia, lieblicher vnd anmütiger können musiciret vnnd angehöret werden.

Darbey dann / wie die Italianische vnd andere Termini Musici, alß Ripieno, Ritornello, Forte, Pian, Capella, Palchetto vnd viel andere mehr / zuverstehen vnd zugebrauchen: Die Instrumenta Musicalia zu vnterscheiden / abzutheilen vnnd füglich zunennen: Der General-Bass zu gebrauchen: Vnd junge Knaben in Schulen an die jetzige Italianische Art vnnd Manier im singen zu gewehnen seyn.

TOMUS QUARTUS,

in quo

MΕλοποιία Musica, sive institutio de Contrapuncto, legitimaq; purâ & dextrâ compositione ac dijudicatione harmonicarũ Cãtilenarũ; quid in illis approbãdũ, & rejiciẽdũ; quid adhibẽdũ sit & fugiendũ, fideliter admonens & docens; ex optimis probatissimis Neotericorum, præsertim Italorũ, in Theoria excellentiũ Musicorũ libris, regulis & exemplis collecta, atq; in certum ordinẽ redacta.

RIchtige Vnterweisung in der Composition, darinnen alles/ was zu derselben gehörig/ oder/ was in einem vntadelhafftē Gesang zusetzen/ vnd zu meyden stehet/ Auß etlicher außländischer Italianer vnd andern Büchern/ Regeln vnd Exempeln mit fleiß zusammen getragen; dergleichen zuvor in Lateinischer/ oder Teutscher Sprach also volnkömlich niemals an Tag kommen.

Benevolo Lectori S.

OBwol/ günstiger lieber Leser/ dieses Syntagma Musicum sampt dessē vorhergesetztem Indice, nach den Regulis artium dicendi billich gantz vnd gar in einer Sprache/ Lateinisch oder Teutsch solte beschrieben vnd zusammen getragen worden seyn: So hat es dennoch die Natura artis canendi nicht wol leiden/ vnnd zulassen mögen. Denn nach dem dieselbe zwar bald nach der Welt anfang/ quò ad prima rudimenta, erfunden/ ferners auch bey den Jüden vnd Heyden per additamenta ziemlich verbessert worden: So hat sie doch noch erst bey vns Christen in diesen letzten zeiten jhre herrliche supplementa erreichet. Derowegen gleich wie sich/ was die Alten Musici in Lateinischer Sprach beschrieben/ gemeinlich nicht gar wol vnd vorständlich in das Teutsche versetzen lesset: Also auch in deme/ was die jetzigen Musici, ein jeder in seinem Idiomate, mit vielen neotericis terminis nennen vnd außsprechen/ Lateinische Voces vnd Phrases appropriatæ mangeln. Vnd wenn man denn in derselben Sprach davon schreiben solte/ es entweder einen barbarum, oder ja zum wenigsten obscurum stylum geben/ vnnd die weise zu reden viel schwerer zuverstehen sein würde/ alß die Kunst an jhr selbst zubegreiffen ist.

Als hoffe Ich/ es werde Mich dessen Niemand verdencken/ daß Ich in diesem Syntagmate Musico miscellaneo etzliche Ding gantz Lateinisch/ etzliche gantz Teutsch habe fürgebracht/ etzliche aber zugleich Latei-

Lateinisch vnd Teutsch eingeführet: Sintemahl Jch dahin sehen sollen vnd wollen / das in hac nostra Germana Patria beydes literati vnd illiterati φιλόμουσοι verstehen könten/was etwa eimm jeden an seinem Ort zulesen gefällig vnd nützlich sein möchte.

Vnnd ist also der Erste Tomus gantz Lateinisch für Gelahrte: (Wiewol es auch vor andere der Music-Kunst Zugethane nicht vnnötig/ sondern vielleicht nützlich vnd sehr zuträglich sein könte / wenn ein gelahrter Mañ/diesen Ersten Tomum, auß dem Lateinischen in gut Teutsch zu vertiren vnnd in Druck herfür zubringen/ sich bemühen thete; Welches wegen vnzehlicher anderer Verhinderungen Mir vnmüglich/ doch sehr lieb/ vnd jhrer vielen/ die der Lateinischen Sprach nicht kündig / gantz angenehm vnd wolgefellig sein würde.) Der Ander Tomus gantz Teutsch für Orgelmacher / Organisten vnnd alle andere Instrumentisten vnnd Instrument macher: Der Dritte vnd Vierde aber für die Musicos vnd Musices cultores, in gemein geordnet.

Stehet also eim jeden Musico, oder Musices amatori zu seinem guten gefallen / das jenige / was für jhn dienet / vnd jhm zu Nutz kommen kan / vor sich zu compariren vnd durchzulesen. GOTT helffe/ das es zu seinen Göttlichen Ehren/vnd der lieben Christenheit zum besten diene vnnd gereiche / Amen. Datum Dreßden / am 24. Junij, Anno 1614.

Michaël Prætorius C.

Oculißimo meo

MICHAELI PRAETORIO,

nunc temporis

In utraq; aula Saxonica

Hinc ELECTORALI, ilhinc GUELPHICA,

Chorago Musico:

Tumultarium sanè, sed affectu sincero plenum

ELEGIDION

nuncupabam.

SEMPER Te evexit Prætori Musica: & illam
Evêxti studio Tu quoq; in alta Tuo.
Illa Tibi Henrici patefecit Iulii amores:
Per Te ea macta Ducis rursus amore fuit.
Illa Tibi Ensiferum meruit: meruisti ei eundem
Tu quoq; Te celebrem reddidit illa: Tu eam.
Et jamdum summum venistis utrinq; ad amorem:
Nesciam ut ardoris vi alteri utram anteferam.
Vsq; adeò quæ Tu fecisti Musicæ; ea illa
Cuncta Tibi rursus præstitit igne pari!
Iudice me; alteri amor pręstat tamen alter amori;
Quomodo? Rosores jam parit illa Tibi:
Admiratores Tu contra illi. Et quis id æquum:
Aut adeò fieri mutuo amore putet?
Scilicet hoc bellum est! Sic certat amore; Tibiq;
Martyrium veri parturit eulogii,

Solà

Solâ homini invidiâ præconia vera parantur:
Qui caret hac, veræ laudis honore caret.
Propterea ne pone animum: Ne desine porro
Musicam amatricem rursus amare Tuam:
Quin potiùs persta studiosiùs evehere illam,
Evehet & rursus Te studio illa pari.
Augebitq; adeò stipendia; jam modò ut auxit:
Quando dedit duplici conditione frui:
Hinc Electoris Magni; indè Leonis in aulâ
Guelphici; ubi gemino distrahere officio.
Det tantùm superesse Tibi, cui cantica pangis?
Soli! erit auspicio Musica quanta Tuo?
Musicæ item auspicio quantus Tu eris ipse vicissim
Quantus adhuc nemo Musicûm inante fuit.
Vidêre, ingenium quîs de meliore metallo,
Quæ dederas, & quæ dê hinc monimenta dabis.
Vidêre insolitâ sub majestate verendam
Prodire ingenii Musicam ab arce Tui:
Porrò aderunt famulæ citiùs spe; instructaq; secum
Quæ sunt, quæq; fuêre, Organa cuncta ferent.
O utinam tantùm magni Electoris in aulâ
Ocia det studio grata Vacuna Tuo!
Principium factum est: respondeat exitus. ô DI
Livor ut Invidiâ concidet ipse suâ!

Ioh. Steinmetzius S. Phil. & Med. D. Poët.
Imper. Lauriger. &c.

ALIuD

ALIuD.

INGENUAS inter, Cœlo quas hausimus, artes
Obtinuit medium MUSICA dia locum.
Et meritò! humanos reliquæ vertuntur in usus:
Huic Scopus & finis gloria honorq́ DEI.
Nec servire tamen mortalibus abnegat ipsis,
Tempora seu fuerint nubila, sive bona.
Tristes exhilarat miti modulamine: lætis
Ut rata sint omni gaudia parte facit.
I nunc & rogita, cur tanti muneris usum
Urgeat assiduo docta labore Cohors?
Quod melius studium, res sacra & munere digna
Neglecta ut jaceat spretaq́ nolle pati?
Qui legis antiquos, perscrutarisq́ recentes,
Ut sit cognitior MUSICA casta tibi;
Hac evolve etiam: dextrè congesta videbis,
Quæ vastis alii proposuêre libris.
Cumq́ nihil spectet, nisi publica Commoda, supplex
Concilia AUTORI fata secunda pio.

Henricus Meibomius, Poëta
& Historicus F.

TOMUS PRIMUS.

PARS PRIMA.

DE MVSICA SACRA ET ECCLESIASTICA.

I. Membrum.

ΔΙΑΝΟΙΑ
ſive
Diſcurſus,
De

MVSICA CHORALI

ſive

PSALMODIA veterum Sacrâ.

Caput I.

DE PSALMODIA CHORALI à Davide & Salomone inſtituta, & quæ pòſt, â veteri AEgyptiorum diverſiſſima, in Eccleſiarum Græcarum Latinarumquè Choris recepta eſt.

PLana & vetus aliàs dicta, quæ in ſuis Notis æqualem ſervat menſuram, ſine prolationis incremento & decremento, CHORALIS *ſcilicet* MVSICA, *à* CHORIS, *ubi plurimùm exercetur, denominationem habet, & publicam in Eccleſia Pſalmos & hymnos decantandi conſuetudinem indicat, cùm in Veteri Teſtamento à Moſe, Davide, & Salomone inſtitutam, tùm in Novo à Chriſtianis receptam & frequentatam.*

Primus conſtituiſſe Cantores DAVID *legitur, qui Aſapho, Idithum, Heman & reliquis miniſterium canendi ad Arcam & Tabernaculum Dei demandavit, ut expreſsè ſcriptum eſt. 1. Paral. 15. & 16. & 25. atq; 2. Paral. 5. ubi Salomonem quoque patris ſanctionem confirmaſſe indicatur, ut Cantores,*

qui sub Asapho, Heman & Idithum erant, concinerent stantes ad orientalem Altaris plagam. Unde & Athanasius in synopsi Sacræ Scripturæ ait: David primus spiritum psallendi accepit, primúsque Psalmos composuit & scripsit, & prædictos Psalmistas ipse ex Sacerdotibus selegit ac instituit; Stationem quoque locorum illis & ordinem melodiæ, ac tempus psallendi matutinum & vespertinum determinavit, & ita ordinavit, ut alij aperto, alij clauso Tabernaculo; alij à dextris, alij à sinistris starent, atque ita Deo psallerent, laudémque ac hymnum voce canerent, quidam verò confessionem ac laudem præluderent, &c.

Ea per Choros canendi consuetudo postea, ut Christianis dignissima, sic etiam est nata in Ecclesia (unde Christianorum nomen prodijt, Act. 11.) Antiochena, *quæ post eam, quæ in Samaria collecta, & illam, quæ Cæsareæ plantata est, proxima fuit colonia, ex Ecclesia* Hierosolymitana *deducta. Quomodo in ea Flavianus & Diodorus, viri pij & orthodoxi, primum instituerint morem Davidicos Psalmos duobus in* Choris *decantandi, memorat Theodoretus lib. 2. Eccl. hist. cap. 24. Admirabile hoc, inquit, par piorum virorum* Flavianus *&* Diodorus, *Sacerdotalis functionis ius nondum consecuti, cum populo conversabantur, diéque ac noctu instigabant omnes ad pietatis fervorem. Hi primi, in duas partes divisis cœtibus Psalmos accinentium, instituerunt alternis Davidicam Melodiam decantare; quod cùm Antiochiæ cœptum esset, pervagatum usquequaque est, & ad fines orbis terrarum pervênit.*

Tempus, quo id factum fuerit, à Suida annotatur, qui explicans vocem χορὸς *ita scribit:* χορὸς ἐστὶ τὸ σύστημα τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ᾀδόντων. διηρήθησαν δὲ οἱ χοροὶ τῶν ἐκκλησιῶν εἰς δύο μέρη ἐπὶ Κωνσταντίου υἱοῦ Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου καὶ Φλαβιανοῦ ἐπισκόπου Ἀντιοχείας, δίχῃ τοὺς Δαβιδικοὺς ψαλμοὺς ᾄδοντες ὅπερ ἐν Ἀντιοχείᾳ πρῶτον ἀρξάμενον εἰς πάντα περιῆλθε τῆς οἰκουμένης τὰ πέρατα. *Hoc est:* CHORUS *est congregatio simul canentium in Ecclesia. Divisi autem sunt Chori Ecclesiarum in duos ordines sub Constantio, filio Constantini Magni, à Flaviano Episcopo Antiochiæ, ita ut alternis Davidicos Psalmos concinerent. Quod quidem cum Antiochiæ primò cœptum esset fieri, in omnes mundi terminos transiit.*

Annu-

Annumerat autem Chronologia Constantij imperio annum à Christo nato 342. Unde tam vetusti supputantur Chori Musici, ut ultra mille ducentos annos duraverint. Polydorus descriptionem Chori *recenset lib. 6. de rer. inv. c. 2.* Chorus *multorum vocibus constat, ita ut ex pluribus una reddatur, fiatq; concentus ex dissonis: auctor Seneca & Macrobius.* Chorum ἀπὸ τῆς χαρᾶς, *id est, lætitia dici autumat Plato lib. 2. de Legibus.*

Psalmodia vetustioris, tempore Galieni, anno Christi 260 imperantis, à Nepote AEgypti Episcopo instituta, meminit Eusebius lib. 7. cap. 22. In alijs, inquiens, multis (excepto videlicet errore de mille annis, quibus Chiliastarum hæresis initium dedit Niceph. lib. 6. cap. 21.) Nepotem laudo ac diligo, cùm propter fidem, sedulitatemq; & exercitium in Scripturis, tùm propter multam ipsius Psalmodiam, quâ etiamnum multi ex Fratribus delectantur. Sed diversa fuit ab Antiochena ista psallendi ratio in AEgypto, ubi unus apud AEgyptios Fratres, Psalmos cantabat, reliquis sedentibus, & attentè taciteq; auscultantibus, quam consuetudinem describens Cassianus lib. 2. cap. 10. Cùm solennitates, inquit, quas illi Synaxes vocant, celebraturi Fratres in AEgypto conveniunt, tantum à cunctis silentium præbetur, ut cùm in unum tàm innumerosa Fratrum multitudo conveniat, præter illum, qui consurgens Psalmum decantat in medio, nullus hominum penitus adesse credatur. In AEgyptiorum etiam Psalmodijs monophonis usitatum fuit, ut Psalmos δοξολογία S. Trinitatis concluderent, teste Cassiano libro dicto cap. 9. Illud etiam, inquit, in hac provincia vidimus, ut uno cantante, in clausula Psalmi omnes astantes concinant cum clamore: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: nusquam in toto Oriente audivimus, sed cum omnium silentio ab eo, qui cantat, finito Psalmo orationem succedere. Hanc verò glorificationem Trinitatis tantummodo solere Antiphonâ terminari. Hæc Cassianus.

Cæterùm in gratiam Antiochenæ Psalmodiæ CHORALIS *templa seu Oratoria sub pijs Imperatoribus Constantino, Theodosio, & alijs ita ædificarunt, ut* CHORO, *in quo psallentes starent, peculiaris locus assignaretur. Eusebius enim in Panegyrica oratione, quam lib. 10. hist. Eccl. cap. 4. de templorum ædificatione & inauguratione, Paulino, Tyriorum Episcopo, dedicat, ita inter alia structuram templorum describit: Quapropter* CHORUM *hunc multò ma-*

jorem complexus, externum ambitum muro munivit, ut tutamen esset operis universi: Deinde vestibulum magnum & in sublime ad Solis usque radios erectum, extendit, ita, ut etiam illis, qui procul extra sacros muros consistunt, conspicuum illorum, quae intra eos sunt, aspectum exhibeat.

De usu Psalmodiarum, etiam nocte usitatarum, Clericis Ecclesiae Neocaesarianae consueto, Basilius Magnus commemorat, inquiens: Ἐκ νυκτὸς γὰρ ὀρθρίζει παρ' ἡμῖν ὁ λαὸς ἐπὶ τὸν οἶκον τῆς προσευχῆς *&c. idest: De nocte populus consurgens antelucano tempore domum precationis petit, inque labore & tribulatione, ac lacrymis indesinentibus, factâ ad Deum confessione: tandem ab oratione surgentes ad Psalmodiam instituuntur. Et nunc quidem in duas partes divisi, alternis succinentes psallunt:* καὶ νῦν μὲν διχῆ διανεμηθέντες ἀντιψάλλουσιν ἀλλήλοις, *atque ex eo simul eloquiorum Dei exercitationem ac meditationem corroborant, & cordibus suis attentionem, & rejectis vanis cogitationibus, mentis soliditatem suppeditant. Deinde uni ex ipsis hoc muneris dato, ut, quod canendum est, prior exordiatur, reliqui succinunt, atque ita Psalmodiae varietate, precibusque subinde interjertis, noctem superant: Illucescente iam die pariter omnes velut ore ac corde uno, confessionis psalmum Domino offerunt, ac suis quisque verbis resipiscentiam profitentur. Hactenus Basil.*

Sic ab Asiaticis, Africanis, AEgyptijs & Europaeis Graecis Ecclesiis eadem psallendi consuetudo in Latinas & Italicas transiit, secundum Sibyllinum oraculum: ἐξ Ἰάδος γαίης σοφὸν ἤξει Ἰταλίνησιν. *Ac in fasciculo temporum legitur* Pontianus, *Episcopus in Romana Ecclesia, statuisse, ut Psalmi per dies noctesque in omnibus Ecclesiis canerentur. Etiam Ethnicus, Plinius secundus, libro Epistolarum decimo ad Trajanum Imperatorem, de Christianorum Psalmodijs ita scribit: Christiani soliti sunt stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem. Et quomodo Mediolani ac alibi Psalmodiarum consuetudo coeperit & frequentata fuerit, usus & vis Ecclesiasticae Psalmodiae infra pluribus commonstrabit, cap. 9.*

CAPUT

CAPUT II.

De Veterum in Psalmodijs modulatione, ejusdem fine, vario Ecclesiasticè canendi genere; atq; de ritu in Psalmis Graduum connotato.

MElodia & vocum modulatio qualis apud Veteres in usu fuerit, non satis certò constat, præterquam quòd Isidorus in libro de divinis officijs annotat: Primitus Ecclesiam ita psallere solitam, ut modico flexu vocis Psalmos modularetur, ita (quodipsum etiam de Alexandrino Episcopo, Athanasio sibi dictum commeminit Augustinus, lib. confess: 10. cap. 33.) ut psallens pronuncianti vicinior esset, quàm canenti. Addit ibidem rationem adhibitæ Musices, inquiens: Propter carnales (quales nos omnes fateamur oportet) non propter spirituales, in Ecclesia consuetudo canendi est instituta, ut qui verbis non compunguntur, suavitate modulaminis moveantur.

Porrò quomodo distinguant Patres inter Psalmum, Canticum seu Oden, Hymnum, Canticum Psalmi, & Psalmum Cantici &c. disertè explicabit Theoria Organices, cap. 9. ex Basilio in Psalmi 29. expositione; & ex Hilario in prologo Psalmorum: Vbi idem addit: His quatuor Musicæ artis generibus competentes singulis quibusq; Psalmis superscriptiones sunt coaptatæ.

Hymnum, *cuius mentio facta est in distinctione Patrum, definiet* ἐξήγημα *sive Explanatio Liturgodiæ Matutinæ & Vespertinæ, in membro huius Partis tertio. Sic autem distinctas illas species Patrum quàm brevissimè numerare licebit, ut sit:*

Primò Psalmus, *quem canit Organon.*

Deinde Ode, *quæ siletur.*

Postea Ode Psalmi, *seu, quod idem,* Psalmus Odes, *vel* Cantici, *qui ad Musicum Organon voce humana concinitur.*

Novissimè Hymnus, *qui voce humana, remoto Organo, personat.*

Melodiam autem Veterum, in Psalmodijs peculiariter observandam, innuere videtur inscriptio Psalmorum, qui dicti שִׁירֵי הַמַּעֲלוֹת Schire Ham-

maaloth, Carmina graduum *seu* ascensionum; *licet eam* ἐπιγραφὴν *ad Psalmorum sententiam & doctrinam plerique interpretes cum Patribus referant.*

Augustinus *referens ad cordis ascensiones è valle plorationis, ita commentatur: Est mons, quo ascendimus, spiritualis quædam celsitudo: Et quis est iste mons, quo ascendimus, nisi Dominus noster Iesus Christus? vide* Doct. Mart. Lutherum *in Psal. 121. Levavi oculos meos ad Montes: Christus est locus, tempus & omnes circumstantiæ, quæ requiruntur ad orationem, & sic ad cantationem & omnes locos Theologicos. Ascensiones enim sicut Montes & Benedictiones, & Salutes, & Egressiones Christo attribuuntur in plurali fœminino abstracto, quia Ebræi carent neutro genere, ideò eius loco utuntur fœminino plurali* κατ᾽ ἐξοχὴν, *ne dubitaremus de ulla residua parte salutis, sed ut omnia* ὑπερπερισσῶς *haberemus in Christo. Iohan. 10. Ideò Ascensiones sunt superlativorum loco, quæ ultra, supra & extra omnem captum rationis humanæ transcendunt, quæ oculus non vidit, auris non audivit, & in cor hominis nunquam ascenderunt, 1. Cor. 2.* daß heissen מַעֲלוֹת *ascensiones:* בְּרָכוֹת *benedictiones:* סוֹשׁעוֹת *salutes:* תוֹצָאוֹת *egressiones: intantum (ut Bernhardus cecinit) quod Christi sanguis tàm preciosus fuerit, ut una guttula suffecisset ad totum genus humanum redimendum, nedum totus sanguis: ita* ὑπερπερισσοτάτως *sumus salvati propter superabundantiam pretiositatis sanguinis eius. A quo non abludit Pauli illud ad Ephes. 4. Qui descendit in infima loca terræ, superascendit omnes Cœlos, thronos, Majestates.*

Basilij *hæc est sententia: Cantica Graduum iuxta historiam quidem de ascensu è Babylone loquuntur, secundùm anagogen verò eos Psalmos de ascensu ad virtutem protulerunt.*

Athanasius, & Nazianzenus, Cyrillus & Hilarius *allegoricè interpretantur de his, qui virtutis studio profecerunt, quibus singularis est felicitatis progressus ad resonanda hæc quindecim graduum carmina. Hilarius prolixiùs dilucidiusque rem sic explicat: Princeps Sacerdotum, Dominus noster Iesus Christus, ingressus cœlos, sedens ad dexteram æterni Patris, orans ad Patrem, ut, ubi ille esset, nos quoque essemus, qui & excitavit & collocavit nos in cœlestibus. Ille jam per Prophetam monuerat, quibus modis, quibusque vitæ operationibus ascendi posset ad sese: Sed per Esaiam ita ait: Lavamini, mundi estote, auferte*

ferte nequitias ab animis vestris, è conspectu oculorum meorum, desinite à malitijs vestris, discite bonum facere, exquirite judicium, eripite injuriam accipientem, judicate pupillo, & justificate viduam, & venite disputemus, dicit Dominus Omnipotens. Hi sunt igitur gradus perfecti illius, æterniq; Templi, quo Princeps Sacerdotum, factâ per sanguinem suum peccatorum nostrorum purgatione, transcendit. Hæc Hilarius.

Vatablus quindecim Psalmos, centesimum decimum nonum ordine sequentes, hoc titulo insignitos putat, quod post ascensum vel reditum ex Babylonia fuerint decantati.

Tremellius & Iunius ἐξοχὴν *quandam, id est, eminentiam & excellentiam volunt indicatam, quòd instar gemmarum emineant maximè, & cùm brevitate, tùm consolationum suavitate, nec non verborum amœnitate cæteris facilè possint præferri; siquidem reddiderunt* carmina excellentissima.

Paulus Fagius interpretatur Canticum conclusionis, *quod in fine sacrorum, ante dimissionem cœtus ut plurimum recitatum fuerit: quandoquidem verbum* עָלָה alah *idem nonnunquam est Hebræis, quod finire seu evanescere.*

Iudæi nugantur prædici futuram gentis suæ liberationem, ubi Messiâ exhibito in Iudæa ascensuri, & Psalmos hosce triumphanti voce, aliquando scilicet, sint recitaturi.

Rabbi David Kimhi appellationem inde fuisse sumtam arbitratur, quòd in monte domus Dei per quindecim gradus à mansione muliercularum ascendendum fuit, ad locum, quo viri congregabantur, & singulis gradibus singulos graduum psalmos fuisse destinatos.

Chaldæus Paraphrastes vertit Canticum, quod dictum est super gradibus vel ascensionibus abyssi. De abysso autem fabulantur Iudæi, eam in fundamentis domus sacræ struendis ita ascendisse, ut metus fuerit, ne orbem universum inundaret: Achitophelem itaq; eam, per Schemhamphoras cohibitam, ad quindecim usq; gradus restrinxisse.

Sunt tamen alij, qui ad concentum Musicum referunt, & existimant sublimiori voce istos Psalmos fuisse decantatos: Alij in loco CHORI *Hierosolymitani editiore concini solitos arbitrantur: Inter quos* LVTHERVS *cum* LYRANO, *& editiorem locum, & elatiorem vocem inscriptione istâ indicari*

dicari existimant. Et Rabbi Abenezra *certum Melodiæ genus opinatur fuisse, sive celebris cuiusdam carminis principium, cuius tonum hæc Psalmodia expresserit.*

CAPUT III.

De fructibus Psalmodiæ in genere, Legi, & disciplinæ devotè ac modestè psallendi conjunctis; atq; hîc μετάβασις sive transitio, ad Psalmodiæ efficaciam & vsus, & alteram potissimam διανοίας partem.

QVàm pulcherrimi autem fructus sint Psalmodiarum, Iustinus enarrat; ἠδύνει γὰρ ἡ ψαλμῳδία τὴν ψυχὴν πρὸς ζέοντα πόθον &c. *id est, 1. Psalmorum cantio excitat animum ad fervens desiderium eius, quod in carminibus desiderabile est.*

2. Consopit affectiones, quæ ex carne oboriuntur.

3 Discutit improbas cogitationes, quæ ab invisibilibus hostibus nobis inspirantur.

4. Instigat animam, ut fructus divinorum bonorum ferat.

5. Generosos certatores in pietate perficit ad patientiam in rebus adversis.

6. Omnium in vita dolorum medela est pijs.

7. Gladium Spiritus Paulus nuncupat, quando contra invisibiles hostes armis instruit pietatis milites: ῥῆμα γὰρ ἐστι θεοῦ, τὸ καὶ ἐνθυμούμενον, καὶ ᾀδόμενον, καὶ ἀνακρουόμενον. *Nam Verbum Dei est, sive mente cogitetur, sive canatur, sive pulsu edatur.*

8. Dæmonum est ἀπελατικὸν, *sive depulsio.*

9. Perficiunt animam in virtutibus pietatis ea, quæ ex cantionibus Ecclesiasticis adhibentur pijs. Hæc Iustinus.

Duplicem quoq; fructum Psalmodiarum in Ecclesia esse: nempe quod psallentes, dum verba divina loquuntur, Deum in corde suscipiant; & eiusmodi cantibus in Deum devotio accendatur: innuit Papa Iohannes XXII. Extra-

travag. com. de vit. & honest. cler. his verbis. Dulcis omnino sonus in ore psallentium resonat, cum Deum corde suscipiunt, dum loquuntur verbis: in ipsum quoq; cantibus devotionem accendunt. Inde etenim in Ecclesiis Dei Psalmodia cantanda præcipitur, ut fidelium devotio excitetur: in hoc nocturnum diurnumq; officium, & missarum celebritates assiduè clero ac populo sub maturo tenore, distinctaq; gradatione cantantur; ut eadem distinctione collibeant, & maturitate delectent. Ubi simul docet Pontifex huic fini potissimum Psalmodias in Ecclesiam introductas & receptas esse, ut devotio in Deum accendatur & exuscitetur.

Ut autem Psalmodia, Spiritus Sancti operante gratiâ, suam excitet virtutem in animis, necessum est, verum, Deoq; gratum psallendi modum observari. Et de eo in quarta Synodo Carthaginensi Psalmodis & Cantoribus præceptum fuit in hanc sententiam: Vide, ut, quod ore cantas, corde credas, &, quod corde credis, operibus comprobes. Etiam cantantes & psallentes in cordibus Domino requirit Apostolus Ephes. 5. Quem locum ubi Hieron. lib 3. comment. ad cap. 5. Ephes. explicat, sic cantores alloquitur: Audiant ij, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce sed corde canendum: Audiantur cantica in timore, in operibus, in scientia scripturarum &c. Idem Hieronymi præceptum ascribitur in Iure Canonico, distinctione XCII. capitulo. Cantantes, &c. Ubi glossa duos adjecit versiculos:

Non vox, sed votum; non chordula Musica, sed cor;
Non clamans, sed amans cantat in aure Dei.

Et Chrysostomus in sermone de Davidicis canticis: Incinamus, inquit, animæ, à Diabolo, aut carnis nefarijs suggestionibus perturbatæ, cum alijs sacrarum Literarum scriptis etiam Davidica, & ita ut os canendo mentem erudiat: *neq; enim tenue illud, & exiguum videri debet; siquidem cum linguam ad cantum instruimus, pudebit animam, vel contraria alioquin sentientem, non saltem canentem illa imitari.*

Atq; in Ecclesia ne quid leviter & lascivè, sed omnia graviter & decenter, sub cantu fierent, sedulo cautum fuit atq; à canentibus & attendentibus summam verecundiam & modestiam præstitam fuisse legitur. Nam docta

C *sancto-*

ſanctorum patrum decrevit auctoritas (inquit Iohannes XXII. Pont. Max. in d. Extravag. com. de vita & hon. cler. in princ.) ut in divina laudis officijs, quæ debita ſervitutis obſequio exhibentur, cunctorum mens vigilet, ſermo non ceſpitet, & modeſta pſallentium gravitas placida modulatione decantet. nam in ore eorum dulcis reſonabat ſonus. In qua epiſtola decretali graviter reprehendit Pontifex illos cantores, qui contra honeſtatem clericalem, in melodijs ſuis nimis laſciviebant, atq; ut in poſterum abſtineant à levitate eiuſmodi, ſub pœna interminatur. Nec enim in tragœdorum modum guttur & fauces dulci medicamine leniendæ ſunt, ut in Eccleſia theatrales modi audiantur, & cantica. inquit Hieron. d. c. cantantes diſt. 92. Quanti item apud Veteres fuerit Pauli regula, de capite velando, 1. Corinth. 11. tradita, apparet ex libro, quem Tertullianus, antiquiſsimus ſcriptor Eccleſiaſticus, integrum ſcripſit: de vela. virg. in quo inter alia multis rationibus probat, inhoneſtum eſſe virginibus, ſi inter Pſalmos, vel in quacunq; Dei mentione retectæ ſint: Quantam caſtigationem, inquit, merebuntur illæ, quæ inter Pſalmos, vel in quacunq; Dei mentione retectæ perſeverant? Meritóne etiam in oratione ipſa facilimè fimbriam, aut villum, aut quodlibet filum cerebro ſuperponunt, & tectas ſe opinantur? Tanti caput ſuum metiuntur.

Atq; ita Choralis Muſica, ex Eccleſiaſtica Pſalmodia nata, & in Veteris & Novi Teſtamenti Eccleſiis introducta per Choros canendi ratio, eius deniq; Melodia, diſtincta modulandi varietas, multiplex fructus, devotè canendi modus & quâ eam dignati fuerunt, diſciplina & reverentia, hactenus diſcurſu cognoſci potuit: Nunc penitiùs diſcurrendum eſt in amplum campum frequentiſsimi uſus, qui Muſicam Choralem, Spiritus Sancti motu plenam, Deo gratam, Eccleſiæ neceſſariam, pijsq; animis utilem abundè probabit.

CAPUT. IV.

De Pſalmodiæ ſuavitate & gravitate pathetica, à Melopœis attemperata ad voces, modosq; Muſicos, non inutiliter inventos.

Inpri-

INprimis nunc attendatur CHORALIS *Musicæ gravis suavitas, & suavis gravitas, vivam continens Suadæ cœlestis medullam. Eamq; certè Autores non sine Spiritus Sancti instinctu ac præpulsu promere & exprimere intenderunt, tàm actuosa pronunciatione vocum singularum, & syllabarum tàm mirâ prosodiâ, idq; non cum assidua μονοτονίᾳ, sed cum flexabili, variaq; æquabilitate, & æquabili varietate; qua, dum voces ita sonant, ut à motu animi sunt pulsæ, vox animi piè & attentè affecti, interpres & nuncia coram Deo, Angelis & Ecclesia in oratoriis palàm redditur: Vt vox, os, & lingua confitens ad salutem, cum mente & corde credente ad justiciam, (Rom. 10.) in devota* HYMNOLOGIAE *exercitio audiantur amicè concertare, sibiq; mutuam dare palmam: Quemadmodum enim Poëtæ nequaquam carminis genere quolibet, quamlibet materiam exprimunt: quod monet Horatius (in arte poëtica)*

Versibus exponi tragicis res Comica non vult.

Et Ovidius:

Callimachi numeris non est dicendus Achilles;
Cydippe non est oris, Homere, tui:


Ita Melopœi, sive condendæ melodiæ artifices, pro rerum & verborum diversitate, Modos & notularum applicationes discretè variaverunt. Nam certè artificiosissimi instar Apellis fideli & cauto penicillo loquentium Notarum, modorumq; colore vivam sacræ eloquentiæ effigiem cum sanguine & succo verborum, cum nervis thorisq; sententiarum perspicuè ac evidenter repræsentare videtur ψυχαγωγὸς & flex .nima CHORALIS *Melodia, materiæ diversitati diversos motus moc is diversis attemperans: Etenim in miseratione, flebilem vocem ex corde coarctato; in metu, hæsitantem sonum ex corde punctim constricto; in voluptate & læticia spirituali, effusum, hilaratumq; vocum genus ex corde dilatato; in dolore deniq;, sive commiseratione, grave quiddam, & imo pressum, ac sono obductum, ex corde exæstuante & indignante accinit textui. Vnde* CHORALIS *Melodia eloquiorum Dei singulorum attentionem auribus, meditationem mentibus, affectionem solidamq; devotionem*


cordibus exsuscitat ac suppeditat longè efficaciùs Demodoci citharâ, quæ tacta in convivio Alcinoi Ducis, Vlyssi lacrymas extorsit, & abstersit deposita. Homer. Odyss. 8.

Cæterùm in condendis Melodijs, & aptandis Musicorum modis occupatos multos, Ecclesiarum Scholarumq́ celebravit historia.

IOHANNES DAMASCENVS *Theologus, qui ex Scriba Imperatoris factus est Monachus Damasci, circa ann. Christi 725. unà cum Cosma Majumensi Episcopo & Theophane fratre Theodori Graptorum Episcopi,* MELODI *sive* CANTORES *sunt cognominati, eò quod Melodijs comprehendissent eas cantilenas, quas decretum in Ecclesiis Christianorum cani iubet. Canticorum certè canones Ioannis & Cosmæ hactenus fuerunt incomparabiles. (Suidas & Cedrenus.) Idem Damascenus Characteres excogitavit, quibus intervalla ascendendi & descendendi exprimentibus, Psalmodiæ cantilena Choralis, quæ tùm in Ecclesia locum habebat sola, & scriberetur & caneretur. (Ioseph. Zarlinus.)*

Quinam verò & quales hi fuerint characteres, conjecturare difficile, imò impossibile est. Sanè huius modi fuisse, qualibus nos nunc communiter utimur, nemo mihi facilè persuaserit. Nam nec eos admodum vetustos, nec semper & constanter usurpatos esse, argumento est vetus quoddam Missale, quod extat in illustri Bibliotheca Guelphica, quæ est VVolferbuti. Perscriptum id est eleganter & artificiosè, in puro & mundo pergameno, anno, ut frontispicium libri perhibet, nongentesimo decimo quinto; sed quia id ab aliena manu est, conjecturam caperem multò etiam antea scriptum fuisse. Vt verò cuilibet pateat scriptura & characteres illius libri quales sint, exempla ad vivum expressa exhibemus, unum atq́ alterum.





De Hebræorum accentibus hic etiam quædam addenda fuisse, videri posset: quandoquidem quibusdam instar Notarum fuisse putantur. Sed cum res obscura sit & ignota, ut prætermitteretur, satius duxi. Nam ex Grammaticorum & Rabinorum scriptis constat, atq; ipse ego à quodam natione Iudæo Christianismum professo (qui etiam nunc Ecclesiastæ munia obit in provincia Anhaldina) cui nomen Christianus Gerson accepi, apud Iudæos modernos non constare de accentibus & melodijs Psalmorum, aliarumq; cantionum veteris testamenti, nec titulis quibusdam Psalmis præfixis. Quin & Iudæos in Poloniâ degen-

degentes, aliâ melodiâ uti in canendis Psalmis, quàm quos Germania habet: iisdem tamen uti accentibus. Et sanè accentus in canendo non attendere, vel id argumento est, quod aliter diebus festis majoribus, aliter minoribus canant, nec mutent accentus. Imò omnem planè accentuum rationem Iudæis incognitam nunc temporis esse patet ex eo, quod nesciant quamobrem in Decalogo quælibet vox duplici signetur accentu. Non igitur operæ pretium esse putavi plura de accentibus tradere, quæ quisque ex Schindlero, D. Rennemanno, aliisquè Grammaticis libellis petere potest.

Vt verò ad rem redeamus: PIPINVS, *Caroli Magni parens, à Pontifice Rex Francorum creatus, Romanorum ritus & cantus in Gallias attulit, anno Dni. 751. (Sigebertus.)* CAROLVS *Magnus dissonantiâ Ecclesiastici cantus inter Romanos & Gallos offensus, duos clericos Romam misit, ut authenticum cantum à Romanis discerent & Gallos docerent. Per quos primum Metensis Ecclesia, hinc omnis Gallia ad auctoritatem Romani cantus revocata est, anno Domini 774. Sigebert. & AEmylius lib. 2.*

Cum post annos sedecim iterum in psallendo & legendo esset à Romanis etiam in Metensium Ecclesia variatum, CAROLVS *per Cantores ab Adriano missos eam dissonantiam correxit, anno Domini 790. opera Pauli Varnefridi, qui ei à sacris erat; (Sigebertus.) Cumque ex* GREGORII *instituto quatuor duntaxat Tropi seu Modi, Phrygius, Dorius, Lydius, Mixolydius, quos vulgus Cantorum Tonos Authentos vocat, in usu fuissent; ne Latini ulla ex parte Græcis cederent; Ducem à Comite divisit, quatuor subdititios modos à quatuor primariis distinxit, Octo Tropos fecit: illos Cantores Plagios, id est, Obliquos nuncupant. Nec alio consilio hoc fecit, quàm ut Ecclesia omnem Scripturæ verborum δεινότητα ac potentiam congruentibus sonis exprimere posset: & ut scripturæ Concentuum suavitate conspectiores in cœtu Christianorum redderentur. Etiam cum Græci legati Aquisgrani patriis ceremoniis rem divinam facerent & psallerent, Magnus qui occultè subauscultabat, captus dulcedine cantus, jussit eos numeros excipi. (Aventinus lib. 4. annalium Bojorum & Iacobus Curio, lib. 2. Chronicorum.)*

Et ROBERTVS *Carnotanus Episcopus doctrina & sanctitate vitæ insignis, multa scripsit & canendi modum in sacris meliusculum reddidit, sub*

Grego-

Gregorio V. Pontifice & Roberto Gallorum Rege, Magni Hugonis filio. (Platina.)

Claruit quoq; in Italia GVIDO *Aretinus sub Conrado II. & Henrico III. Impp. Hic ignotos cantus brevissima omnium via pueros docebat, omnia ad varia instrumenta Musicorum applicans. Sigebertus in Chronicis eum circiter annum Christi MXXIIX vixisse scribit. Volaterranus lib. 21. De eo sic Cranzius lib. 4 cap. 18. Metropoleos:* GVIDO *per varias regiones proficiscens corruptam Musicam emendavit & per flexuras articulorum in manibus cantum discernere docuit; Scalam vulgò vocant.* HERMANNVS *ArchiEpiscopus Hamburgensis &* ELVERICVS *Osnaburgensis Episcopus eius opera usi sunt. Ex sapphicis hemistichÿs Hymni in memoriam D. Iohannis Baptistæ conditi & hodie correcti (Is hymnus ad raucedinem pellendam olim adhibebatur, cum Ioannes Baptista vox clamantis dictus, clamantium & canentium in cœnobÿs tutelaris Deus crederetur pontificia superstitione) sex illas syllabas Musicales* VT RE MI FA SOL LA, *ingeniosè scribitur desumsisse:*

VT queant laxis REsonare fibris
MIra Baptistæ FAmuli tuorum
SOLve polluti LAbij reatum
Sancte Iohannes.

Præcipuam autem laudem inter nostri seculi Melopoeos jure sibi vendicat in Germaniæ Ecclesiis gravissimus & suavissimus Lutheranæ *Citharæ conditor* IOANNES VVALTHERVS *in Ioan. Friderici & post Mauritÿ Ducum Saxon. & Electorum aula Capellæ Magister, cujus in Chorali conatus & studium ex ipsius manuscripto, memorandum occurret in Titulo generali Liturgodiæ Sioniæ præfixo.*

Sed ad efficaciam & fructum Psalmodiæ pergamus.

CAPUT

Caput V.

De efficacia, & religioso devotoquè fructu Psalmodiæ, quod veritatis divinæ meditatione ac celebratione numerosa, convenientes coram Deo & Angelis erga proximum & adversus Satanam affectus ubique solenniter excitet.

Certè in Chorali Musica & Psalmodia Ecclesiæ gratam de Deo famam esse sparsam, devotæ fidei mens deprehendit: Siquidem sacrarum rerum argumenta, veritatis Christianæ documenta, confessionis de Christo mysteria, & non superstitiosa Apostolorum martyria, religiosa item supplicis Ecclesiæ vota & suspiria, eaq; omnia fidei regulæ & canoni tàm analoga, ut ne latum quidem unguem à Prophetico & Apostolico fundamento recedant, strictis notarum numeris, & certis tractuum ambituumq; modis, ad singula verborum & sententiarum pondera librat, appendit & meditatur, meditandaq; Cantori non oscitanti, excitatoq; auditori, exhibet.

Verissimum etenim est encomium, quo Musicam φιλόμουσος *illa luscinia,* (Philippum *puto* Melanchthonem) *commendavit: Nihil dulcius, inquiens, est homini non monstroso, quàm doctrina verbis rectè illustrata, quæ bene harmonijs ad aures atq; animos profertur. Et sensus testantur, tali Musica flecti animos, tùm ad dolores, cùm audiunt querelas de nostris delictis, vel lugubres cantilenas de pœnis: tùm verò etiam leniri, cùm audiunt dulciores melodias de Dei misericordia, & accendi ad invocationem.*

Et quod de Psalmorum usu in præfatione primi Psalmi scribit Basilius, idem de Musica affirmari potest: Psalmodia enim & Musica Choralis Ecclesiæ est lætitia, tranquillitas animarum, pacis caduceus, qui omnes fluctus & procellas timoris & affectuum sedare potest: iram enim placat, lasciviam refrenat, amoris est conciliatrix, dissidentium compositrix, inimicorum reconciliatrix. Quis enim inimicum, cum quo unam ad Deum emittit vocem, putaverit? Itaque charitatem, quæ maximum est bonorum, Psalmodia præstat, ac in unius consonantiam populum coaptat. Psalmodia Dæmones in fugam conijcit, & Angelorum

gelorum auxilia conciliat, securitatem in timoribus nocturnis exhibet, requies est diurnorum laborum, infantium tutela, juvenum præsidium, senum solatium, mulierum ornatus convenientissimus; in solitudine dulce diversorium præbet, forum moderatur; incipientibus institutio, proficientibus augmentum, absolutio, firmamentum, Ecclesiæ vox. Insuper solennitates illustrat, tristitiam, quæ ex Deo est, operatur, lacrymas è corde lapideo provocat. Psalmodia est opus Angelorum τὸ οὐράνιον πολίτευμα, cœlestis Hierosolymæ gubernatio & societas, spirituale thymiama & suffimentum: O admirabilem Magistri cœlestis sapientiam, qui unâ eâdemq; operâ simul & canere, & utilia discere instituit! Hæc cum Basilio.

Caput VI.

De Vsu Psalmodiæ μνημονευτικῷ καὶ παιδευτικῷ, quod institutioni & memoriæ inserviat, orthodoxè adhibita Melodiæ applicatione, quam hæretici corruptelis instillandis malè apponunt, vel abolere conantur.

ETiam cantica & carmina cùm propter cantionum brevitatem, tum propter numerosam rotunditatem, veluti succincta quædam apophthegmata, memoriæ facilè mandantur, animo diutissimè inhærent, & celerrimè succurrunt. Per Choralem etenim, tanquam canalem, mystica sacrorum verborum gratia, vivi instar fluminis, ex ore canentium, auscultantium cordi unanimi influit ac instillatur, & semel recepta, eiusdem Choralis beneficio, memoriæ pristinæ facilè recurrit.

Qua de re pulchrè scribit Basilius: Quoniam Spiritus Sanctus mortale, inquit, genus ad voluptatem proclive, & ad virtutem persuasu difficile, nosq; propterea ad voluptatem proclives sumus, rectam viam contemnere vidit, quid fecit? Melodiæ jucunditatem cœlestibus doctrinis immiscuit, ut aurium oblectatione deliniti sermonis utilitatem latenter, & re à nobis non animadversâ susciperemus. Idq; facit more sapientis Medici, qui, pueris medicinas aliquantò austeriores daturus, melle poculum circumlinit, ne nausea bibentibus obrepat; Sic nobis, qui in Spiritualibus verè sumus pueri, hæc apta modulamina Psalmo-

rum offeruntur, ut ſpecie quidem oblectare videantur, re autem verâ nos de divinis myſterijs rectè inſtruant, menteſq́ noſtras perpurgent.

Vnde fit, ut ex ijs, qui tardiori præſertim ſunt ingenio, non facilè quiſpiam reperiatur, qui Apoſtolicum, ſeu Propheticum aliquod præceptum, ediſcat; Pſalmorum verò protinus recordantur: Hos & domi cantant, & foris obmurmurant, & in agro circumferunt, (Sic Baſilius.) atque ut illud Nazianzeni dictum: μνημονευτέον τούτου (χριστοῦ) μᾶλλον ἤ ἀναπνευστέον, *Magis recordandum eſt huyus (Chriſti) quàm reſpirandum: contemplentur & obſervent, Muſica ſuppeditat argumentum & recordationem.*

Auguſtinus *idem hoc comprobat, cùm beatam & ſanctam vitam prædicat, qui inter labores Pſalmos & cantica divina cantillant: An ignoramus, inquit, Opifices, quibus vanitatibus, & plerumq́ turpitudinibus theatricarum fabularum donent corda & linguas, cùm manus ab opere non recedant? Quid ergo impedit ſervum Dei manibus operantem, in Lege Domini meditari, & pſallere nomini Domini altiſsimi? Cantica enim divina cantare & manibus operantes facilè poſſunt, & ipſum laborem tanquam divino celeuſmate conſolari. (Auguſt: de opere Monachorum cap. 17.)*

Animadverterunt hoc Veteres; ideoq́ non ſolùm in Eccleſiæ congreſſibus Pſalmos decantarunt, ſed eoſdem etiam teneræ ætatis pueris juxtà ac puellis inſtillârunt. Quòd in Scholis Præceptores & Pædagogi Pſalmos inculcarint pueris, id ex vita Gregorij Agrigentini apud Metaphraſten clarum eſt.

Etſi fuerunt hæretici, qui corruptelarum tetrarum virus obtexerunt Melodiæ ſuavitate, quò craſſos errores ex hymnis depravatis imbiberent animi: tamen divinitus excitati orthodoxi à ſuperſtitioſo vanoq́ cultu vindicarunt Eccleſiæ cantus, & ad veram Dei ter Sancti agnitionem ac laudem adhibuerunt, non ſecus atq́ inaures & armillas, AEgyptiorum ſpolia, quibus illi ſuperbè & ſuperſtitiosè abuſi fuerant, in veriorem Sanctuarij uſum religiosè conferre didicerant Iſraëlitæ. De quo ſimili Niceph. lib. 10. cap. 26, & Auguſt. lib. 2. de Chriſtiana doctrina. cap. 40.

Sic Harmonius *Syrus, magni illius Ephraimi diſcipulus, patrijs vocibus legitimis modis, Muſiciſq́ numeris incluſis, ordine circulari eas cani inſtituit, ut patriam*

patriam hæresin lyricis modulis aspergeret, quibus multi ex Syris propter verborum venustatem & sonorum numeros demulsi paulatim opinionibus Bardesanæ patris recipiendis sunt assuefacti. At eâ re cognitâ Divus Ephraim Harmonij numeros moderatus est: atq; ejusmodi modulis, carminibus Ecclesiasticæ sententiæ consonis adjectis, Syris ea canenda dedit. Ex quo tempore huc usq; Syri psallentes non quidem carminibus ipsis, sicuti sunt ab Harmonio prodita, sed sonis tantùm eorum utuntur.

Quòd verò etiam virgines à primis annis Psalmodias edoctæ fuerint, id ex historia Publiæ, Diaconissæ Antiochenæ, quæ ludo virginum ibidem præerat Magistra, apud Theodoretum cognoscere licet: lib. 3. cap. 19.

Sic enim liberos suos Christianæ religionis capita facilimè discere, diutissimè retinere, & promptissimè memoriâ reddere posse, persuasum habuerunt.

Quod cùm videret Diabolus, Psalmodiis piorum suam sibi potentiam infringi, regnumq; devastari, idcirco quovis tempore psallendi exercitium è scholis & templis removere manibus pedibusq; (quod dicitur) obnixè dedit operam.

De Paulo Samosateno *legimus, quòd Psalmos, qui in gloriam Christi canebantur, divinitatem ejus asserentes, nec non* Hymnos, *ad illorum imitationem à fidelibus compositos, ex Ecclesia sustulerit; in media verò concione populi magno die Paschatis mulierculas subornaverit, quæ de seipso psallerent, quæ si quis audiret, horrore concuteretur (Euseb. lib. 7. cap. 29.)*

Rectè itaq; judicat Megalander Lutherus in Epistola ad Senfelium Musicum: Scimus, inquit, Musicam Dæmonibus etiam invisam & intolerabilem esse. Et planè judico, nec pudet asserere, post THEOLOGIAM *esse nullam artem, quæ possit Musicæ æquari: Nam ipsa sola post Theologiam id præstat, quod alioqui sola Theologia præstat, &c.*

CAPUT VII.

De usu Psalmodiæ ἐκκλησιαστικῷ in Encænijs & dedicatione Templorum.

EST sanè ut verum usum Templorum commonstrarent, & ad studium Verbi divini auditores redderent alacriores, Psalmorum oracula non tantùm concionibus exposuerunt; sed etiam Psalmodiis iterarunt. Iucundum est ex Euseb. lib. 10. histor. Ecc. cap. 4. videre & audire Encænia *Christianorum, qui ad templorum consecrationem sine superstitiosis & inanibus ac theatricis pompis celebratam, certos Psalmos adhibuerunt; quibus uni Deo salutem Ecclesiæ commendarunt, & Pios sustentarunt adversùs Tyrannorum crudelitatem, atq; Ecclesiam excitarunt, ad ponderandum cum gratitudine tranquillitatem, sub præsidio Monarcharum Orthodoxorum, atq; ad seriò agnoscendum collectionem & propagationem Ecclesiæ in Novo Testamento. In* Encæniorum *enim solennitate Christianos hæc verba è Psalmis decantasse, Eusebius & alij memorant:*

Psal. 37. Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum, ut sagittis petant pauperem & inopem, & occidunt rectos corde; Gladius eorum intret in cor eorum, & arcus illorum confringatur.

Psal. 9. Perijt memoria illorum cum sonitu, & nomen illorum delevisti in seculum, & in seculum seculi.

Psal. 19. Cum in malis essent, clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos. Eripies me de contradictoribus populi, constitues me in caput gentium.

Psal. 20. Illi impegerunt & ceciderunt, nos autem surreximus & erecti sumus.

Psal. 44. Deus, auribus nostris audivimus, Patres nostri annunciaverunt opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.

Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos, afflixisti populos, & expulisti eos.

Psal.

Psal. 48. Sicut audivimus, sic vidimus in virtute Dei nostri: Deus fundavit eam in æternum.

Psal. 84. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum &c.

Psal. 122. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus: Stabunt pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem.

CAPUT VIII.

De virtute & fructu Psalmodiæ ἰδιοποιητικῶ, quæ decantati textus verba canens, vel auscultans cum compunctione & conversione pro suis usurpat.

PLurimum etiam admiranda, omniq; veneratione digna est dignitas Musicæ Ecclesiasticæ, præsertim Choralis, cui Spiritus Sanctus tantam inspiravit gratiam & efficaciam, ut tàm devotè auscultans, quàm attentè decantans decantata verba ad sese accommodare, eademq; pro suis usurpare non dubitet. Quæ enim ab Athanasio de Psalterij dignitate disseruntur, de tota Musica Ecclesiæ dici possunt: In Musica quippe Ecclesiastica Chorali peculiaris est sermonis character, omnibus hominis cuiusq; affectibus conveniens, qui in Psalmis, Hymnis, Prosis, Responsorijs, Antiphonis & reliquis textibus illud peculiare habet miraculum, quod cujusq; animi motus, motuùmq; immutationes & castigationes depictas, & vivis imaginibus expressas complectitur, ut singulis inde velut ab exemplari desumere atq; intelligere licitum sit, eodemq; modo se formare, qui ibi præscriptus est.

Ex Musica, sacros sermones decantante, affectiones sui animi auditor advertit, & reperit, quam morbo medelam adhibeat: Et proinde in sacris canticis illud miri est, quòd, qui psallit, sua se verba in re pietatis suæ canere opinatur, & quilibet ita psallit, quasi de se ea ipsa, quæ psallit, conscripta essent, & tanquam de seipso sermo fieret, ita mentem suam ad Deum dirigit. Atq; ita fit, ut ea velut prævaricator mandati; vel ut observator audiat, quæ ad ipsius indolem actaq; pertinere videantur. Atq; adeò ut is, qui psallit, ex canticis sacris vicem speculi usúmque habeat, quo & ibi animi sui motus consideret, & considerando

verbis confiteatus. Nam qui audit sacros cantus, eósq; putat de se loqui, ille aut reprehensus à conscientia compungitur, aut de spe in Deum audiens, deq; retributione credentium non aliter, quàm de sua retributione exultat, Deoq; gratias agere incipit &c. & voces Deo quasi suas ac proprias accinit.

In summa quilibet Psalmorum eâ formâ verborum conceptus est à Spiritu Sancto, & ita temperatus, ut in illis motus affectuum nostrorum animadvertamus, omniaq; illa putemus de nobis referri, ac nostramet ipsorum esse. Unde fit, ut memores nostrorum affectuum, nostra in melius commutemus. Quæ enim in Psalmis canuntur, ea formulæ nostræ & exemplaria esse possunt. Hæc cum Athanasio.

Sic quoq; ipsi quandoq; nobis occinimus & concionamur, quare publicè tantis tempestatibus & calamitatibus obnoxij simus, & privatim quisq; suos patiamur manes. Quod fit in omnibus illis Psalmis, qui impijs & à lege Dei prævaricantibus iram denunciant divinam. Cuius generis est canticum illud, quod Moses moribundus jussu DEi Deuteron. 31. scribit publicè legendum, & à singulis decantandum, ut Israëlitis beneficentiam DEi & ingratum istorum animum testatum faceret; atque ipsimet pœnarum sensu provocati sibi reatum & culpam, Deo autem omniscientiam & justitiam tribuerent, & DEum excusantes seipsos accusarent, atq; pœnitudine ducti in melius vitam mutarent. Sic enim legitur de mandato DEi Deuteron. 31. v. 19. Nunc itaq; scribite vobis Canticum istud, quod doceas filios Israëlis, indendo illud ori ipsorum, ut sit mihi hoc ipsum Canticum loco testis contra filios Israëlis. Usum Cantici graviter his inculcat DEus verbis. v. 21. Erit igitur, cum obvenerint ei mala multa atq; angustiæ, ut testetur Canticum hoc in faciem eius loco testis (non enim oblivioni tradendum est, quin versetur in ore seminis eius) me cognovisse figmentum eius, quid is sit facturus jam hodie antequam ducam eum in terram quam juramento promisi.

Mosis institutionem exhibet. v. 22. scripsit igitur Moses Canticum istud die illo, quod docuit filios Israelis. Et v. 30. Elocutus est itaq; Moses audiente tota congregatione Israëlis verba cantici huius usq; ad finem eorum. Canticum ipsum extat sequenti capite 32. graviter commendatum, cùm comminatione, tum consolatione plenissimum.

Caput

CAPUT. IX.

De usu Psalmodiæ θαῤῥηλικῷ in persecutione pro veritatis oppressæ assertione, ad compungendum Satanam & Tyrannos simul ad animandum pressos, & ad convincendum hæreticos.

CHorali *quoq; Musica & Psalmodia inspirata est tyrannos & hæreticos percellendi vis maxima. Quo pacto tyrannorum crudelitatem Christiani olim in primitiva Ecclesia adhibitis Psalmorum cantilenis animo magno contempserint, & superaverint, hinc inde historia Ecclesiastica testatur.*

Memorabile imprimis est, quod Theodoretus lib. 3. hist. Eccl. c. 10. annotavit: Pythius Daphneus coram Apostata Iuliano, futurum expeditionis in Persas eventum expiscante, simulavit se osibus Babylæ & Martyrum prohiberi, quò minùs oracula edat; Eo comperto Iulianus, cùm teneret ex antiqua adhuc pietate Martyrum potentiam, ipse quidem inde corpus mortuum transtulit nullum; reliquias autem Martyrum tradidit deportandas Christi cultoribus, qui cupidè in locum venerunt, & arcam plaustro imposuerunt, praeuntibus turbis, & choreis & cantibus Davidicam melodiam insonantibus, & singulis membris accinentibus: ex Psal. 96. Confundantur omnes, qui adorant sculptilia. Quo nihil rectius & aptius in Tyrannum & ferventem eius iram dici potuisset. Hæc in auribus profani Principis (ut Ruffinus lib. 1. cap. 35. commemorat) per sex millia passuum facta exultatione psallebat omnis Ecclesia, ut cælum clamoribus resultaret: Vnde & ille in tantam iracundiæ rabiem deductus est, ut altero die comprehendi Christianos passim & trudi juberet in carcerem, & cruciatibus affici. Ruffinus ibidem cap. 36. adjicit historiam de Theodoro juvene, dignam notatu quæ sic habet: Salustius Præfectus mandata Tyranni in Christianos exequebatur invitus, minimeq; hanc eius sævitiam approbans, licèt gentilis esset: Apprehensum itaq; unum quendam adolescentem, qui primus occurrit, Theodorum nomine, à prima luce usq; ad horam decimam tantâ crudelitate, & tot mu-

tatis

tatis carnificibus torsit, ut nulla ætas simile factum meminerit. Cùm tamen ille in equuleo sublimis, & hinc inde lateribus instante tortore nihil aliud faceret, nisi quòd vultu sereno ac læto Psal. 96. quem pridie omnis Ecclesia cecinerat, iteraret; Cumq; se omni expensâ crudelitate Salustius nihil egisse perspiceret, recepto in carcerem abiisse fertur ad Imperatorem, & monuisse, ne tale aliquid inposterum tentaret; alioquin illis hoc gloriæ, Imperatori ignominiæ futurum.

Addit Ruffinus, se eum juvenem postea Antiochiæ vidisse, atq; interrogasse, num cruciatus tormentorum sensisset: illum autem respondisse: se quidem dolores parùm admodum sensisse, adstitisse autem sibi quendam juvenem, qui sudanti sibi candidissimo linteo & sudores abstergeret, & aquam frigidam frequenter infunderet, & ita se esse delectatum, ut tunc mæstior factus sit, cùm è tortura deponeretur. Meminit eiusdem historiæ Augustinus lib. 18. de civitate DEi cap. 52.

Majore admiratione digna est Publiæ fœminæ virilis & rara fortitudo, quam ex Psalmis Davidicis hausit & probavit.

Erat Iuliani Apostatæ temporibus Publia, *nobilissima fœmina, & celeberrima propter egregiam virtutem suam. Hæc cùm in Ecclesia Antiochena Diaconissæ officio fideliter fungeretur, habebat secum cœtum virginum, castitatem vitæ professarum, semperq; celebrabat DEum creatorem ac Servatorem. Prætereunte verò Imperatore altiùs carmen commune modulabantur, contemtui nimirum & risui habentes furias illius. Accinebant autem potissimùm ea, quibus simulacrorum infirmitas incessitur, cumq; Davide ex Psal. 115. insonabant: Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum humanarum: Et narratione, quàm nihil sentirent, absolutâ addebant: Similes iis fiant, qui faciunt ea, universi illis freti. His Iulianus cum summo dolore auditis, imperat illis, ut se prætereunte sileant. Publia verò parvi pendens leges & minas illius, majore cum cura* Choros *instituit, jussitq;, ut veniente illo canerent Psal. 67: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. At Iulianus graviter ferens, adduci ad se imperavit Magistram, & conspectâ anu venerabilis senectæ, neq; misericordiâ canorum motus, neq; honore habito virtuti ipsius, jubet unum de satellitibus utramq; ei genam alapis affligere, & manibus reddere rubentem. Ea verò maximi in honoris loco positâ hâc contumeliâ revertitur domunculam*

suam,

&, ut antè consueverat, impetebat illum Spiritualibus carminibus, imitata autorem ipsorum & Doctorem, qui Spiritum malum illum Saulis hac arte represserat. (Theodoretus lib. 3. cap. 19.)

Tempore persecutionis ob singularem consolandi vim Psalmodiarum consuetudo Mediolani cæpit, ut Augustinus pluribus commentatur, & ait; Non longè cæperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consolationis & exhortationis celebrare magno studio Fratrum, concinentium vocibus & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multò ampliùs, cum IVSTINA, Valentiniani *Regia pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequeretur, hæresis suæ causâ, quâ fuerat seducta ab Arrianis. Excubabat pia plebs in Ecclesia, mori parata, cum Episcopo suo, servo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, solitudinis & vigiliarum primas partes tenens, orationibus vivebat, Nos adhuc frigidi à calore Spiritus tui, excitabamur tamen civitate attonitâ atq; turbatâ. Tunc Hymni & Psalmi ut canerentur secundum morem orientalium partium, ne populus mæroris tædio contabesceret, institutum est: Et ex illo, in hodiernum retento, multis jam, ac penè omnibus gregibus tuis, & per cætera orbis imitantibus.*

CAPUT X.

De usu Psalmodiæ ἐπανορθωτικῷ καὶ τῷ πρὸς παλιγγενεσίαν, (per πρόληψιν sive objectionis ex Augustino præoccupationem) ad corrigendum & convertendum in fide errabundos & Catechumenos.

N*On sine magno Spiritus Sancti motu, Musica* Choralis & Psalmodia *veritatis Christianæ dogmata, tàm validè asserere potuit, contra hæreticas opiniones, ut ijs imbutos sæpe correxerit, & verâ fide illuminârit. Eaq; causa præcipua est, ob quam in Ecclesia primitiva assiduè Choralem Musicam tractarunt, & ad Davidicorum exemplum suos Psalmos & Hymnos in honorem Christi composuerunt.*

Eusebius *lib. 5. Eccles. hist. cap. ult. impia hæresi Artemonis, & aliorum eius Secta, qui divinitatem Christi pernegarunt, Psalmos fidelium opponit, ita*

ſcribens: Quot ſunt Pſalmi, inquit, & Cantica, ab initio à fidelibus Fratribus ſcripta, quæ Chriſtum, Dei Verbum, tanquam Deum, celebrant & laudant? Quamvis Auguſtinus, *quandoque nimis rigidus fuerit Muſices cenſor, ut lib. Confeſsionum 10. cap. 33. fatetur, quòd melos omne cantilenarum ſuavium, quibus Davidicum Pſalterium frequentatur, ab auribus removeri voluerit: attamen eodem in capite concludit, quòd Muſica in Eccleſia retineri debeat: Veruntamen, inquit, cum reminiſcor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuæ, in primordijs recuperatæ fidei meæ, & nunc ipſe commoveor, non cantu, ſed rebus, quæ cantantur, cùm liquida voce & convenientiſsima modulatione cantantur, magnam inſtituti huius utilitatem rurſus agnoſco. Idem Auguſtinus lib. 9. Confeſſ. cap. 6. & 7. percenſet, quo pacto Mediolani, unà cum Alipio, & filio ſuo, puero ſedecim annorum, quem nominat Adeodatum, Baptiſmi lavacro Eccleſiæ inſitus, & quantopere ad ſtudium Verbi divini hymnis & canticis ſpiritualibus excitatus fuerit: Nec ſatiabar, ait, illis diebus, dulcedine mirabili conſiderare altitudinem conſilij tui, ſuper ſalutem generis humani: Quantum flevi in hymnis & Canticis tuis, ſuavè ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter: Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis. Et quo pacto Auguſtinus, poſtquam à Manichæorum hæreſi ad veram Chriſti agnitionem converſus eſſet, Hymnos DEo cecinerit, attendendum ipſe exhibet lib. 9. Confeſſ. cap. 4. errorem, pœnitentiam & converſionem ingenuè fateri non tergiverſatus: Quas tibi Deus, inquit, meus voces dedi, cum legerem Pſalmos David, cantica fidelia & ſonos pietatis, excludentes turgidum ſpiritum, rudis in germano amore tuo catechumenus, in villa cum catechumeno Alipio feriatus &c. Quas tibi voces dedi in Pſalmis illis, & quomodo in te inflammabar ex eis & accendebar &c. Quàm vehementi & acri dolore indignabar Manichæis &c. inhorrui timendo, inferbui ſperando, & exultando in tua miſericordiâ, Pater. Et hæc omnia exibant per oculos meos, & vocem meam, cùm converſus ad nos ſpiritus tuus bonus, ait nobis: Filij hominum quouſque graves corde? Vt quid diligitis vanitatem & mendacium. Pſal. 4. &c. Audivi & contremui, quoniam talis dicitur, qualem me fuiſſe reminiſcebar, in phantaſmatis enim, quæ pro veritate tenueram, vanitas erat, & men-*

mendacium, & insonui multa graviter, & fortiter in dolore recordationis meæ. Quæ utinam audissent, qui adhuc diligunt vanitatem, & quærunt mendacium: fortè conturbarentur, & evomuissent illud, & exaudires eos, cum clamarent ad te &c. Hactenus Augustinus.

CAPUT XI.

De usu Psalmodiæ illustri in aulis Imperatorum, per transitionem ab Ecclesiastico & scholastico ad domesticum, privatumq; usum.

NEC *minùs efficacem ea, quæ usu scholastico & Ecclesiastico hactenus fuit expressa, vim Musicæ* Choralis *&* Psalmodiæ *continet & exerit usus cùm Aulicus, tum Domesticus & privatus, quo Hymnologia exercitata fuit, non tantùm in vita, sed etiam in ipsa morte & martyrijs.*

Aulicæ Musicæ virtus insignis apparet exemplis Theodosii & Constantini.

Cùm Theodosius Imperator *ob statuas, per seditionem dejectas, populo Antiocheno graviter irasceretur, & exquisitissima suppliciorum exempla, magnamq; stragem civium minaretur,* Flavianus, *Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, non modò in publicis privatisq; Christianæ plebis congressibus Deum hymnis & Psalmis invocari voluit, ut iram Imperatoris mitigaret, sed easdem etiam lugubres, & ad æternum DEum supplices cantilenas adolescentibus tradidit, qui ad mensam Imperatoriam canere solebant, ut illas coram Imperatore concinerent. Quibus valde luctuosis Imperator ita fuit commotus, ut cum phialam manibus teneret, lacrymis abstinere non potuerit: Eaq; ratione urbi, cui gravissimè ob negatum tributum, & per seditionem dejectam uxoris Placillæ statuam succensebat, reconciliatus est, omnemq; iram ilico ex animo deposuit. (Refert. Sozomenus lib. 7. cap. 23.)*

Quemadmodum autem Theodosius Imperator ad mensam Psalmos Davidis audire non dubitavit: ita de Constantino Imperatore *commemorat Eusebius libro primo vitæ ipsius, quòd in aula sua ministros aluerit, qui supplicationibus*

tionibus pro Imperatore, Imperijq́; salute & incolumitate perpetuò vacarent, sacrosq́; Psalmos in honorem divinæ Majestatis concinerent: In Ecclesiæ etiam congressibus Psalmos cantare primus ipse incæpit.

Et ipse Salomon, *Davidis filius, inter ardua Regni negocia in hortis* Engaddæ *Canticum Canticorum in morem Dramatis cecinit, quo nihil suaviùs Hebræorum lingua sonat, nihil sanctiùs interpretationis allegoria explicat.*

Caput XII.

De usu Psalmodiæ δειπνολόγῳ καὶ συμποτικῷ in convivijs, etiam Psalmorum Consuetudinariorum officio peractis.

IN convivijs etiam ad mensam, cibi & potus sumptionem hymnis δοξολογικοῖς exceperunt Christiani, quod Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagog. cap. 4. multa in lascivam Musicam impiarum cantilenarum graviter dicens, disertè refert: Duplex sit, inquit, nostra apud potum φιλοφροσύνη, modestiæ studium, juxta Legem, quæ jubet, ut diligas Dominum Deum tuum, *& postea* proximum tuum. *Prima quidem erga Deum hilaritas modesta fiat, per Gratiarum actionem & Psalmodiam: Secunda autem, quæ est in Proximum, per honestam, & gravem conversationem. Verbum enim Domini habitet inter vos copiosè, dicit Apostolus, Col. 3. Hoc autem Verbum se accommodat, & reddit conforme temporibus, personis, locis, atq́; adeò nunc quoq́; in convivio versatur. Rursus enim subjungit Apostolus: In omni sapientia docentes, & admonentes vos ipsos Psalmis, hymnis & canticis spiritualibus, in gratia canentes in corde vestro Deo. Et rursus: Quicquid feceritis vel in sermone, vel in opere, omnia in nomine Domini Iesu, gratias agentes Deo & Patri eius. Hæc est gratiosa & jucunda nostra commessatio.*

Et quòd potum hymnis exceperint Veteres, idem porrò Clemens testatur: Quemadmodum antequam sumamus cibum, laudare nos convenit Factorem universorum: ita etiam in potu ei decet psallere, cùm eius Craturarum efficimur participes.

Etiam

Etiam Christus ipse Servator noster, quoties cibum capere & porrigere voluit, ab εὐλογίᾳ & εὐχαριστίᾳ auspicatus est: ex quo, tanquam infallibili charactere, & perpetuo eius more, quamprimùm fractioni precationem iunxerat, Emaunta profecti ipsum agnoscunt, & apertis oculis asseverant fuisse Dominum. Et Christum Servatorem nostrum, suis cum discipulis ad cœnam Agni Paschalis Hymnum vel recitasse, vel cantasse, historia Passionis Matth. 26. clarè testatur. Solebant enim Iudæi, cùm in alijs festis solennibus, tùm maximè in Paschate peractâ cœnâ poculum circumferre, quod nominabant COS HALEL, *idest,* ποτήριον ὑμνήσεως, *Poculum laudationis, ita dictum quòd, eo per cœnam circumlato, canebatur unus ex Psalmis Davidicis, qui incipiunt à verbe* HALLELVIAH, *idest, Laudate DEum. Sunt autem complusculi illorum in Psalterio: & Psamus 113. is esse putatur, quem Dominus peractâ cœnâ ultimâ dixerit; in quo inter alios versiculos hi insignes habentur: Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis &c. Extat in codice Rituali.*

Et Apostolorum ætate Psalmos ad mensam esse recitatos & cantatos, indicio est Apostolus 1. Cor. 10. regulam tradens mensalem: Sive edatis, sive bibatis, sive quid aliud agatis, omnia in gloriam Domini faciatis. Ad Ephes. cap. 5. ait: Ne inebriemini vino, in quo est luxus, sed pleni estote Spiritu, colloquentes inter vos de Psalmis, & Hymnis, & Canticis Spiritualibus, canentes & psallentes in cordibus vestris Domino. Et Iacobi 5. vers. 13. Bono est animo quis: psallat. εὐθυμεῖ τίς ψαλλέτω. Ist jemand guts Muhts / der singe Psalmen:

Quam Apostolicæ sanctionis consuetudinem in convivijs Patres nobis inculcarunt, & AEgyptij Eremitæ frequentarunt.

Ambrosius lib. 6. de Sacramentis cap. extremo, de ea laudabili ceremonia ita scribit: Non debes quasi famelicus ad cibum de cibo incipere, sed antè à laudibus Dei.

Et Hieron. in Epistola ad Eustochium: Nec cibi sumantur, nisi oratione præmissâ; nec recedatur à mensa, nisi Creatori reddatur gratia. Et Aquinas, exempla Christi observans, ex Chrysostomo inquit: Audiant porci, qui ad ebrietatem manducantes, surgunt absq; gratiarum actione.

Ex Cassiano, cuius monumenta cum Damasceni libris junguntur, constat, Fratres in AEgypto Eremitas, quales tunc erant, quos non inanis sancti-

ſtimoniæ ambitio, ſed *Tyrannorum perſecutio, in ſylvas expellebat, in ſolennioribus convivijs* ante & poſt *cibum Pſalmos decantaſſe, inter quos 145. non poſtremus fuit: Oculi omnium in te &c.*

Sic memorat lib. 3. cap. ult. In ſolennibus prandijs, vel canonicâ jejuniorum refectione, præcedere conſuetudinarij Pſalmi & ſubſequi ſolent.

De Pſalmis conſuetudinarijs autem, ut hoc obiter inſeratur, quos nuncuparunt AEgyptij Eremitæ, Caſſianus lib. 2. de orationum & Pſalmorum modo narrat, Fratres in AEgypto inter ſe deliberaſſe, quot Pſalmos in congreſsibus ſuis dicerent, & alios quidem quinquagenos cantari voluiſſe, nonnullis majorem, quibuſdam etiam minorem numerum placuiſſe; litem tandem apparitione Angeli diremptam fuiſſe. Cùm enim ſedentibus cunctis, & in pſallentis verba omni cordis intentione defixis, Pſalmos quidam (quem Angelum fuiſſe poſtea collegerunt) undecim cantaſſet, duodecimum ſub Alleluja *reſponſione conſummans ab univerſorum oculis repentè ſubtractus, quæſtioni pariter & ceremoniis finem impoſuit. Angelum eum fuiſſe à diſparitione collegerunt. Angelica apparitio, & illâ confirmata duodecim Pſalmos decantandi conſuetudo ſuis relinquatur autoribus. Hoc ſaltem inde cognoſcere jucundum eſt, quòd recitarint, vel cecinerint in conventibus, uti etiam in ſolennioribus convivijs, cùm alios Pſalmos, tùm præcipuè iſtos, qui* Alleluja *habent, quales ſunt, qui poſt 145. ad finem uſq; Pſalterij numerantur, licèt alij quoq; præceſſerint.*

CAPUT XIII.

De uſu Pſalmodiæ ἑωθινῷ καὶ ἑσπερινῷ pro cubitum veſperè euntibus, & ſomno manè ſurgentibus.

NEq; ſine Muſica Chriſtiana ſe cubitum contulerunt, cubituq; ſurrexerunt pij Veteres, ut benignum Dei præſidium impetrarent, Pſalmodijs & diem & noctem exorſi.

De Pſalmodia ante quietem ſic memorat Clementinus Pædagogus ſupradictus:

dictus: Postremò antequam nos somnus invadat, pium & sanctum est nos Deo gratias agere, ut qui eius benignitatem & gratiam fuerimus consecuti, ita ut cum divino *quodam afflatu* nos *ad* somnum *conferamus. Et confitere ei, inquit,* in canticis labiorum, *quod in eius jussu fiat, quicquid ei visum est, & ad eius Verbum nihil est neq; mancum neque diminutum, juxta Psalmi nimirum 62. & 118. testimonia.*

Ambrosius *lib. quinto Hexaëmeri cap. 12. avicularum nobis exempla proponit, ut ab illis psallere, Deumq; assiduis hymnis concelebrare discamus. Quis enim, sensum hominis gerens, non erubescat sine Psalmorum celebritate diem vel inchoare, vel claudere: cùm etiam immitissimæ aves solenni devotione & dulci carmine ortus dierum & noctium persequantur.*

Idem verò etiam in libro 15. de Helia, *seu jejunio, graviter obiurgat eos, qui diem non à Psalmis, sed à poculis & heluationibus exordiuntur: Non immeritò, inquit, væ illis, qui manè ebrietatis potum requirunt, quos conveniebat DEo laudes referre, prævenire lucem, & vacare orationi; occurrere Soli justitiæ, qui nos visitat, & exurgit nobis. Sic nos Christo, non vino & siceræ surgamus. Hymni dicuntur (à piis videlicet & sobriis) & tu Citharam tenes? Psalmi canuntur, & tu Psalterium sonas, aut Tympanum? (De abusu Instrumentorum ad temulentam & lascivam voluptatem loquitur) Meritò væ, qui salutem negligis, mortem eligis.*

CAPUT XIV.

De usu Psalmodiæ παρακελευστικῷ ad fallendas laborum molestias.

ATq; cum magno pietatis fructu sub certa benedictionis divinæ exspectatione inter labores domi cantarunt pia carmina, foris obmurmurarunt, in agro circumtulerunt Christiani, atque labores, tanquam divino celeusmate, consolati fuerunt, ut suprà cap. 6. Basilius & Augustinus locuti fuerunt. Quo spectant & illa Hieronymi cap. 17. Arator hîc stivam tenens Alleluja *decantat; sudans messor Psalmis se avocat; & curvâ*

curvâ attondens vitem falce vinitor aliquid Davidicum canit! Hæc sunt in hac provincia carmina; hæ (ut vulgò dicitur) amatoriæ cantiones; hic pastorum sibilus; hæc arma culturæ.

CAPUT XV.

De usu Psalmodiæ παρακλητικῷ in angustijs, Martyrijs, contra metum mortis & supplicij sub Tyrannis.

AD extremum, ut sub omni calamitate, Spirituali & corporali, Musicæ divinæ beneficio sese pij erexerunt ad eluctationem & tolerantiam: Sic in ipsa mortis hora Spiritus Sancti instinctu præpulsi, moribundi præsertim Martyres, Musicæ sacræ inspiratâ virtute, & Psalmodiarum & Hymnorum recordatione, omnem sibi lethi metum exemerunt, tam animosè, ut vitâ intrepidè positâ, omnes Tyrannorum minas, & horrenda suppliciorum tormenta contempserint, & placidè animã tradiderint.

De Babylæ Antiocheni Episcopi martyrio scribit Socrates lib. 2. cap. 16. & Niceph. lib. 6. c. 34.; de ipsius autem insigni magnitudine animi Theodoretus in Catalogo annotat; Babylam nimirum Numeriano, vel, ut alij malunt, Decio Imperatori, ingredi in sacram ædem ad multitudinem populi volenti, obstitisse in foribus, quòd negarit se passurum, ut lupus *ad* oves *irrueret; atque pòst, ubi in regia læsæ Maiestatis crimine damnatus, Dijs Imperatoris suasu sacrificare recusaverat, eum abripi vinctum, & caput illi amputari imperasse Principem; ibi Babylam, cùm abduceretur, magno animo hæc de Psal. 116. accinuisse: Convertere anima mea ad quietem tuam: Dominus enim respexit te: preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Sic æternæ quietis & beatitudinis spe, omnem supplicij atrocitatem superavit.*

Gordius quoque Cæsariensis centurio, cùm ob Christi confessionem in maxima populi frequentia, quæ eo die ad ludicra Martis spectacula convenerat, ad supplicium traheretur, nullis cruciatuum terroribus, Tyranni minis, populi clamoribus, hostium insultationibus perturbari potuit, ut non Psalterij recordaretur, & voces animo penitus infixas sonaret. Cùm enim Tyrannus, irâ æstuans,

ftuans, præciperet: Præstò sint lictores, flagella plumbeis nodis onusta, corpus rotis scindatur, in equuleo suspendatur, omne tormentorum genus excogitetur, feroces adsint bestiæ, igni tradatur, gladio feriatur, in altum barathrum dejiciatur; CHRISTI miles *animo ad hæc tranquillo, oculis in cælum conversis, Psalmorum* carmina decantabat: *Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Et Psal. 23. Non timebo mala, quia tu mecum es. Basilius in Gordium Martyrem.)*

CAPUT XVI.

De usu Psalmodiæ cygneo & lugubri, ad εὐθανασίαν decumbentium, & agonizantium, atq; in luctu funebri: Atque hîc Epilogus ἀνακεφαλαιώδως repetit argumenta in capitibus Psalmodiæ, hîc & illic continuandæ.

APud ægrotos quoq; tranquillum vitæ finem, sive mortis horam placidam non sine agone expectantes, non tantùm Evangeliorum lectionem, sed etiam Psalmorum modulationem frequentem fuisse Vincentius lib. 23. cap. 108. recitat. Sic Iosiæ Regis optimi obitum Threnodijs deflevit in publico luctu Ieremias, 2. Chron. 35. Inter alios autem Psalmos brevitatem & celerem fugam vitæ humanæ moribundis inculcat canticum Mosis, *Psal. 90. quod à Mose præscriptum traditur, quum reversis exploratoribus, Num. 13. populus obmurmurasset DEo, & Deus sententiam mortis dixisset majoribus viginti annis: ut hoc saltem haberent, ederentq; documentum resipiscentiæ suæ, & saluti suæ abjectæ prospicerent. Eo etenim cantico salutare μελέτημα θανάτου continetur, & vera hominis Christiani εὐθανασία describitur, ut cum Simeone feliciter solvere, & iter ad æternas sedes ingredi possimus.*

Memorandus hîc succurrit, pietate eximius Budissinensis Reip. Consul, is graviter decumbens, & jam morti vicinus accersiverat ex schola Cantorem cum discipulis, quem Passionis historiam, personarum melodijs dramaticis accommodatam, rogatu suo decantantem cum lacrymis & gemitibus auscultabat,

donec cum eâ finitâ finiret vitam, & tradito spiritu, veluti cygnei cantus dulcedine sopitus placidè obdormiret.

Quandoquidem etiam Gregorij Nisseni sententiâ, quâ in concionis cujusdam, de assumptione Domini nostri Iesu Christi vestibulo utitur, David uti jucundissimus humanæ vitæ comes, sic in luctu & funere consolatio esse commendatur; in funerum deniq; deductione sacras Davidis Odas, ad luctum & dolorem minuendum, ritè cantatas fuisse, Epiphanius lib. 3. hær 71. annotat, & Nazianzenus in funerea Basilij oratione collaudat.

Atq; hæc sufficiat ex Veterum, & recentiorum Autorum monumentis, olim consignata, per discursum, de Musica Chorali *&* Psalmodia Veterum *disseruisse. Vnde licet animadvertere, Musicam sacram esse pio instituto inventam, pijs melodijs & modulandi rationibus appositam & distinctam, pio fructu repletam, & pio canendi modo & canoni adstrictam; atq; planè cum divino Spiritus Sancti artificio, & mirabiliter inspiratâ gratiâ & efficaciâ in scholis, Ecclesiis, aulis, foris & domi, in accubatione epulari, inter labores ad diem & noctem, in vita & morte, in agone deniq; & luctu, sive funere, non nisi utili & pio usu frequentatam. Eam nos quoq;, cum Ecclesia in terris militante, piè excolere atq; exercere, à pietate non est alienum, donec cum triumphante in cœlo, Angelorum choris inserti, junctis concentibus, & continuis æterni sabbathi liturgiis, in conspectu Dei Trinunius, sine fine decantaturi, & celebraturi simus:* Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Zebaoth:

Hallelujah, Deo nostro in secula Gloria,

Amen.

PAR-

PARTIS PRIMAE

II. Membrum.

ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΑ

Sive

Commentarij

De

Leiturgia Summa;

Sive

MISSODIA, AD MISSAE, SIVE LeITVRgiæ summæ ritus accommodatâ.

Ex Guilielmo Durando, Sigeberto, Platina, Volaterrano, Polydoro Vergilio, Petro Martyre, alijsq; vetustissimis Patribus, & scriptoribus recentioribus conscripti.

De Notatione Missodiæ.

I.

VT Leiturgiæ antemeridianæ cantiones omnes speciali nomine notari & comprehendi possent, cum literatorum pace & venia, quam vocum penuria meretur, Titulum hunc (MISSODIA) suppeditavit ex diversarum linguarum vocibus Compositio; quarum posterior Græca ᾠδὴ CANTVM significat, altera, videlicet MISSA, variæ est derivationis & significationis.

2. Nam sunt qui ab Hebræo מַס Mas, quod Tributum significat, arbitrantur nomen traxisse MISSAM, Et ex Deuteron. 16. 10. oblationem interpretantur: Tamen quia non nisi per Græcam Ecclesiam, quæ MISSAE vocem planè ignorat, voces Hebræas mutuata est Latina, non Hebrææ originis esse quidam opinari voluerunt. (Reuchlinus, Kyberus, Polydor. lib 5. cap. 12. Chrysostomo Missæ forma tribuitur, qui tamen & Missæ nomen ignorat, & à recentiore Titulus inscriptus est.)

3. Latinè à MISSIONE Missam pleiique derivant, ad denotandam oblationem, quâ res à fidelibus oblatæ, ut Eleemosynæ &c. dicerentur MITTI. At ea nominis ratio ad corporis & sanguinis Christi oblationem pro vivis & mortuis, detorquetur à Pontificijs.

4. Rectiùs eo modo, quo Patres leguntur *Remissam* dixisse remissionem, Latina Ecclesia videtur Missam pro Missione appellasse Leiturgiam, quâ non tantum habebatur concio, verum etiam celebratio Sacramenti Eucharistici, post *Missionem Catechumenorum*, agebatur, qui Tertulliano Audientes vel auditores inde vocabantur. (*Remissa peccatorum dixit Tertullianus, lib. 4. contra Marcion. Cyprianus de Bonopatientia. Et in Ep. 14. lib. 3.*)

5. Nam quod ex veterum Leiturgijs elicitur (*Dionysius horum ordinum meminit*) κατηχέμενοι nondum baptismi lavacro regenerati, ut & ἐνεργέμενοι, qui à Spiritibus malis agitabantur, excommunicati, Desertores & Pœnitentes, concione habitâ abibant ad illam Diaconi vocem: *Exeunto Catechumeni.* (*Cyrillus super Ioh. lib. 12. cap. 50.*) Sic & Græci dicebant: ἅγια τοῖς ἁγίοις. De Catechumenis sic narrat Chrysostomus: (*in primum caput ad Ephesios*) Post acta mysteria accedere licet ac videre: præsentibus verò mysterijs *abito*; nihil hîc tibi quàm Catechumeno plus licet. De pœnitentibus hoc modo; Præconem, inquit, audis stantem & dicentem: Quotquot estis in pœnitentia constituti, *abstinete*. Quin & Gregorij ætate proclamabatur: Si quis *non communicat, det locum.* (*Greg. lib. 2. cap. 3. Dialogorum*) Vnde Ambrosius dixit aliquando; *Missas facere:* Et, suo licet sensu & usu, ad finem istius adijciunt Catholici Romani, ITE MISSA EST.

6. Etenim Missam facere (*Ambros. lib. 5. Ep. 38.*) est non missam Papisticam dicere, sed aliquos è cætu dimittere. Ego mansi in munere missam facere cæpi. Ita Sueton. in Caligula cap 25. Aug de Temp. serm. 237. Ecce post sermonem fit Missa Catechumenis, manebunt fideles. Hinc communio Missa dicebatur metonymicè, quia hac incipiente, dimissio fiebat per ann 600. ut testatur Isidorus Originum lib. 6. cap. 19.

7. Cum pijs Patribus Missas omninò facimus, & suis autoribus relinquimus quadruplices MISSAE significationes: (*Gab. Biel, lect. 15.*

&

& 89.) Et *Missæ* vocabulum in MISSODIAE titulo, si placet, pro oblatione accipiatur, quo Leiturgiæ cantionibus comprehensas glorificationes, preces, & meditationes in Christi pro nobis oblati ἀνάμνησιν & recordationem, veluti accepta sacrificia labiorum & animorum fidelium, ALTISSIMO offerimus & transmittimus.

8. Siquidem sacrificare & offerre apud Patres est per metaphoram actiones Ecclesiasticas, ad cultum DEi pertinentes celebrare, tractare, peragere. Orig. lib. 2. in Epist. ad Rom. pro circumcidi dicit: Sanguinem circumcisionis offerri. Tertull. lib 4. contra Marcionem, gratiarum actionem, vocat Oblationem. Ad Scapulam, pro Cæsare orare vocat, pro Imperatore sacrificare. Euseb. demonst. lib. 1. cap. 10. DEum celebrare appellat, hymnos & orationes sacrificare. Cyprianus lib. 2. Ep. 3. pro communionem celebrare, dicit sacrificium passionis offerre. Epiph. hæres. 79. Evangelium sacrificare, pro Evangelium prædicare. Cyprianus lib. 3. Ep. 13. & serm. 5. de lapsis: Eucharistiam celebrare vocat, panem & calicem offerre.

9. Vel ad nostræ Ecclesiæ ritus Leiturgicos conformata, MISSODIA nihil aliud est, quàm MVSICA modulans ODAS sive Leiturgiæ *Antemeridianæ* cantiones sacras omnes, Sabbathi & festorum ferijs destinatas; ut ad concionis Evangelicæ & cænæ Dominicæ solennitates, ob quas conjunctas, *Officium* κατ' ἐξοχὴν dicitur *Summum*, Ecclesia cum publica DEi glorificatione, supplicatione ac confessione piè congregetur, & illis solennitatibus peractis ritè dimittatur.

10. Etenim cùm MISSA Græcis sit Leiturgia, (*Pol. 5. c. 12. de Inv.*) & Cassianus l. 3. c. 7 & 8. (*Honorij tempore vixit, & ab hæreticis ex Hierosolymitana Ecclesia pulsus Massiliam venit*) dixerit: præstolari congregationis MISSAM; id est, ut cætus & conventus compleatur & absolvatur; idemq; *Missam* vigiliarum intelligit tempus, quo vigiliæ absolvebantur: Certè MISSODIA hæc congruit MISSAE sive Leiturgiæ, cantionibus sacris, pro more nostrarum Ecclesiarum, consummandæ, cùm in præsentia etiam Catechumenorum, apud nos baptisatorum, & pòst confirmandorum, tùm aliorum juxta cum communicantibus in Christi recordationem Mystagogiam aspectantium, & donec finita sit exspe-

ctantium. Atq; eâ ratione, cum principio & medio, finem Leiturgodiæ hujus universæ, complectitur MISSODIA, tanquam perfectio, complementum & absolutio officij sive λειτουργίας Musicæ. (*Actor. 13. 2.*) Siquidem λειτουργεῖν θεῷ ministrare DEo significat munus publicum exequi, (*Szegedin. in confess. de Trinitate*) idq; ut docendo & precando, sic etiam canendo, & celebrando sive voce sive instrumentis fiat.

11. Præterea *Missa* apud veteres significat etiam *Conventum publicum*, ad cænam Domini, & ad preces habendas, sive etiam cultus divini formulam. G. *Cassander* præfat. in preces suas ait, *Missarum & Collectarum* nomen; Item Collectas facere & Missas facere vel celebrare, idem significare quod συναγεῖν, συνάξεις ποιεῖν, & ἐκκλησιάζειν. Addit, neq; Missa fieri potest, nisi Collecta adsit, neq; ulla Collecta esse potest, in qua non & Missa fiat. *Ita Epiphanius Historia Tripartita interpres.* Rursus Collectam ait, orationem esse, quæ in cætu aliquo collecto recitabatur & *Missam*, quia dimissiones fiebant. Et in Concilio Milevit. cap. 12. Orationes & Missæ pro eodem accipiuntur.

12. Quidam etiam putant, Missæ verbum à Musa deduci posse. Nam vocabulum Græcum, μῦσα vel μοῖσα (AEolicâ Dialecto) origine Ebræum esse, & ab Ebræo themate vel radice originem trahere, cùm in hoc & nominis & rei notatio conveniat. Est enim μοῖσα vel *Musa* idem quod Ebræum מַעֲשֶׂה compositio, & opus perfectum & absolutum, in gloriam DEi excogitatum atq; inventum. מַעֲשֶׂה verò Inventio opus, est nomen verbale à vocabulo עָשָׂה hoc est, invenit, fecit, composuit, præposita litera מ quæ una ex literis הָאֱמַנְתִּי quibus nomina verbalia à verbis derivantur, deductum. Et inde vocabula μῦσα vel μοῖσα Musa Misa vel Missa, & ex his Musica scaturiginem habent. Sic enim Moses omnium historicorum, scriptorum & Autorum, ut antiquissimus, ita verissimus, non solum vocabulum עָשָׂה fecit, veluti gloriam & honorem summum DEi, tanquam summum DEi beneficium & opus DEi & Missarum Missam, & Musarum Musam, & Musicarum Musicam celebrat, atq; in ipsum DEum, unde & exortum est, refert Gen. 1. v. 26. ubi scribit: Et dixit DEus: נַעֲשֶׂה ab עָשָׂה præposito מ Heæman-

mantica litera ה מַעֲשֶׂ & illa מ in ף mutata (propter cognationem literarum labialium בּוֹמַף) LXX. dixerunt, ποιήσωμεν Faciamus hominem in Imagine Nostra, secundum similitudinem Nostram. Et ut liber Sapientiæ cap. 2. v. 23. explicat: καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐποίησεν ὁ θεὸς ἄνθρωπον. Imaginem propriæ proprietatis & identitatis FECIT *DEus hominem*, opus longe majus & mirabilius cælo & terra, quæ etiam cum toto exercitu suo propter hominem facta sunt. Hanc primam Missam, Musam vel Musicam & מַעֲשֶׂה Moses DEo uni in vocabulo DIXIT: & Trino in verbo FACIAMUS & quidem in primo vocabulo libri Geneseos בְּרֵאשִׁית à Spiritu Sancto peculiariter inventum, in descriptione originis rerum prædicat atque decantat. Quam Musam, Missam, Musicam & opus DEi, & deinde *David* in opere suo Musico Psalmorum, Psalmo videlicet numeri completi centesimo, κατ' ἐξοχὴν ad illam Missam ordinato: Iubilate DEo omnis terra & v 3 sic prosequitur: Scitote quoniam Dominus ipse est DEus, Ipse FECIT (composuit) nos, עָשָׂנוּ LXX. ἐποίησεν ἡμᾶς, & non ipsi nos. Quò & in novo Testamento Christus ad veteris Testamenti מַעֲשֶׂה opus videlicet DEi in creatione hominis, eductionem populi Israël ex AEgypto & gratiarum actionem, laudem & gloriam, per varia sacrificia *Agnum DEi* qui tolleret peccata mundi repræsentantia, respiciens & sacram cœnam opus admirandum instituens, inter alia dixit: HOC FACITE in mei commemorationem: Item Matth 23 Hoc oportuit facere. Ab hoc sacrosancto opere & מַעֲשֶׂה institutionis cænæ Dominicæ vocabulum Missa transumptum, à tempore Apostolorum usq; in hodiernum diem remansit in Ecclesia: Quæ ex aurea cantione Germanica Divi Lutheri (**Nun frewt euch lieben Christen gemeyn / vnd last vns frölich springen / Daß wir getrost vnd all in ein mit lust vnd liebe singen**) canit, **Was Gott an vns gewendet hat / vnd seine süsse Wunderthat / gar thewr hat ers erworben**: In qua cantione totum meritum Christi, &c. comprehenditur.

Et hæc, de nominis Musæ μοῦσα μοῦσα Musica ad Missæ Etymologiam ac derivationem collatione, quamvis longius petita ipsi mihi visa sint, referre tamen placuit. Atq;

Atque sic Missæ & Missodiæ orationes Leiturgicas decantantis nomen & significatum, satis demonstratum est.

DE MISSÆ ET MISSODIÆ RITIBUS ET PARTIBUS APUD VETERES, ET INDE APUD *nos quodammodo ad Leiturgiam receptis.*

I.

INTROITUS.

Interim dum populus in domum Domini introiret, conveniret & congregaretur, ex Psalmis & vaticinijs veteris Testamenti, vel temporis festivitati, vel Epistolicæ lectioni accommodatis, plerùmq; de INTROITu CHRISTI in mundum, Prophetis & Sanctis desiderato, quippiam Antiphonatim decantare in Ecclesia Latina instituit CELESTINuS. Hinc eam cantionem INTROITuM vocarunt. (*Polyd.*) Sigeberti Chronicon refert, ut Gradualia, Tractus, Offertoria ante sacrificium Communionis inter communicandem; Ita INTROITuS, GELASII instituto, cepisse fieri, sub annum 426. post CHRISTuM natum. Et Gregorius I. instituit, ne quid ornatus & concentus inter sacrificandum deesset, ut Antiphonæ canerentur, quas vulgò *Introitus* vocant. *Platina, & Sigebertus.*

II.

Κύριε ἐλέησον.

DOMINE MISERERE.

GRæci Leiturgian videntur incepisse à *κύριε ἐλέησον*, quod erat formula confessionis peccatorum, & petitionis divinæ misericordiæ, ex Græcorum Litanijs ad officium Missæ, pro captanda benevolentia divina assumptum, ut omnibus tribus personis divinitatis *DEo Patri, Filio & Spiritui Sancto* gratius laudum sacrificium offerrent reconciliati.

Quam

Quam phrasin & precationem, SYLVESTRO autore, à Græcis Latina Ecclesia assumpsit, & GREGORII. I. instituto novies iteravit. & proximè ab Introitu decantavit. *(Polyd. Platina & Sigebert.) Et in Anglia* Kyrie eleison *usurpatum legitur, Anno Christi 957.*

III.

Hymnus Angelicus, cum δοξολογία Trinitatis.

POst κύριε ἐλέησον Ecclesia, quodammodo læta, ob impetratam peccatorum veniam in CHRISTO, Bethlehemi nato, & sperans fore, ut concentus in cælis commisceat cum Angelis, Angelicum Hymnum (ut quem venerantur Angeli in cœlis, homines venerentur in terris, congratulantes sibi invicem, quòd Christus restauravit, teste Apostolo Ephes. 1. omnia quæ in cœlis & in terris sunt) meditatur cum Sacerdote ad orientem præcinente; GLORIA IN EXCELSIS DEO: *Et in terra pax,* & succinens δοξολογίαν: *Laudamus te &c. (Duran.)* Quæ verba à Beato HILARIO, Pictaviensis Ecclesiæ Episcopo feruntur apposita esse: quamvis Innocentius Papæ Telesphoro, alij *Symmacho* institutum id tribuant. Telesphorus quidem voluit, ut in Missis proclamaretur: Gloria in Excelsis DEo. Volat. l. 22. Anno CXXIX. *(Sigebert.)* Symmach⁹ Pontifex Anno 493. constituit, omni die Dominico vel natalitio martyrum, *Gloria in Excelsis DEO* ad Missas cantari: Quem hymnum TELESPHORuS septimus ut volunt, à Petro scilicet Papa, nocte tantum natalis Domini, ad Missas à se in ipsa nocte institutas cantari instituit, & in eo ad Angelorum verba, quæ sequuntur adjecit. *(Sigebert.)*

Δοξολογία, quam in gratiam φιλελλήνων inde transcribere non piguit, sic sonat in Horologio Christianorum Græcorum inter Barbaros sive Mahometicolas: (Horologium in quo Græcorum Psalmodiæ, precationes, & hymni continentur.)

Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. ὑμνοῦμέν σε, εὐλογοῦμέν σε, προσκυνοῦμέν σε, δοξολογοῦμεν

γοῦμέν σε, εὐχαριστοῦμέν σοι τὴν μεγάλην σου δόξαν. Κύριε βασιλεῦ ἐπουράνιε θεὲ πάτερ παντοκράτωρ. Κύριε υἱὲ μονογενὴς Ἰησοῦ Χριστὲ καὶ ἅγιον πνεῦμα. Κύριε ὁ θεὸς ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου πρόσδεξαι τὴν δέησιν ἡμῶν, ὁ καθήμενος ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς, ἐλέησον ἡμᾶς. ὅτι σὺ εἶ μόνος ἅγιος, σὺ εἶ μόνος Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν θεοῦ πατρός. Ἀμήν.

Congruit planè cum noſtra Latina glorificatione. Gloria in Excelſis DEo & in terra pax, hominibus bona voluntas. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam: Domine *Rex* cœleſtis DEuS Pater omnipotens: Domine Fili unigenite, IESu CHRISTE *& Spiritus Sancte*. Domine DEuS agnus DEI, *Filius* Patris, qui tollis peccata mundi, ſuſcipe deprecationem noſtram: Qui ſedes ad dexteram Patris, miſerere noſtri: Quoniam tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus IESuS CHRISTuS, in gloriam DEi Patris, Amen.

IV.

VERSUS.

Dominus vobiſcum: Et cum Spiritu tuo:

COLLECTÆ:

VBi ſalutanti populum ſalutatione Angelica, *(Iud. 6. Luc. 1.)* DOMINuS VOBISCuM, reprecata fuit Eccleſia: ET CuM SPIRITu TuO, *(2. Timoth 4.)* dum mutui voti exauditionem patri fidei ardore ſibi polli-centur & cupiunt utrinq; *mandato Chriſti*, ut *Oremus (Matt. 26.)* inculcato, Collectæ ſive petitiones collecti populi totius in unũ à Sacerdote colliguntur, ꝓponuntur & enarrantur; quas populus ex indubia fide, de eventu exauditionis certiſsimo, cum πληροφορίᾳ approbat & concludit Chriſtiano Epilogo, AMEN. *(1. Corinth. 14. 16. Matth. 6. 13.)* Quod Græcus perperam εὐκτικῶς optativè reddidit, γένοιτο fiat;

fiat; Aquila, teste Hieronymo & Augustino, πιπιςωμένως verè, certò; βεβαιωτικῶς assertivè, & meliùs. Quod collectarum genus lectioni Epistolæ præmittendum GELASIO ascribunt. *(Vsus Collectarum ad cœnam.)*

At Chrysostomus in Homil de hujusmodi precum formis, ad cœnam quoq; traductis, sic scribit; In ijsdem mysterijs benè precatur Sacerdos populo, & benè precatur populus Sacerdoti: Nam CuM SPIRITu TuO nihil aliud est, quam hoc: Ea quæ sunt Eucharistiæ, id est, gratiarum actionis, communia sunt omnia. Neq; enim ille solus gratias agit; sed etiam omnis populus. Prius etiam acceptâ illorum voce, deinde congregatis illis, ut dignè & justè hoc fiat, incipit Eucharistiam. *(Sacerdotis & populi per vices cantio.)*

Sic porrò scribit Chrysost. de quibusdam vicibus cantionum, sive interrogationum MINISTRI & Populi: Quid *miraris*, inquit, si cum Sacerdote Populus loquitur? Vbi sanè & cum illis CHERuBIM & supernis Potestatibus communiter sanctos illos hymnos personant? Idem Chrysost. Cum alijs omnibus, inquit, donum simul erat precationis, id quod & ipsum SPIRITuS dicebatur, & qui donum hoc habebat, is pro universa multitudine orabat. Etenim quoniam rerum earum, quæ conducunt, ignari, quæ inutilia sunt oramus, veniebat in unum hunc quendam precationis donum, qui & quod toti prodesset Ecclesiæ, omnium constitutus loco orabat, & alios simul, quid orandum esset, instituebat. Spiritum igitur hic vocat, donum hoc precationis, quod tum temporis dabatur, animamq́; simul, quæ dono ejusmodi accepto apud DEum interpellabat & gemebat. Stans enim, qui hoc honoratus erat dono, multa compunctione, multisque gemitibus juxta mentis intentionem ad DEuM supplicans, quæ prodessent omnibus orabat. Cujus rei nunc quoque Symbolum est Diaconus, qui in Ecclesia preces pro populo offert.

Quod commemoravit hisce verbis Chrysostomus de peculiari dono precum, quod Spiritus sanctus in primogenia Novi Testamenti Ecclesia in aliquos præ alijs contulerit, id certissimum est; quemadmodum etiam Paulus *1. Corinth. 14. v. 14. &c. Iacob. c. 5. v. 14.* astipulantur.

Atq; hinc dimanasse consuetudinem, quæ tempore Chrysostomi Græcis fuit observata Ecclesijs, & hodie apud nos quoq; retinetur, ut Diaconus conceptis verbis toti Ecclesiæ, preces præiret. Idq; scire jucundum est, & adversus ceremoniarum Ecclesiasticarum hostes utile.

Ineptum est illud ANACLETI institutum, ut Sacerdos more Pontificiorum non nisi coram duobus sacrificaret; *Gratian. & Volaterr. lib. 22. hoc Soteri attribuunt, qui fortè illud parum custoditum renovavit.* Quò credo, inquit Polydorus Vergilius, ne ille frustra benè precando diceret: DOMINUS VOBISCUM, si minus quam duo sacris interessent. *Polyd. lib. 5. cap. 12. Idem Polyd. & hoc addidit,* Sacerdos dicendo *Dominus vobiscum* sæpius ad populum in altari se vertit. Sic Hebræorum sacerdos inter sacra sese circumagebat, aspergendo sanguinem animalis immolati

Et hactenus omnes Leiturgodiæ lectioni Epistolæ viam sternebant, unde & *Επιςολικαὶ* vocari possent, ceu *Επιςολῳδίαι*, id est, hymni Epistolici.

V.

Lectiones Epistolæ, pòst Evangelij.

HInc itaq; olim per Lectores, c. perlectis 25 distinct. (*ἀναγνῶσται vocantur Duareno: quem vide ad hanc rem lib. 1. de sacr. Eccl. minist. cap. 14. Vbi etiam refert,* Iulianum *Imp. Apostatam quandoq; functum esse hoc munere.*) ad Sacerdotes hodiè quod spectat, quędam ex divinis literis recitabantur, aut ex Veteri Testamento, aut ex Actis, aut ex Epistolis Apostolicis: quibus auditis, pòst recitanda supererat aliqua EVANGELICAE historiæ portio. Fides enim, Fideiq; actiones Epistolæ & Evangelij lectione excitabantur, ut quicquid in his deficeret, illâ in pænitentibus restitueretur, & integritas novi hominis per Christi Spiritum reficeretur. Ambonis in templo, quem eundem & suggestum nominari scribit, meminit Platina in SIXTO: Et porphyreticis lapidibus ornatum fuisse ab eodem, ac eum præbuisse usum, quod ibi EVANGELIVM & EPISTOLAE sint decantatæ.

Hieronymus autor Epistolæ & Evangelij in Missa canendi putatur. *Volater-*

Volaterra. lib. 22. Et ANASTASIuS. I. Pp. instituit Anno 409. ut Evangelium in templis stando audiretur. *Platina & Volaterr.* Idem ANASTASIuS constituit ne Sacerdotes vel Laici ullo modo sederent, sed curvi & venerabundi starent, cum sacrum Evangelium aut caneretur aut legeretur in Ecclesia DEi. *Platina.*

Poloni equites inter sacra enses stringunt in defensionem Evangelij, dum illud cantatur Augustum juvat hîc referre Liturgiæ officium, quo perfunctus est SIGISMuNDuS Imper. Nam is quondam sub natalem Domini Constantiam veniens, in Missæ sacro tanquam Diaconus Evangelium cantavit: Exijt edictum a Cæsare Augusto. *Carion. lib. 3. Chron.* Quæ a. Odæ ante concionem quidem, sed post Epistolam canebantur, quia ad Evangelij devotam auscultationem populum excitarent, dici possunt ἐυαγγελιῳδίαι ἢ λειτουργῳδίαι ἐυαγγελικαὶ, id est hymni Evangelici: cujus generis sunt quæ sequuntur.

VI.

Graduale, Hallelujah & Concio.

SEd cum priores lectiones Ecclesiæ recitassent LECTORES, quæ ex EVANGELIO referenda erant, DIACONuS ex eminenti loco, atq; suggestu pronunciabat, nempe ut omnibus conspicuus esset, & ab omnibus intelligeretur.

Dum itaq; ibat & gradus ascendebat, populus canere consuevit psalmorum aliquot versus, quos vulgo GRADuALES appellarunt. Festivâ item quodammodo acclamatione, læto Evangelij nuncio applaudentes, interponebant *Hallelujah*, vocabulum Hebraicum, quod ineffabile gaudium, Angelorum videlicet & hominum, significet potiùs quam exprimat. Hieronymus explicat: Cantate laudem Domini. Innocentius & alij: *Laudate Dominum:* cujusmodi vox in Apocalypsi (*19.*) ex Angelis vel turba in cœlo & audita est, & in titulo quorundam Psalmorum legitur.

Pòst, Evangelio recitato, Episcopus aut Ecclesiæ pastor interpreta-

tionem & adhortationem adijciebat, corripiebantur vitia, & de excommunicandis agebatur, &c. Quemadmodum autem Hallelujah, ab *Hierosolymitanis* desumptum videtur: Sic Gradualia, GREGORIuS, AMBROSIuS & GELASIuS composuerunt· *Nam collectas & Gradualia, Gelasium Pp. anno Christi 495. instituisse legitur.*

VII.
Alius usus Gradualium & Hallelujah: huc item Tractus & Sequentiæ.

DIversa legitur apud alios ratio & consuetudo canendi *Gradualia* & *Hallelujah*, quæ ante Evangelij lectionem & concionem, interjectis alijs canticis, distincti Cantores canebant. GRADuALIA enim ex Veteri Testamento ut plurimũ desumpta, ut ijs cum solennitate vel Evangelio, cujuscunq; temporis concordantib', ab Epistolę ad percipiendam Evangelij lectionem gradatim assurgeret collecti populi animus, à pueris in gradibus cantabantur: ad quæ viri in pulpitis HALLELVIAH concinebant: Idq; cum gaudio quasi & plausu per totum ferè annum frequentabatur; nisi quod à Dominica Septuagesimæ usq; ad vigiliam Paschæ, quasi in diebus & officijs luctus, & jejuniorum loco *Hallelujah* ex TELESPHORI institutione suffectus fuit TRACTuS, ex Psalmis & Prophetijs, à GELASIO factus, quo tractim & cum asperitate vocum, & pendularum notarum prolixitate ita canendum fuit, ut pro remissione peccatorum, & cùm publicarum, tum privatarum pænarum mitigatione impetranda, multis cum gemitibus & suspirijs, ex intimis cordis visceribus oratio protraheretur.

Qui ita *Gradualia* & *Hallelujah* usurparunt, addiderunt etiam *Sequentias*, ut vocant, vel *Prosam*. SEQVENTIAE sunt cantus, dicti à præfatione subsequentis lectionis: Sequentia S. Evangelij secundum Matth. &c. Cujusmodi Sequentijs ad auscultationem subsequentis lectionis ex Evangelio, quod præcedenti contextui, unde abruptum est, adhæret, populum præparare & exsuscitare voluerunt. PROSA dicitur, secundum Isidorum, quasi profusa, & à lege metri soluta oratio.

NOT-

NOTGERIUS ABBAS S. Galli in Teutonia, primus Sequentias composuit, easq; NICOLAUS Papa invexit, & cantari concessit. *Martin. in Chronico.*

Sequentiam festo *Palmarum* destinatam componendi & decantandi, occasio & origo memoranda est, & admiranda, quæ autori magnum attulit fructum Pietatis; quod pium censeatur hîc commemorari & observari.

Conspirationi filiorum LUDOVICI I. *Imper.* contra Patrem multi Pontifices inerant, inter quos etiam THEODULPHUS Abbas Floriacensis, pontifex Aurelianensis erat suspectus: quorum consilio & instinctu, LUDOVICUS PIUS Imper. & Francorum Rex, regno exutus, captus, & in carcerem à LOTHARIO impio filio conjectus est. Is liberatus & restitutus in regnum ob conjurationis suspicionem *Theodulphum* carceri inclusit *Andogavi.* Cumq; in eo loco Imperator Pascha facturus, in Palmis interesset publicæ procesśioni, ad repræsentandum Christi ingressum in Hierusalem, & jam prope turrim pompa transiret, qua vinctus tenebatur *Theodulphus*; tunc ille prospiciens quod erat futurum, Hymnum insignem, quem in carcere composuerat & dictârat in honorem ejus procesśionis, adaperta fenestra, in hora procesśionis antedictæ concinebat clarâ voce, ut à cunctis audiretur: *Gloria, laus & honor tibi sit, Rex Christe redemptor, &c.* Admiratus Imperator interrogat, quæ sit vox & cujus hominis, quam audiret. Indicatur esse *Theodulphi* Episc. Aurelianensis, qui clausus ibi teneretur. Diligentiùs perpenso tenore carminis, adeò fertur delectatus Imp. ut juberet conscriptum carmen, voce Pontificis decantatum signari; ejusq; dulcedine permollitus veniam dedit *Theodulpho* vitæ insidiatori, & liberum abire permisit. *Crantz. lib. 1. Metropoleos cap. 27. & 40.*

Inter alias festorum *Prosas* elegantes, notatu digna est PENTECOSTES Sequentia illa, quam HUGONIS CAPETI, primi Galliarum, ex Illustrisśima Electoratus Saxoniæ Domo, Regis filius

RO

ROBERTuS, Rex Galliæ hujus stemmatis II. devotè composuit: *Sancti Spiritus adsit nobis gratia, &c.*

Prosa ea historiam (*Refert Albertus Crantz. lib. 5. cap. 46. de Imp. Friderico eiusq; Filio R. Henrico, & de Archi Episc. Col: ad ann. 118 4. Autor Catalog. Episc. Hildes. rythmis German. de Episc. 17. Hezilone Anno 1064.*) movet necessariò, nec inutiliter memorandam. Tragicus sanè GOSLARIAE (quidam ajunt MOGuNTIAE) Pentecostes die accidit casus, ubi Episcopi Hildesiani, & Abbatis Fuldensis Aulici in templo Regio de loco contenderunt, & ad gladios pervenerunt, & cædes multas perpetrârunt, ita ut sanguis cæsorum ex templo effluens scalas templi impleret, Et rex ipse accurrens in periculo esset: Sedata autem laniena, nihilominus jussus est Chorus celebrare hunc festum diem: Cumq; inter canendum perventum esset in *Sequentia prima* ad finem, in quo hæc verba canuntur: *Ipse hodie Apostolos Christi donans munere insolito & cunctis inaudito seculis,* HuNC DIEM GLORIOSuM FECISTI: Audita est vox reboans, in templo medio, & evomens hęc verba: HuNC DIEM CRuENTuM EGO FECI. Territis hâc voce turbis, cæpit Rex publicè dicere: *Tu perverse Nebulo, qui hunc diem cruentum nobis fecisti, pœnas dabis DEo & nobis:* Et nos iterum hunc diem GLORIOSuM faciemus: atq; simul jussit addere, & altâ voce canere: *Veni sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium, &c.* Vnde manifeste apparet, quàm maligno & cruento Spiritui inimica & odiosa sit, quàm amica & grata Sancto & Pacifico Spiritui & piorum cætui sit, & quàm jucunda audiatur λειτουργῳδία Ecclesiæ.

VIII.

Gloria tibi Domine. Credo in unum Deum:

Symbolum Nicanum, &c.

CAeterum, qui dicto modo Gradualia, Hallelujah, Tractus, Sequentias usurpant, ad sequentia Evangelij jamjam legenda, glorificant DEum Choro, pro manifestatione Evangelij: GLORIA TIBI DOMINE. Evangelium enim est caput & principale omnium, quæ ad Missæ officium dicuntur, cantantur & leguntur. Post lectionem Evan-

gelij

gelij finitam, ut quod uno corde creditur ad justitiam, (*Rom. 10. Psalm. 119.*) uno ore confiteantur omnes ad salutem, Ecclesia, sacerdoti altâ voce intonanti, & πρόταξιν ὁμολογίας exorso: CREDO IN uNuM DEuM, succinit unanimi fide reliquam confessionem Symboli Nicæni. Intelligatur autem Symbolum Nicenum, quod Synodus Nicena, quæ Anno Christi 328. cæpit, Samosateni & Arrij ac Novati dogmatis damnatis, promulgavit in urbe Bithyniæ Nicæa 19. Iunij: Idem Symbolum postea Synodus Antiochena Anno Christi 344. corrupit. *Socrat.* lib. 2. cap. 8. 10. Sardicensis verò pia comprobavit & confirmavit Anno Christi 350. quatuor vero subsequentes Syrmiensis Anno Christi 355. Arminiensis & Seleuciensis Anno Christi 363. atq; Antiochena Anno Christi 365. multis modis depravârunt, Anno Christi 555: Synodus universalis Constantinopolitana repetivit & illustravit. A Socrate autem & Athanasio *ad Iovinian. t. 4.* recitatur his verbis: πιστεύομεν εἰς ἕνα θεὸν &c. *Credimus in unum Deum:* Hujus autorem Athanasius (*in Epist. ad Solit.*) nominat OSIuM. Symbolum illud vocant majus, quippe conceptum in magnâ Synodo, videlicet CCCXVIII. Patrum: Anno 325. *Brent. in Os. 8. Polyd. lib. 5. cap. 11.*) Publicum id solennibus diebus decantandi morem DAMASO tribuunt institutum, ex decreto Synodi à centum quinquaginta Episcopis Constantinopoli celebratæ. (*Sigebert. in Chron.*) Alij MARCO Pp. ejus nominis primo, Sylvestri. I. successori, circa Annum Christi 330. asscribunt, ita ut ille hujus decretum innovâsse credatur. Hodie etiam Apostolicum Symbolom notâ linguâ succinit populus. Romani olim Symbolum Apostolorum post Evangelium non cecinêrunt, quod Romana Ecclesia nulla unquam hæresi infecta fuisset, sed in confessione fidei perstitisset. HENRICuS tamen II. Imperator BENEDICTO VIII. Pp. persuasit, ut ad publicam Missam illud decantarent. *Berno.* In alijs Ecclesijs quomodo Symbolum ad communionem differatur, mox dicetur. Symboli item cantum sub horis canonicis, vide in Corollario Leturgodiæ annexo.

Hactenus de Leiturgodia Missali, & Missodia ante concionem: sequitur ea, quæ post concionem celebratur.

IX.

Missio primitivæ Ecclesiæ à Pontificiis transposita.

ITE MISSA EST.

AD morem in libro Nehem. cap. 8. & alibi Luc. 4. expressum, Evangelij textu explicato, ne interessent Eucharistiæ celebrationi, Catechumeni, & non communicaturi, apud Veteres dimittebantur. *(concionis ex suggestu meminit Socrat. lib. 6. cap. 5. Sozom. lib. 8. cap. 5. vide supra de notatione Missodiæ distinct. IV. V. VI.)* Ea missio hodie apud nostrates locum non habet; cùm in nostris Ecclesijs alia sit ratio Catechumenorum, quippe regeneratorum; & non communicaturis etiam detur Eucharistiæ cum fideli meditatione astare. Pontificij verò, etiam si fermè nulli communicant, uno excepto *Sacrifico*, Missionem suam clarâ voce denunciant: ITE, MISSA EST, quod idem est, ac i licet, hoc est, ire licet; *(Polydor. lib. 5. cap. 12. varia explicatio, apud Gabriel: Biel: lect. 89.)* & contra Missionem veterum, ipsi hanc formam longè aliam ad finem Missæ transposuerunt, hâc in re Ethnicum, quem jactitant, imitantes ritum Sacerdotis Isiaci, qui post celebrata sacra pronunciaverat: λαοῖς ἄφεσις, Populis missio. *(Apuleius libo Asini aurei 11.)*

X.

Symbolum Fidei.

SEd antiquitùs ijs, quæ Catechumenorum missionem spectant, peractis, qui manebant, sacræ Cœnæ futuri participes FIDEI SYMBOLUM canebant, ut sese mutuò de capitibus Religionis præcipuis, in quibus consentirent, sedulò admonerent. In Symbolis quippe SUMMA FIDEI comprehenditur, quæ sanè comprehensio, vel summa, Veteribus Patribus Ecclesiæ TRADITIO vocata est, & ex libris divinis

nis desumta, ac ad salutem necessaria credita, contra Hæreticos, qui sacros libros negant, produci potest. (*Tertullianus*) Et Symbolum in quavis Synaxi decantandum, nominatim narrat THEODORuS *Lector, Collectaneorum libro secundo*, institutum â PETRO GNAPHAEO, Antiochenæ Ecclesiæ gubernatore.

XI.
Oblatio triplicis usus, cum Cantilenis & Collectis.

DEhinc quando cecinerant Symbolum astantes, ex suis facultatibus, quæ videbantur, offerebant. *Oblatio* verò triplicem usum habuit: Partim quippe in frugalia quædam convivia erogabatur, quæ Christiani id temporis inter se admodum religiosè celebrabant, & vulgò *ἀγάπαι* (Liebmahl) vocabantur; partim, quod supererat, pauperibus distribuebatur; Et denique inde aliquid Panis & Vini in usum sacræ Cœnæ seponebatur. Atq; hanc rerum oblationem tum fuisse adhibitam, testantur: *Primùm*, Versus quidam à populo decantati, dum oblatio fieret, qui propterea vocantur ab eis, *Offertorium*: Idem *præterea* cognoscitur ex ijs collectis, quæ in ea Missæ parte habentur. *Quin* ejus oblationis Iustinus, antiquissimus Martyr in sua Apologia mentionem fecit; Cyprianus item, ac nonnulli ex veteribus patribus. Cæterùm ADRIANuS Pp. in offertorijs & offertoriorum versibus quód geminatum est, geminavit Anno 772. (*Sigebert. in Chron.*) GELASIuS Pp. voluit fieri in Missis Collationes. (*Volaterr. lib. 22.*)

XII.
Sursum Corda.

POsthæc ad sacram Cœnam administrandam convenientes dicebant: SuRSuM CORDA. Ac sanè rectè, & in tempore Christiani sic agebant, quò se monerent, ut nihil carnale nihílve terrenum ibi cogitarent, sed in cœlestibus corda haberent. Nec enim satis est, ut externam utcunq; disciplinam in conventibus Ecclesiæ & Synaxi præstemus, sed inprimis & cor Domino aperiamus, eumq; in animum men-

temq; nostram immigrare sinamus; Quemadmodum Apostolus Paulus (*Colloss. 3.*) nos hortatur: Siquidem unà cum Christo resurrexistis, superna quærite, ubi est Christus, in dextera DEI sedens: Superna capite, non ea quæ sunt in terra. Inde Patres instituerunt, ut Sacerdos in præfatione Eucharistiæ ad populum ita Pauli verba diceret: SuRSuM CORDA; Et populus responderet: HABEMuS AD DOMINuM. De qua consuetudine perantiqua pios commentarios tradiderunt Patres & scriptores Ecclesiastici notatu dignissimos.

CYPRIANuS, (*in concione de oratione Dominica*) Quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus, cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat, nec quicquam tunc animus quàm id solùm cogitet quod precatur. Ideò & Sacerdos ante orationem, præfatione præmissa, parat fratrum mentes, dicendo: *Sursum corda*, ut, dum respondet plebs; *Habemus ad Dominum*, admoneatur, *nihil aliud se quàm Dominum cogitare debere*. Claudatur contra adversarium pectus, & soli DEo pateat, ne ad se hostem DEi tempore orationis adire patiatur.

CHRYSOSTOMuS (*in Sermone de Eucharist. in Encanijs.*) Quid facis homo; Non promisisti sacerdoti, qui dixit: *Sursum* mentem & *Corda*, & dixisti; *Habemus ad Dominum*? Non revereris & erubescis? Et illa ipsa hora mendax inveneris. Papæ! mensa mysterijs instructa est, & *Agnus DEi* pro te immolatur; Sacerdos pro te angitur; sanguis Spiritualis ex sacra mensa refluit: *Seraphin* astant sex alis faciem tegentia, omnis incorporeæ virtutes pro te cum Sacerdote intercedunt: Ignis Spiritualis è cœlo descendit; Sanguis in Cratere in tuam purificationem ex immaculato latere haustus est: Et non erubescis, revereris, & confunderis, neq; DEum tibi propitium facis?

AuGuSTINuS (*lib. de dono viduit. cap. 16.*) In sacramentis fidelium dicitur: *Sursum Corda*, quod munus est Domini, *& non in nostra potestate*, ut quæ *Sursum* sint, quis sapiat, ubi Christus est, ad dexteram DEi sedens?

IDEM

IDEM (*in Psalm. 39.*) Quod inter sacra mysteria *Cor sursum habere jubemur*, ipso juvante id volumus, *quo jubente admonemur.*

IDEM (*in Psalm. 85.*) Levandum est *Cor*, neq; hîc habitandum est corde; Hæc mala regio est, sufficiat quod adhuc carne necesse est hîc esse. *At Sursum Cor habetur*, ut si surrexistis cum Christo, dicit Apostolus fidelibus, corpus & sanguinem Domini accipientibus, hoc dicit: Si surrexistis cum CHRISTO, quæ *Sursum* sunt sapite, ubi CHRISTUS est, in dextera DEi sedens.

XIII.

Gratias agimus.

GRatiæ deinceps agebantur, cum diceretur: GRATIAS AGIMUS tibi Domine *sancte Pater omnipotens, æterne DEus, per Christum Dominum nostrum, &c.* Hæc antiquissima sunt, & in vetustis scriptoribus passim habentur. *Quin & ipsum corporis Christi & sanguinis mysterium* εὐχαριστία dictum est, quod tota ejus confectio à Gratiarum actione pendeat.

XIV.

Verba Cœnæ, & Oratio Dominica.

Cùmq; Antistes dixisset: per *Christum Dominum* ad verba Cœnæ propria, quam consecrationem vocant, descendebat: quibus recitatis, *Dominica Oratio* adjiciebatur: Hæc duo inter actionis simpliciter necessaria connumerant ipsi Pontificij. Gregorius Magnus orationem Dominicam post Canonem super hostiam censuit recitari, Anno Domini 592. (*Sigebert. in Chron. & Volaterr. lib. 22. Szeged. de summa doctrina pontificia.*)

XV.

Sanctus. Benedictus.

At XYSTUS vel SIXTUS voluit, ut antea populus caneret Τρισάγιον; SANCTUS S. S. Cujus tamen canendi hymni, CELESTINUM autorem facit Vrspergensis (*P. Martyr. Nauclerus generatione 9. Polyd. l. 5. c 11. Esai. 6. Apoc. 1. Vrspergens.*) Pôst

Pòst accini consuevit BENEDICTuS, &c. ut Angelicis & Evangelicis Evlogijs tremendæ cœnæ Dominicæ consecrationem, cum reverentia præstolari juberetur congregationis populus. (*Psalm. 118.*) Prima enim pars laudem continet Angelorum; ultima hominum, ut legitur in Esaia cap. 6. *Duo Seraphin clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Deminus DEVS Zebaoth:* Et in Evangelio Matth. 21. quod qui præibant & sequebantur clamabant dicentes: *Hosianna Filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Siquidem vox Angelorum *Hosianna* scilicet in altissimis, Trinitatis & unitatis in DEo commendat arcanum; vox hominum *Hosianna* scilicet Filio David, divinitatis & humanitatis in Christi persona Sacramentum designat. Illud etiam animadvertendum, quod ter dicatur *Sanctus,* ut notetur distinctio personarum; Sed semel tantùm dicitur *Dominus DEus Zebaoth:* ut notetur divinæ essentiæ vnitas: Item Ter in singulari numero Sanctus & non Sancti dicitur pluraliter, una sanctitas in his tribus personis & una æternitas & æqualitas intelligatur. Hoc non solum Seraphim clamabant (*Apocal. 1.*) sub excelso DEi Solio apud Prophetam, sed & quatuor animalia die ac nocte decantant; *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEus Zebaoth.* Dicitur autem DEus Sanctus, id est sacrificans, & qui præcipit Sancti estote, quia ego Sanctus sum Dominus DEus vester. Dicitur Pater Sanctus, dicente Filio, (*Iohan. 17.*) *Pater sanctifica eos in veritate quos dedisti mihi, quia tu sanctus es.* Dicitur Filius sanctus Angelo attestante (*Luc. 1.*) *quod ex te nascetur, Sanctum vocabitur.* Dicitur Spiritus Sanctus Christo dicente (*Iohan. 20.*) *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* Dicitur quoq; Dominus DEuS Sabaoth, id est Exercituum Angelorum & hominum: de quo in Psalmo 24. dicitur ab Angelis: *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum.* Dum ergo dicimus, *Pleni sunt cœli & terra gloriâ tuâ,* agimus gratias creatori de omnibus beneficijs, dum verè dicimus, *Benedictus qui venit in nomine Domini,* gratias agimus specialiter, pro beneficio redemptionis. Quia enim necessarium est ad salutem Incarnationis mysterium confiteri, rectè subjungitur, *Benedictus, qui venit in nomine Domini.*

PRAE-

XVI.

PRÆFATIONES *ante consecrationem, cui CANON assutus.*

VT autem commodus accessus daretur, ad aliud Canticum, tremorem & timorem DOMINI in attentis excitandi gratia, quasdam PRAEFATIONES interpositas esse videmus: Quales etiam hodie Festi beneficijs commemoratis, prædicationi verbi connectunt Sacramenti celebrationem, & animos ad gratiarum actionem præparant, quod Fidem in nobis DEuS non tantùm verbi promissione augeat, verùm etiam Sacramenti sigillo obsignet & confirmet. *Gelasius* autem *Præfationes*, quæ Canonem præcedunt, cantu quidem & Sermone eleganti composuit, quæ ut testatur *Pelagius* novem numero sunt: decimam ad honorem DEiparæ virginis Vrbanus addidit. Et quidem *Pelagius* ille Pontifex decrevit, quotidianam Sacramentorum præfationem, ad Missas novem tantummodo præfationibus, secundum antiquum Romanorum ordinem esse commutandam, scilicet in Natali Domini, In Apparitione, in Pascha, in Ascensione, in Pentecoste, de Sancta Trinitate, de Apostolis, de sancta Cruce, de jejunio quadragesimali Anno DXXCI. (*Sigebert. in Chronic.*)

Etiam memorabile est, qua motus occasione *Theodosius*, toti orbi terrarum præceperit, ne *Hymnum* hunc Τρισάγιον Ecclesiæ prætererirent; Tricesimo quippe Imperij Theodosij anno terræ motus facti sunt Constantinopoli per quatuor menses, ita ut metu nimio perculsi Byzantini, extra civitatem in campum unà cum Episcopo, qui tum Proclus fuit, secederent, precibus DEo pro liberatione ab imminenti interitu supplicantes. Quadam ergò die fluctuante terrâ atq; omni plebe attentiùs clamante, κύριε ἐλέησον, circa horam tertiam, omnibus videntibus â divina contigit virtute sustolli quendam adolescentulum in aëra, & audire divinam vocem admonentem, ut Episcopo ac populo nunciaret, ut LITANIAS sic facerent & dicerent: ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ὁ ἰσχυρὸς, ἅγιος ὁ ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς, *Sanctus DEVS, Sanctus fortis, Sanctus*

Sanctus immortalis, miserere nobis: nihil aliud apponentes. *Proclus Episcopus*, cùm sic facere populo præcepisset, terræ motus cessârunt. Inde THEODOSIuS Τρισάγιον hoc commendavit universi orbis Ecclesijs. (*Paulus Diac. lib. 14. Nicephor. lib. 14. cap. 46. & Cedrenus.*) Cantatur autem coràm altari â solo sacerdote præfatio, quæ & præparatio vocátur, quia in ea Sacerdos præloquitur laudes & grates DEo, & præparat fidelium mentes ad futuræ reverentiam consecrationis, ut sursum corda habeant in cœlestibus, & non in terrenis. Dicitur etiam *Hymnus Angelicus*, quia Angelicis laudibus est plenus, & in eo homines & Angeli conveniunt ad concinendum Regi: Vnde & altâ ac delectabili voce cantatur, quia in illa Angelorum præconia repræsentantur. Postquam Sacerdos finivit Præfationem, *Quia dignum & justum est, æquum & salutare, gratias DEO omnipotenti referre*; totus Chorus cantat hymnum, qui partim Angelorum, partim hominum verba complectitur, nimirum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; de quo in præcedenti capite.

Præfationis autem cantica excipienti consecrationi assuerunt suum *Canonem*, non veriti, eum inter actionis simpliciter necessaria, cum verbis Cœnæ & oratione Dominica pari gradu, imo vel superiori tanquam consecrationem summam & caput Missæ constituere, licèt recitationem cum silentio inter necessaria de congruo collocent. (*Szeged. de summa doctrina Pontif.*) Illum Scholasticus quidam, ut Gregorius (*in suo Registro*) memorat, composuit; qui sane ab eodem Gregorio minimè probatur, quod sua inserere voluerit, & orationem Dominicam neglexerit (*Polyd. lib. 5. cap. 11. Brigomensis in Theodosio, Platina, Sigebertus, Sabellicus Enneade octava. lib. 1. Nauclerus*) Quid verò ad Idoli fabricam unusquisque artificum, ab Alexandro usque, qui circiter CCCLX. annos ante Gelasium sedit, & præcipuè LEO astruxerit, corradere licet hujus rei collectoribus,

XVII.
Osculum Pacis.

FInitâ consecratione dicebatur *Pax Domini* (*Polyd. lib. 5. cap. 11.*) Et de pa-

de pacificâ salutatione CHRYSOSTOMUS inquit: In Ecclesijs pacem, in precationibus, in supplicationibus, in præfationibus, & semel atque iterum, ac tertiò & sæpe eandem, qui Ecclesiæ præest, impertit dicens: *Pax vobis*. Et paulo pòst: Ac non dicit Ecclesiæ præsul; *Pax vobis* simpliciter; Sed *Pax omnibus*: Item: mox atq; Præsul Ecclesiæ ingreditur dicit: *Pax omnibus*, quando concionatur, quando benedicit; quando salutem optare jubet, quando sacrificium absolvitur, & interea rursus *Gratia vobis & Pax*. (*Coloss. 1.*)

Hinc OSCULUM PACIS datum fuit inter Sacerdotes mutuò, quod INNOCENTII. I. inventum putatur, velut LEONIS II. ut pax in sacrorum ceremonijs astanti populo circumferretur; Et utrumq; juxta Polydori (*lib. 5. cap. 11.*) opinionem, ex Iudæ osculo elicitum, ex imitatione Servatoris, qui consueverat suos præsertim discipulos abeuntes vel ad se redeuntes deosculari (*Sigebert. Volat. lib, 22.*)

At in primitiva Ecclesia charitatis causa tempore Cœnæ Dominicæ præsentes mutuò oscula dederunt: (*Bened. Aretius*) Et quod in actione profitebantur, confirmare voluerunt symbolo: ut religiosum illud osculum esset testimonium communionis & consensus in eâdem religione, contestatione etiam facta fraternæ dilectionis: Etenim inter pios *Sanctitatis & Charitatis* præcipua habetur cura: Prioris, ut rectè erga DEum vivant, sese nulla impietate polluentes: Posterioris verò est, cum *Proximo*, ut decet professionem Christianam, vivere. Sanctitatis osculum iterum atque iterum Corinthiacæ Ecclesiæ præcepit D. Paulus (*1. Corinth. 16. & 2. Corinth. 13. 1. Thessalon. 5.*) amicè suadens: *Salutate vos invicem osculo Sancto*; Et Thessalonicensi: *Salutate fratres omnes cum Osculo Sancto*. CHARITATIS OSCULUM D. Petrus (*1. Petr. 5.*) commendat, demandans: *Salutate vos mutuò Dilectionis osculo*. Psaltes etiam justitiæ & paci se osculatis congratulatur. (*Psalm. 85.*) Et hoc osculo monebantur osculantes, ne blasphemando, futilia loquendo, convitia proferendo, vel hypocritico Absolomi (*2. Sam. 15.*) Ioabi (*2. Sam. 20*) & Iudæ (*Matth 26.*) osculo tale os polluerent, quod accipiens corpus & sanguinem Dominicum, summum honorem

consecutum esset, quippe per oris januam & portam ingrediente Christo, quem communicant mysteriorum participes. Ei deniq; monitioni Meditatio hæc succurrere potuit; quod *Christus* ipsum in pœnitentia & fide, in proximi dilectione, & misericordia exosculatus, iterum sit osculaturus, osculo oris sui, instar patris filium prodigum osculo excipientis (*Psalm. 2. Cant. 1. Luc. 15.*) hoc est: Hieronymo (*ad Dardan.*) & Augustino (*2. quæstion. Evang. cap. 33.*) interpretibus, quod salvator in carne exhibitus & manifestatus fide, conversos peccatores consoletur certa spe remissi peccati & gratiæ æternæ. De hoc osculo pacis faciunt mentionem Tertullianus (*in Apolog.*) & Iustinus Martyr (*in 2. Apologia*) qui elegantissimè inter cætera ait: ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα.

XVIII.
Agnus DEi. Discubuit.

SVB ipsa corporis & sanguinis distributione, ad quam veniebatur, dum hæc agerentur, decantandum Canticum: AGNuS DEI (*Iohan. 1.*) à quodam *Innocentio* hûc dicitur fuisse inductum: (*Volat. l. 22.*) quamvis alibi, SERGIuM Pp. Anno Christi 688. AGNuS DEI Missæ adjecisse, legitur. Etiam Responsorium; DISCuBuIT IESuS, vel alias cantiones de institutione Cœnæ, hodie accinit Ecclesia: Quæ cantiones sunt conciones annunciantes mortem Domini (*1. Corinth. 11.*) ut qui communicat, firmissimè persuasum habeat, non alîus quam innocentissimi Agni victimam, quæ pro totius Mundi peccatis sufficiens fuit, pro suis etiam esse sufficientem; Et non tantum oret CHRISTuM, ut nunquā desistat miserere nostri, & donare pacem & vitam: Sed etiam pro tam paratissima & acerbissima morte debitam erga Christum gratitudinem obedientiæ & patientiæ vestigijs exprimere discat. (*1. Petr. 2.*) Quicunq; enim sine fide & proposito meliori, temerè & inconsideratè hoc sacratissimo epulo vescitur, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. (*1. Corinth. 11.*)

Post

XIX.

Post Communionem.

DIstributione perfectâ Canticum gratiarum actionis adijciebatur, quod POST COMMuNIONEM appellârunt.

XX.

Apprecatio vel Benedictio.

COmpletis atq; perfectis ijs omnibus, Minister populum, faustâ precatione adjectâ, missum faciebat; (*Num. 6.*) Augustinus etiam (*in Ep. 90.*) significat, quod soliti sint ministri populo benedicere: Idem (*tom. 4. in quæstione ex utroq; mixt.*) Benedictio inquit sacerdotalis magni æstimanda est.

EPILOGVS.

HAEc omnia etsi Christianum populum à prima illa simplicitate Cœnæ Dominicæ abduxerunt, adjectis compluribus, ut varijs hominibus visum fuit; Attamen utcunq; ferri poterant, nec superstitionis aut Idololatriæ jure accusanda. Non tamen in omnibus Ecclesijs erant, nec eodem modo servabantur; nam adhuc in Ecclesia Mediolanensi ex instituto Ambrosij aliter agitur. Cæterum posteris temporibus Antichristi Romani omnia corruperunt. (*Petr. Martyr.*)

COROLLARIVM,

Testimonijs veterum partes Leiturgiæ plerasq; demonstrans.

VEteri instituto servata fuisse, quæ commemorata sunt, ex scriptoribus vetustissimis potest comprobari.

TERTVLLIANuS (*in Apologetico*) Coimus in cœtum & aggregationem, ut ad DEuM quasi manu facta precationibus ambiamus orantes: *Hæc vis Deo grata est.* Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum & potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete & mora finis. Hæc indicant summam Collectarum. De recitatione verò scripturarum subdit. Coimus ad scripturarum divinarum comme-

morationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit aut recognoscere. Certè fidem sanctis vocibus poscimus, spem erigimus, fiduciam fugimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus: Ibidem & exhortationes, castigationes & censura divina. Nam & judicatur magno cum pondere, &c. Hæc sunt quæ fiebant in sacro cœtu. Quibus & ea sunt addenda, quæ idem autor alibi dicit: nimirum Evcharistiam consuevisse de manu Prę-fectorum sumi, &c Possumus in ijs verbis præcipuas Missæ partes quæ commemoratæ sunt agnoscere:

IuSTINuS MARTYR scribit, (*Apolog. 2.*) die Solis Christianos convenisse, ibi recitari ait divinas literas, quibus postea suam adhortationem præfectus subijceret. Quo pacto, inquit, surgimus & oramus. Addit postea; Panis & potus ad Præfectum affertur, super quibus quanta cum vi potest, gratias agit: Cui ab omnibus AMEN respondetur. Duo hæc verba indicant, non oscitanter prætereunda. Primum gratias non perfunctoriè fuisse actas, sed quanta cum vi posset, hoc est, summo affectu. Deinde *Clara voce*, ea omnia dicta fuisse liquet, cum populus responderit AMEN. *Distribuitur* postea, inquit, Evcharistia, deinceps est communis gratiarum actio, & Eleemosynarum oblatio.

DIONYSIuS (*in Hierarchia Ecclesiastica*) hæc eadem fere commemorat, *recitationem scripturarum, Psalmorum cantum, communionem, & alia,* quæ longum esset modò referre; Sed quod magis mirandum videtur, Oblationis Corporis Christi mentionem minimè facit.

AuGuSTINuS Pater in Epistola 59. ad Paulinum, dum quæstionem quintam dissolvit, quatuor voces, quæ in Epistola 1. Timot. 2. habentur, exponit.

Eæ verò sunt, δεήσεις, προσευχαὶ, ἐντεύξεις καὶ εὐχαριστίαι.

1. Atq; δεήσεις statuit celebrationem Sacramenti præcedere.

2. προσ-

2. προσευχὰς autem preces facit, quæ in ipsa Sacramenti administratione habebantur, ubi quodammodò nos ipsos Christo vovemus.

3. ἐντεύξεις autem petitiones ac postulationes esse arbitratur, quibus Ecclesiæ Minister, astanti populo benè precetur.

4. Et deniq; εὐχαριστίας communes gratiarum actiones fuisse tradit.

PARTIS PRIMAE

III. Membrum:

ΕΞΗΓΗΜΑ,

Sive

Explanatio Leiturgodiæ Matutinæ & Vespertinæ:

Cum Corollario

De Litanijs,
Horis Canonicis, &
Psalterio D. Virginis.

QVemadmodum in veteri Testamento juge sacrificium manè & vespere Domino offerebant: *(Ex. 29, Num. 28.)* Sic Christianos decet fragrante fidei flamma in cultus divini suavem nidorem & odorem, ceu hostias Deo gratas, adolere & sacrificare MATuTINAS & VESPERTINAS preces & Leiturgodias.

Domine labia mea aperies: Et os meum annunciabit laudem tuam.

Exordiri eas solet MYSTOCHORODIA, ubi Mystæ, sive Sacerdoti præcinenti ex Psalmo 51. *Domine labia mea aperies*; Chorus succinit; *Et os meum annunciabit laudem tuam.*

Quo ipso Exordio Leiturgi Ecclesiastici, & Cantores & Concionatores, primò apud DEum magnam benevolentiam captant, cum humili professione imbecillitatis humanæ, quæ non apta est invocationi & laudi divinæ. Homines enim, se mutos esse in divinis, & peccatores os clausum habere, cum Origene *homil. 38. in Levit.* vel se balbutientes, cum Mose *Exod. 4.* fateantur oportet. Majorem enim cum DEo gratiam ac benevolentiam ineunt hac fiduciæ plenâ invocatione DEi,

DEi, qui solus clausa labia & os mutum in Laudis divinæ prædicationem aperire valeat, uti promiserat balbutienti Mosi *Exod. 4.* Ego ero in ore tuo, doceboq; te, quid loquaris. Quod & Psaltes λειτουργὸς David arripit *Psalm. 40.* Dominus inseruit ori meo canticum novum. Hoc exordio deniq; de Deo gratuitam in cultum Leiturgicum attentionem sibi cum fiducia pollicentur, simulq; Ecclesiæ cum attentione docilitatem insinuant; quòd nimirum nihil, nisi divinum, Deoq; gratum, & ab ipso inspiratum, labijs & ore sint cantaturi & prædicaturi.

Cúmq; Ecclesia valdè periclitetur sub piarum Leiturgiarum exercitiis, quæ invisa sunt Satanæ, ejusque Organis Hæreticis, Tyrannis, alijsq; turbatoribus, tàm invisibilibus, quàm visibilibus hostibus, qui sæpè cœtum piorum vi & armorum strepitu, vel incendijs, vel clamoribus invadere & disturbare ausi fuerunt: adversùs hostilem impetum præmuniunt sese Leiturgici, hac sequenti Mystochorodia: qua à Sacerdote præcinente; *Deus in adjutorium meum intende,* provocatur Chorus ad succentionem; *Domine ad adjuvandum me festina.* Quem Prologum Leiturgodiæ, ex Psal. 69. desumptum, nobis de notâ meliori commendat non tantùm Chaldæus Paraphrastes, qui ait, hunc Psalmum Davidi pro fasciculo thuris fuisse in manibus; verumetiam ipsius Psalmi titulus, qui sonat, quòd Victori, sive Magistro Symphoniæ, traditus sit Psalmus Davidis ad recordationem, sive in μνημόσυνον divinæ liberationis ac custodiæ; quam etiam pro libera & pacata cultus divini Leiturgodia impetratam Ecclesia gaudeat recordari, cum publica ἀναμνήσει, & grata prædicatione beneficiorum. Similem huic, Psalmi 38. titulum augent & explicant Græci LXX. quòd sit recordatio Diei Sabbathi. Qui autem Primus Psalmi 69. verba initialia cum S. S. Trinitatis glorificatione cani instituerit, videatur infra in Coronide, sub horis Canonicis. *Deus in adjutorium, &c.*

Δοξολογία S. Trinitatis subjungitur in Leiturgodiæ exordio; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.* Qua glorificatione Trinitati gratitudinem declarant Leiturgi, certi de exauditione promissa Esaiæ *Gloria Patri, &c.*

ſa Eſaiæ 65: Adhuc te loquente adſum. Primum verſiculum Nicæna Synodus dicitur edidiſſe; & antiquiſſima Eccleſia Græcorum, monente Baſilio δοξολογίαν hanc Pſalmis adjecit: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto:* ut publicè τὴν τριάδα & ὁμουσίαν perſonarum profiterentur. Ac ne novum ampliùs Macedoniani dicerent eſſe de Spiritus Sancti divinitate dogma, Hieronymi ſuaſu additus eſt hic verſiculus; *Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum.* Atq; hos duos verſus Hieronymus putatur miſiſſe Damaſo Papæ, qui ipſius rogatu eos in fine Pſalmorum cantari inſtituit. De more δοξολογίαν hanc canendi, in monophonis AEgyptiorum Pſalmodijs recepto, dictum eſt ſupra Membro I. hujus partis cap. 1. in diſcurſu de Chorali Muſica, & Pſalmodiâ Veterum.

Invitatorium. Quia verò non ſufficit, ut vel ſolus Sacerdos, vel tantummodo Cantorum Chorus, atq; unus & alter Deum laudet, ad laudes gregatim conjungendas vel certè devotione unanimi attendendas, *Invitatorio* excitatur univerſa Eccleſia, deſumpto ex Pſalm. 96: In quo προτροπὴ & exhortatio multiplicem cauſam jubilandi & exultandi, ex Deo ejusq; beneficiis depromtam, piis & gratis animis obtendit; Et ἀποτροπὴ, ſive dehortatio, ab induratione cordium, propoſito triſti exemplo cœcæ & obſtinatæ multitudinis, quę in deſerto periit, ingratos ſeriò avocat. Eam autem ad matutinas Leiturgodias invitationem inter alia ſuppeditaſſe videtur Angeli cum Iſraële colluctantis δέησις, & oratio admiratione digna: *Dimitte me, quia aſcendit aurora.* Vbi addit Paraphraſtes Hieroſolymitanus: *Appropinquat enim hora Angelorum ad celebrandum Deum* Gen. 32.

Vehementi autem motu Spiritus Sancti plena eſt interpretatio Pſalmi 96. ad Ebr. 3. & 4. extans, quod illi nimirum, qui in æternam requiem ingredi volunt, Chriſtum nequaquam contemnere, ſed aſſiduo cultu & veneratione proſequi debeant: *Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo ſalutari noſtro. Quoniam Deus magnus eſt Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos. Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in Meriba, ſecundum diem tentationis in deſerto.* Vnde quoq; Vete-

res

res diebus Dominicis, preces matutinas ab hoc Pſalmo exordiri consueverunt; ut nimirum animum ſuum ad auſcultationem & meditationem verbi cœleſtis excitarent, nevè impiorum Iſraëlitarum exemplo Chriſtum, ejuſq; verbum quiſpiam contemnere auderet. Profanis enim Evangelij contemtoribus Deus juramento interpoſito minatur, quòd in æternam requiem ingredi non debeant.

Antiphonæ cum Pſalmodiis.

De Pſalmodijs in Chorali Muſica ſatis dictum eſt. Cum Pſalmodijs autem, quod hîc indicandum reſtat, *Antiphonæ* (quas ordinavit *Celeſtinus* Pp anno Chriſti 426.) cantantur; dictæ ab ἀντὶ, quod contra, & φωνῇ, quod idem eſt, quod vox & ſonus: ſecundùm hujus enim Melodiæ tonum Pſalmodia intonatur ab uno unius Chori, & a duobus Choris alternatim cantatur, eaq; abſoluta, Antiphona ab omnibus perfectè repetitur, & communiter canitur. *Antiphona* Græcis vox reciproca, quòd viciſſim canatur, inquit Polydorus (*l. 5. de rer. inv. c. 13.*). Mittimus ex hac canendi viciſſitudine Durandi allegoriam de Caritate, inter duos non pauciores conſiſtente, que ab uno capite incepta, & in omnibus membris conſummata, ad unitatem tendat, & ad commune ſurgat gaudium.

Pſalmi Maiores & Minores.

Cæterùm *Pſalmi* generaliter dividuntur non ex arte, ſed uſu ſic probante, in *Majores & Minores*. *Minores* ſunt omnes Pſalmi Davidis, & cantica veteris Teſtamenti. *Majores* ſunt ex Evangelio ſumpti, ubi habentur Zachariæ, Mariæ, & Simeonis cantica. Hi cum aſcenſu, illi verò aliquot notis in uniſono poſitis, inchoantur: & in Pſalmis Minoribus, quando medium deſinit in dictiones indeclinabiles, monoſyllabicas, Hebræas, atq; barbaras, tum ultima ejus nota elevari ſolet.

Pſalmorum Toni. Evovae.

Cúmq; Veteres, *Tonorum tropos* triplices numeraverint; Pſalmorum, Introituum & Reſponſoriorum: hîc *Tropus* nihil aliud eſt, quàm brevis Melodia, cuiusq; Toni repercuſſione incipiens, quæ ſingulis Pſalmorum verſibus in fine adhibetur. Et ſignificatur poſt Antiphonarum finem per dictionem, in clauſula poſitam, E VO V AE, quæ omiſſis conſonantibus, *ſeculorum Amen* ſonat.

Constitutio Troporum, Majoris & Minoris Psalmi intonationi conveniens, petatur ex Lossij Psalmodia, vel aliorum Musicorum institutionibus.

Damasus instituit primus, ut Chorus alternis vicibus Psalmos caneret: quanquam non nemo tradit, id antea ab Ignatio Episcopo Antiocheno institutum fuisse quippe qui per quietem audivisset Angelos, ad eum modum vicissim Psalmos concinentes. (*Polyd. de inv. l. 6. c. 2.*)

Psallendi rationem per *Antiphonam*, id est, Choros, sibi alternatim succinentes, primus Constantinopoli instituisse legitur Chrysostomus, æmulatione quadam Arianorum, qui ad Oratoria sua extra urbem procedentes, inter eundum ea modulandi ratione utebantur, singulari quadam pietatis specie. Ne itaq; simpliciores à saniori Ecclesia, hypocrisi illà abalienarentur, similia ipse quoque instituit, & quidem majori cum splendore & magnificentia. (*Socrat. lib. 6. cap. 8. & Sozom. lib. 8. cap. 8.*) *Antiphonas* enim cum Psalmis canendas omnino Græcos instituisse, ex Græco colligitur vocabulo; qui mos ad universas exivit Ecclesias. *Ambrosio* Antiphonarum cantus in Ecclesijs Latinis à Sigeberto tribuuntur. Et IVO in Chronico sub Valente refert, Vigilias, *Antiphonas*, Mediolani primùm ab *Ambrosio* cœptas, emanasse ad omnes Provincias. Syricius quoque *Antiphonas* Psalmis admiscuit. *Balæus.* Fuit autem Syricius natione Romanus, patrem habuit Tiburtium; in Episcopatu Damaso successit, anno imperij Gratiani & Valentiniani sexto: Christi Anno 387. *secundùm Prosperum.* Familiaris fuit Ambrosio, Mediolanensi Episcopo, cujus ad Syricium aliquot extant Epistolæ: ut quæ in ordine quadragesima nona est, & quinquagesima quarta, in qua Patrem eum suum nominat. Mortuus est circa annum Domini quadringentesimum, posteaquam Romanæ sedi præfuisset annis quindecim: juxta *Socrat. lib. 7. cap. 9. & Sozom. lib. 8. cap. 25. ad Damasum:* decimo sexto verò secundùm Prosperi Chronicon.

Responsorium. RESPONSORIuM est illud canticum, quod plerisque in Ecclesijs canendo vel recitando a puero præmissæ lectioni Evangelij, vel Epistolæ, Chorus subjungit; sic dictum, quòd ejusdem

Lectio-

Lectionis argumento, vel documento myſtico, aptè reſpondet & conſonat, per textum ſeu typum maximè congruum: Vel quia à pueris decantato verſui totus reſpondet Chorus.

De Reſponſorijs Polydorus hæc conſignavit: Reſponſoria verò, quæ novitio quidem vocabulo ſic dicunt, Itali primùm inveniſſe traduntur. Sunt qui *Reſponſorium* etiam *Gradale* vocent, quòd juxta gradus ſuggeſti cantetur. (*Polyd. lib. 5. de invent. rerum, cap. 11.*

Vt autem Pſalmorum Tropos in Tonis ex clauſula *Evovae*, ſic Introituum & Reſponſoriorum ex verſuum melodia conſtituunt Veteres. Poſteritas verò tantùm Pſalmorum tropos propter rerum intonationes probat, Introituum & Reſponſoriorum tonos ex alijs modis cognoſcendos relinquit.

Dum laudum divinarum materiam Eccleſia meditatur & tractat, ab Ambroſio & Auguſtino evocatur in campum ampliſſimum, unà cum cœleſtibus & terreſtribus creaturis, univerſarum rerum conditorem & Gubernatorem, atq; generis humani Redemtorem celebrandi, conjunctâ pro beneficijs gratiarũ actioni precatione, ut Eccleſia hîc beneficiorum Chriſti per fidem particeps, hæreditate æternæ ſalutis tandem ornetur. Volunt autem quidam, quòd, cùm Auguſtinum, de Manichæis converſum, baptizaſſet beatus *Ambroſius*, dixerit: *Te DEum laudamus*; Auguſtinus verò reſponderit: *Te DEum confitemur*. Illo iterum dicente: *Te æternum Patrem*; hic reſponderit: *Tibi Omnes Angeli*; & ſic totum Symbolum ab Ambroſio & Auguſtino alternatim eſſe compoſitum: ad quem modum in quibuſdam Eccleſiis mutati Chori, vel Chorus cum Eccleſia, mutatis vicibus & verſibus, hoc Symbolum alternatim decantare conſueverunt. *Te DEum laudamus.*

HYMNUS, qui poſt Reſponſorium cani ſolet, eſt laus, DEo reddenda, cum Cantico & Carmine, vel rhythmicè, vel metricè, ad certos ſyllabarum numeros compoſito. *Hymnus.*

Hymnum Auguſtinus in Pſalmum LXXII. ita definit: HYMNI, inquit, laudes ſunt DEi cum Cantico: *Hymni* Cantus ſunt, continentes laudem Dei; Si ſit laus, & non ſit Dei, non eſt hymnus; Si ſit

laus, & DEi laus, & non cantetur, non est hymnus: Oportet ergo, ut, si sit *Hymnus*, habeat hæc tria, & laudem, & Dei, & Canticum.

Quæ descriptio Hymni cum Ode practica coincidit: de quo modulationis genere, ab alijs distincto, commemoratum est in discursu de Chorali Musica & Psalmodia Veterum: de quo etiam *in subseq: Theoria Organices cap. 9.* tractabitur. Et fuisse aliquam differentiam inter *Psalmos, Hymnos, & Odas Spirituales*, innuit D. Paulus, hæc sacra exercitia commendans non sine distincta enumeratione, Col. 3. Eam Pauli admonitionem Chrysostomus, & ex illo Theophylactus, interpretati, *Hymnos* quidem Angelis, *Psalmos* Sanctis hominibus adscribunt, & utraque sub genere *Spiritualium carminum* contineri perhibent. Polydorus simpliciter disseruit; *Psalmus*, inquiens, & *Hymnus* utrumque Græcum; ac alterum Latinis Canticum, alterum Laus dicitur. *lib. 5. de rerum invent. cap. 13.*

Lætitiæ communis *Hymnorum* & Cantuum Theophilus Alexandrinus meminit, paschali libro primo. De Ecclesiis etiam Insularibus attestatur Epiphanius lib. 3. Tomo 2 in doctrina compendiaria de fide Catholica; *Matutini*, inquiens, *Hymni* in Ecclesia perpetuò fiunt, & orationes matutinæ lucernalesquè, simul Psalmi ac orationes. Et Ephrem *lib. de pœnitentia cap. 2.* Festivitates nostras honoremus in Psalmis, Hymnis, & Canticis Spiritualibus.

Hilarius autem, Pictaviensis Episcopus, qui vixit sub Constantio, primus Hymnorum carmine floruit; & post eum *Ambrosius* Mediolanensis Episcopus *Hymnos* instituit, ideoquè *Hymni Ambrosiani* dicuntur, quòd ejus tempore primùm in Ecclesia Mediolanensi cantari cæperunt: Augustinus enim refert *(lib. Confess.)* Ambrosium, cùm à Iustina Imperatrice, Arrianæ perfidiæ damnatâ, persecutionem pateretur, instituisse *Hymnos & Psalmos* secundùm modum Orientalium decantari, ne populus mœroris tædio contabesceret, quod ad omnes fuit postmodum derivatum. Quemdadmodum etiam Antiphonarum Cantus; sic & *Hymnos* in Ecclesiis Latinis D Ambrosio Sigebertus tribuit, atque tam *Hymnos*, quam *Antiphonas*, Mediolani primùm ab Ambrosio cœptos

esse,

esse sub Valente, memorat Ivo *in Chronico*. Et quod D. August. (*lib. 9. Confess.*) affirmat, *Ambrosium*, Mediolanensem Antistitem, canendi *Hymnos & Psalmos* morem primùm apud occidentales instituisse populos, non utique multùm abhorret à sententia eorum, qui *Damaso* assignant. Nam cùm ambo per idem tempus fuerint, & quod unus cœpisset, ab altero ratum haberi oportuerit; non injuriâ & ambo ejus rei autores dici possent. (*Polyd. 6. lib. de rerum invent. cap. 2.*)

Hymnorum Vespertinorum facit mentionem Hilarius in expositione Psalmi 64: *Dies, inquit, in orationibus DEi inchoatur; dies Hymnis clauditur*. Et Psal. 65; *Audiat, inquit, orantis populi consistens quis extra Ecclesiam, vocem; spectet celebres Hymnorum sonitus, & inter divinorum quoq; Sacramentorum officia responsionem devotæ confessionis.*

Manè Christianos & *Psalmos*, & *Hymnos* cecinisse indicat D. Ambrosius, idq; à quibusdam non factum reprehendit, *in libro de jejunio cap. 15.* Et *Imperator Theodosius* junior medius Hymnos canendo præivit, privato habitu incedens, ut testatur Niceph. *lib. 14. cap. 3.*

Vitalianus verò canendi modum invenit decentissimum, quo *Hymni sacri* canerentur, tametsi id ante eum Gelasio & Gregorio non nemo assignat, adhibuitq; ad eum Organa, *teste Polydoro de rerum invent. lib. 6. cap. 2.* Durandus refert ex institutione Papæ Galesij, ac approbatione Conciliorum Toletani & Agathensis, *Hymnos* in divinis officijs esse decantatos.

Et certum est, *Hymnodiam* à magnis viris eximiâ liberalitate & devotione singulari subinde stabilitam & auctam fuisse. *Theophilus* enim Imperator multum impendit cantilenis operæ, HYMNOS quosdam & carmina componens, ac canere ea jubens, de quibus est: *Benedicite* quarti Toni, quod ex *Audi filia*, octavi toni, translatum à se, atq; concinnatum, in Ecclesia clarâ voce cani mandavit. Ac ferunt, eum carminis amore illectum, in solennibus ad magnam ædem conventibus, ne manus quidem ad cantus artificiosam agitationem detrectasse, Clerumq; Musicæ exercendæ causâ centum libris argenti donasse. *Cedrenus.*

(*Hymnum Theodulphi vide in Missodia de Sequentijs.*) *In festo Pal-*

marum ſolebat in Græca Eccleſia cantari Carmen, à *Theophilo* Imp. Muſicis concentibus ornatum: *Exite gentes, exite populi.* (Zonaras tomo tertio.)

LEO II. Pontifex, vir doctiſſimus, ut ejus ſcripta indicant, Muſices peritus, *Pſalmodiam* compoſuit, *Hymnósq;* ad meliorem concentum redegit, artem exercitatione confirmans. (*Platina.*)

STEPHANuS Laodicenſium Epiſcopus nocturnum de Sancto Lamperto Martyre (cujus quoque vitam & paſſionem deſcripſit) cantum; Item de Sancta Trinitate, inventioneq; Stephani Protomartyris, dulci & regulari modulatione compoſuit, & ſuo tempore in Eccleſia cani inſtituit, anno 903. (*Sigebertus in Chron.*)

RATHBODuS XIV. Epiſcopus Vltrajectenſis, varios in Sanctorum honorem Cantus compoſuit, circa annum ſalutis 900. (*Trithemius.*)

HYBALDuS, nepos Milonis monachi, ſeptem liberalium artium peritus, in Muſica præcipuè claruit, & de multis Sanctis cantus dulci modulatione compoſuit, (*Sigebert. in Chronicis, Anno 879.*)

Et quis neſcit præter ſuprà commemoratos tot pios HYMNOGRAPHOS poëtas?

MOSES Hebræorum legiſlator, cum Sorore MARIA primus *Hexametrum* carmen DEo opt: max: modulatus eſt, ſive *Heroicum:* poſtquam Iſraëliticum populum per rubrum mare duxiſſet incolumem. (*Exod. 15.*)

Hymnorum Lyricorum DAVID Rex autor fuiſſe videtur: apud Græcos SIDON, filia Ponti, *teſte Euſebio.*

Philo Iudæus ait, THERAPEVTAS (ſic enim ille Chriſtianos anachoretas vocat) ſolitos canere *Hymnos,* & ſacra carmina componere.

SYNESIuS Cyrenæus Epiſcopus Ptolemeenſis, qui ſub THEODOSIO juniore vixit, decem *Hymnos* ſacros Divinitati conſecravit, qui elegantiâ cum antiquis certare, pietate etiam ſuperare poſſunt: Eos latinitate donarunt Viri doctiſſ. *Guil. Canterus Vltrajectenſis,* hinc *Fr. Portus Cretenſis.* GEN-

GENNADIUS Afer, Pont. Rom. *Hymnos* ſcripſit, qui adhuc in ſacris habentur ritibus.

Quibus non inferiori loco annumerandi ſunt *Hymnorum* ſcriptores; *Paulinus* Nolanus Epiſcopus; *Aurelius* Prudentius; Clemens Hiſpanus ſub Theodoſio Iuniore; *Licentius* Hipponenſis, Auguſtini amicus; *Beda* venerabilis anno 732. *Paulus* Diaconus; *Rabanus* Maurus Fuldenſis, Bedæ diſcipulus, ſextus Moguntinorum Pontifex, Pariſienſis ſcholæ fundator; *Theodulphus* Pontifex Aurelianenſis: *Hudalbertus*, Cenomanenſium Antiſtes primò, deinde ab Honorio ſecundo Pontifice Max Turonenſis Epiſcopus factus; ut taceam noſtri ſeculi *Hymnologos* ipsâ Luſciniâ ſuaviores, *Philippum*, *Fabricium*, *Siberum* & alios

Priuſquam concluditur Hymnorum Leiturgia, referenda hîc venit per abuſum inventio & compoſitio *Hymni*, feſto *Iohannis Baptiſtæ* dicati, qui noſtris in Eccleſiis correctiùs decantatur, & nemini non notus eſt: *Vt queant laxis reſonare fibris &c.* Vnde ſex Muſicales voces ſunt deſumptæ, *Guidonis Aretini*, qui ſub Conrado II. & Henrico III. Impp. floruit, operâ. At manifeſta eſt idololatria, quòd *Paulus* quidam nomine, Romanæ Eccleſiæ hiſtoriographus, aliquando ſub exhibitione Paſchalis facis, der Osterkertzen/ raucedinem perſentiſcens, pro recuperanda vocis integritate hunc *Hymnum* compoſuerit, atq; eo ipſo *Ioannem* vocis clarioris patronum invocaverit, cujus quippe natali die, muto patri *Z*achariæ vox ſit reddita, cumq́; ipſe præcurſor & præco Domini, *Clamantis vox* Eſaiæ encomio proclametur.

Tantum de Hymnis: ſequitur Magnificat.

MAGNIFICAT *B. Virginis Mariæ* θεοφόρου, Canticum ab initiali voce ſic appellatum, ode eſt Euchariſtica, qua Chriſti mater cùm θεοτοκίας beneficium ſibi licèt deſpectæ & humili præſtitum, tùm Eccleſiæ benefacta, gratuitò & magnificè ex pollicitatione, contra malignorum voluntatem, collata, intimè ac medullitus celebrat. *Magnificat.*

Inter *Pſalmos*, quos *Majores* vocant, hoc Mariæ cum *Z*achariæ & Simeonis cantico commumeratur. Sunt autem *Pſalmi Majores*, quos Spiritus Sancti majori cum luce, tempore novi Teſtamenti, exhibito

Chri-

Christo, inspiravit, & quidem *Majoribus*, h. e præcipuis in Ecclesia ejus seculi personis, Christo carne spirituq; proximè cognatis, eundemquè coràm cum læticia contuitis; cujusmodi homines ob rem & corpus, ad spem & umbram collatum, *majorū*, quàm prisci sunt felicitatis; à quibus *majus*, h. e. præcipuum beneficium Dei, videlicet adventus Christi, promissa priscis facta explentis, celebratur; ob id *majores* inscribi dignissimi Psalmi, quippe ad finem usq; seculi in *majore*, h. e. Novi Testamenti Ecclesia Catholica, pleno ore & corde, domi forisquè decantandi.

Ex ijs Psalmis μεγαλυνῳδία sanè Leiturgodiæ Ecclesiasticæ pars maximè insignis ac frequentissima est. Etenim MAGNIFICAT illud tam magni fecit pia vetustas, ut omnibus Tonis, Tonorumq; differentijs, cujusq; Dominicę ac Festi solennitati congruentibus, post Antiphonas ritè concini instituerint μελοποιίας periti artifices Musici.

Et D. LuTHERuS Megalander *Magnificat* in Postillis domesticis seu privatis vocare dignatur *Canticum. Magisterij*, Ein Meister Gesang/ quòd frequenti ac decenti consuetudine in Ecclesiæ congressibus dignissimum sit, jugis Sacrificij instar, destinari *Leiturgodijs Vespertinis*. Quippe sub mundi vespera & seculo ultimo, in Novo Testamento, exhibitum Messiam hac gratiarum actione excipit cum Maria, humilis & indigna Ecclesia, sibimet gratulans de DEi erga humiles contemtosquè misericordiâ, de Christi in superbos contemtores potentiâ, de fide denique Dei in promissis servandis verissimâ.

Etiam omnibus omnium ordinum hominibus assiduam hanc Leiturgian pervolvendam inculcat, singulis conveniens argumentum, quod acutissimè innuit p. m. Reverendus vir *Simon Musæus*. Siquidem *Et Misericordia ejus à progenie in progeniem timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos* (Hæreticos) *mente cordis sui:* Hæc verba templorum valvis & Scholis affigantur.

Quæ sequuntur: *Deposuit potentes* (Tyrannos) *de sede, & exaltavit humiles:* aulis & curijs appendantur.

Deniq;

Denique: *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes:* domesticis januis, cellis penuarijs & cubiculis adscribantur.

Præterea scitè & mirificè nobis commendat hanc memorabilem *B. Mariæ* ODEN, quòd personarum cognominum cognatíque argumenti canticis, in Veteri Testamento præcantatis, unanimi consensione correspondeat.

Nam ad chori Ecclesiæq; DEum collaudantis, sedulam in castitate & integritate operam designandam, *Almah*, sive illibatæ virginitatis Sponsa MARIA, Christi mater, in Novo Testamento prima hujus carminis conditrix fuit & præcentrix: sicuti olim *Mirjam*, Mosis soror, *Almah*, sive virgo præcentrix, prima fuerat in Veteri Testamento, ubi omnium primam *Oden* Deo celebravit, cum fœminis reliquis, & virginibus, priori virorum Choro respondens: ceu Veteres constat στροφαῖς subjunxisse ἀντιστροφὰς & ἀντιχορίας. Par enim est ab omnibus, cujuscunque sexus & conditionis, celebrari DEum, Psal. 148. v. 10, & 13.

Quid? quòd eodem non tantùm cum Mirjam illius, sed etiam HANNAE in Veteri Testamento concinentis, Spiritu afflata hæc *Hannæ* alterius filia *Maria* canticum hoc ediderit, tam consona cum illis voce & mente, ut harum *trium* veluti *Charitum* Chorus harmoniâ incredibili, cum suavi & gravi gratiâ disertè concordare, aure facili, nec prorsus ægrâ, percipiatur expressè.

Nonne pari intonant modo utræq; Mariæ? *Luc. 1. & Exod. 15.*

Hæc:

Magnificat anima mea Dominum: Et exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.

Illa:

Cantabo Domino; quoniam triumphando magnificè egit: equum & ascensorem ejus dejecit in mare. Fortitudo mea & laus Dominus, factusq; est mihi in salutem: ille Deus meus, & decorabo eum: Deus patris mei; & exaltabo eum.

Etiam uno ore ab utrisq; concinuntur generi humano exhibita DEi beneficia.

1. Misericordiam prædicant;

Hæc tali encomio:

Et misericordia ejus à progenie in progeniem, timentibus eum.

Illa verò hujusmodi:

Duxisti in tua misericordia populum istum, quem redemisti: Duxisti in tua fortitudine ad habitaculum sanctitatis tuæ.

2. Potentiam & justitiam;

Hæc:

Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.

Illa:

Dextera tua, Domine, magnificata est in virtute:
Dextera tua, Domine, fregit inimicum, &c.
Cadat super eos tremor & pavor in magnitudine brachij tui: &c.

Et paullò antè:

Triumphando magnificè egit: equum & ascensorem ejus dejecit in mare, &c.

3. Veritatem;

Hæc Novi Testamenti Maria posterior:

Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ: Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini ejus in secula.

Illa Veteris Testamenti Maria prior:

Introduces eos & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ, ubi habitaculum mansioni tuæ fecisti Domine, ubi sanctuarium firmaverunt manus tuæ Domine.

Ex choro *Mariæ*, quæ *Mosis* fuit *soror*, hæc *Maria, Christi mater*, digressa, mox videtur tàm unanimi concentu *HANNAE Samuelis matri* sese conjunxisse, ut verba & sententias nonnullas ex *Hannæ Ode*, *1. Sam. 2.* mutuata, aut inde edocta jure putetur.

1. Illa

1. Illa inquit:

Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus, &c.

Hannah item:

Exultavit cor meum in Domino.

2. Illa inquit:

Fecit mihi magna, qui potens est.

Et hæc:

Non est fortis, sicut DEus noster.

3. Illa:

Et sanctum nomen ejus.

Hæc:

Non est sanctus, ut Dominus.

4. Illa:

Deposuit potentes de sede & exaltavit humiles.
Esurientes implevit bonis.

Hæc:

Infirmi accincti sunt robore, & famelici saturati sunt panibus.

Denique in utroque Hymno multa sunt consimilia, nec mirum; quia consimile tractant argumentum: ibi virgo peperit; hîc sterilis est fœcundata.

O utriusq; Testamenti suavissimam harmoniam: ô concordiam salvificam: Unius Christi, unius Spiritus, unius fidei testificationem & obsignationem certissimam, evidentissimam: quæ vel sola Megalynodiæ commendationi sufficere posset.

Colophonis loco post orationem EVLOGODIA, a pueris imperfectæ ætatis canitur: BENEDICAMUS DOMINO. Denotari quippe volunt quidam, quòd omnis laus nostra puerilis sit, & imperfecta *Benedicamus Domino: Deo dicamus gratias.*

planè, ad opera & beneficentiam DEi, quem laudamus, comparata: Quicquid enim dici poteſt, minus laude DEi eſt: vel iſto puerorum cantu admonemur de puerili ſimplicitate, & ſimplici fidelitate, à Chriſto in omnibus, ad regnum cœleſte contendentibus, deſideratâ, (*Marc. 10.*): quam univerſus Chorus imitatus, floridorum inſtar Cherubim, reverenter & humiliter DEi mirabilia in finem uſq; extollit, cum grata memoriq; recordatione.

Nunquam enim ingrati animi oblivione eſt omittenda *Eulogodia*, Leturgiæ Eccleſiaſticæ ἐυχαριστικὴ clauſula; quâ poſt ritus Leturgiæ, in congreſſibus peractos, cum gratiarum actione, tanquam ad plus dandum invitatione, Deo accepta beneficia referre Chriſtiana pietas exigit: Namq; Deus ille munificus eſt, qui ex promiſſi tènore in ſacrarijs & Oratorijs ad nos pervenit, benedicens nobis, (*Exod. 20.*) καὶ ἐυλογητὸς ὁ θεὸς, ἐυλογήσας ἡμας ἐυλογία πνευματικῆ, hoc eſt, *Benedictus Deus eſt, qui benedixit nobis benedictione ſpirituali, Epheſ. 1.* Cúmq; Dominus ex Sion benedicat nobis, *Pſal. 127.* & populo ſuo, imò Hæreditati ſuæ Dominus benedicere ſit rogatus, *Pſalm. 28. & 27.* certè pro tam almæ benedictionis impetratione, ad gratæ Benedictionis remunerationem nos viciſſim devinctos eſſe decet, prout *Eulogodiâ* iſtâ Euchariſticâ: *Benedicamus Domino*; &, *Deo dicamus gratias*, tres pueri, ex quorum Hymno puerorum *Eulogodiam* deſumptam eſſe volunt, in fornace Babylonica ab igne illæſi, DEum omni ἐυλογίας genere proſecuti ſunt.

Ad illam publicam *Eulogodiam* Eccleſiæ cœtum exhortatur etiam Regius Pſaltes *Pſalm. 68.* In Eccleſijs, inquiens, *Benedicite DEo Domino, de fontibus Iſraël.* Et perſolvere tenentur pij, quod ipſorum nomine ſpondet *Pſalm. 144. Sancti tui benedicant tibi:* Ibidem iterum: *Benedicat omnis caro nomini ſancto ejus in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.*

LAUS DEO TRINO
& UNI,
Benedicto in ſecula,
AMEN.

CORO.

CORONIS LEITVRGODIAE.

NOn alienum hîc planè erit, coronidis loco quędam adijcere de *Litanÿs, Horis Canonicis,* & *D. Virginis Psalterio,* quod vocant.

DE LITANIIS.

ΛΙΤΑΝΕΙΑΣ *Litanias* (ineptè *Letanias*) à λιτανεύειν, quod supplicare est, Græcam secuti vocem, Latini vocant Supplicationes, sive Rogationes. Vulgo *Processiones* nominant, quòd binos præcedendo bini longo ordine sequantur, à loco ad locum progrediendo, ac magna voce orando.

Quidam malunt PROCESSIONES appellare, quia ea sacrificalis pompa publicè procedit: Quo Græci respexére, qui eas προσόδους vocant.

Latiniùs dixeris SUPPLICATIONES PUBLICAS Nam & apud Romanos ethnicos publicæ fiebant supplicationes, non solùm re feliciter gestâ, ad agendum Dijs gratias; sed & imminente periculo, ut averterent, & averruncarent mala, prodigia & portenta. Decernebantur videlicet hæ supplicationes Senatus-consulto in aliquot dies, duos, quindecim, viginti, plures paucioresve, de consilio Pontificum & Decem-virorum qui libros Sibyllinos inspexerant, aperiebantur templa, Divorum simulacra in lectulis, quibus fasciculi ex verbenis (struppi vocantur Festo) loco pulvinarium insternebantur, collocabantur, Senatores & patritij cum conjugibus & liberis coronati plerumquè: quandoq; verò omnes tribus simul & ordines, præeunte Pontifice maximo, nonnunquam Duumviris, sequentibus è vestigio pueris ingenuis & libertinis, ac virginibus patrimis & matrimis coronatis, aut lauream manu præferentibus, & modulata voce pronunciantibus carmen. Atque ita tota urbs ad solemnem precationem conversa vel mala deprecari, vel

ri, vel fausta precari, vel grates persolvere pro insigni quadam victoriâ. Vnde apparet etiam ethnicis persuasum fuisse, preces communes unanimi voce & consensu prolatas, Deo magis acceptas esse: vnde & inter fragmenta Petronij Arbitri hoc exstat distichon:

Nos quoque confusis feriemus sidera verbis:
Et fama est junctas fortiùs ire preces.

Exempla supplicationum hujusmodi plurima exstant apud Ciceronem, *3. Catilin.* Cæsarem, *4. Bell. Gallic.* Livium, *lib. 21 & 40.* Lampridium, *in Commodo.* Vopiscum, *in Tacito.* Videantur Augustinus, *de civit. Dei, lib. 3.* Ioh. Garzias Gallecus I. C. *tract. de Expens. & meliorat. cap. 21. n. 36.* Peucerus *de Divinat. tit. de Auguriis & aruspicina.*

Apud Christianos *Processionum* usum jam inde à principio Christianismi fuisse, testimonio est Tertullianus libro ad uxorem altero; Et videri potest, Christianos à Iudæis mutuatos esse has *processiones*, quasi mysticè voluerint imitari eos, qui primi occurrerunt CHRISTO, ex Bethania se Hierosolymam conferenti.

Litaniarum aliæ *Majores* sunt, aliæ *Minores.* *Mamercus Claudianus*, Vienensis Episcopus *Minores* in Gallia, Salutis anno 458. (*Volaterranus*, cum Ptolomæo Lucensi refert ad annum 454.) instituit, quæ triduo ante Domini ascensum eduntur, quo tempore rei atrocitate territis Gallis, in ipso meridie lupi feræq; aliæ Vrbes ingressæ, in homines grassabantur; quotidieq; aut tellus movebatur; aut de cœlo tacta loca vel ruebant, vel comburebantur. Alcimus Avitus, Vienensis Episcopus peculiari homiliâ, ternis diebus ante ascensionem celebratas, & inde in omnem Galliam derivatas ait. Sidonius eadem planè cum Avito commemorat, *in Epistola 7. ad Mamercum:* item *lib. 5. Epistolâ ad Aprum.*

In Concilio Aurelianensi primo, circa tempora Hormisdæ Pp. qui sedit anno Christi, 515. novem annos, de *Litanijs* hisce ita definitum est, cap 29. Rogationes, id est, *Litanias* ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita ut præmissum triduanum jejunium in Dominicæ adscensionis solemnitate solvatur. Per quod triduum servi & ancillæ ab ope-

ab opere relaxentur, quò magis plebs universa conveniat. Quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis utantur. Translatus est hic canon *in c. rogationes. 3. de consecrat. distinct. 3.* Hinc manaverunt & reliquæ sunt, etiam in quibusdam reformatis Lutheranorum Ecclesijs, solemnitates illæ, quæ circa ea tempora celebrantur. Vulgò vocant die BetWoche. Verùm post *Agapetus* Pontifex, qui sedit anno Christi 534. dicitur primus constituisse in singulos Dominicos dies; in templis vel circa templa habendas *Litanias*. A *Leone* III. in Aurelianensi concilio posteriori, per universam Ecclesiam hujusmodi supplicationes stabilitæ fuerunt. (*Fulgosus lib. 2. cap. 1, & Egnatius lib. 2. cap. 1.*)

At *Gregorius Magnus* MAIORES LITANIAS, sicut & Psalmodias & processiones anno Christi 591. instituit, quas omnis ordinis populus, septeno ordine incedens, alternis caneret, VI Kalend. Májas celebrari solitas, cum per id tempus quodam morbi genere laboraretur, quo inguinibus statim tumescentibus multi mortales interirent. Cujus pestis causam fuisse prodigiosum Tiberis incrementum, Paulus Diacon' prodit, quòd recedentibus inde undis, ingens serpentum numerus in urbem invaserat, ac usq; eò aërem tabefecerat, ut inguinibus subitò tumefactis passim homines perirent. Quod malum *Pelagius secundus* (in cujus locum *Gregorius* surrogatus postea fuit) precibus avertere conatus, jejunium ac *Litanias* indixit; sed & ipse inter alios interijt, anno Christi 579. *Gregorius* ergo multitudinem ad rem divinam hortatus est, constituitq; ut ab universa civitate supplicaretur, sed discretis ordinibus: ut clerus universus à Iohan Baptistæ templo; prophana virorum multitudo à D. Marcello; Monachi à Iohanne & Paulo; Sanctimoniales à Cosma & Damiano; Matronæ, quæ in matrimonio erant, à Protomartyre; viduæ à Vitale; puerorum & puellarum chori à Cæcilia suppliciter procederent, atq; ubi omnibus esset templis supplicatum, ad ædem virginis, cui Novæ cognomentum est, omnes reverterentur. Ferunt, cum hæc pararentur, adeò pestilentiam atrociter incubuisse, ut populo in concione stante octoginta exanimati sint. Nec Gregorij & populi

populi ſupplicantis preces incaſſum ſunt miſſæ. Peſtilentia ſenſim remittens brevi extincta eſt. (*Sabellicus lib 5. Enneadis octava.*)

De ea paulò aliter Sigonius Anno 590. Dirâ peſtilentiâ Romanam urbem affligente, *Litaniam Majorem* vulgò dictam, in feſto S. Marci celebrari ſolitam, inſtituiſſe fertur *D. Gregorius Magnus* Pp. ut feriâ quarta prima luce clerus egrederetur ab æde SS. martyrum Coſmæ & Damiani, cum Preſbyteris regionis ſextæ; Abbates cum monachis ſuis, ab æde SS martyrum Gervaſij & Protaſij cum Preſbyteris regionis quartæ; Abbatiſſæ cum congregationibus ſuis, ab æde SS. martyrum Marcellini & Petri cum preſbyteris regionis primæ; omnes pueri & puellæ, ab æde SS. martyrum Iohannis & Pauli cum preſbyteris regionis ſecundæ; omnes Laici, ab æde S. Protomartyris Stephani cum preſbyteris regionis ſeptimæ; omnes mulieres viris orbatæ, ab æde S. Euphemiæ cum preſbyteris regionis quintæ; omnes conjugio ſociatæ, ab æde S. Martyris Clementis, cum preſbyteris regionis tertiæ; E ſingulis autem ædibus in hunc modum egreſſi, in ædem B Mariæ convenirent, ac longis ibi fletibus & gemitibus Domino ſupplicantes, peccatorum veniam implorarent. Iuſſit quin etiam, ut convocati Clericorum Chori per triduum pſallerent, & Domini miſericordiam invocarent. Itaque ab illo traditum nunc quoq; manet, ut poſt *Miſſarum Introitum* novies Domini Chriſtivé miſericordia expoſcatur.

Horâ igitur tertiâ venerunt ipſi canentium chori ad templum, per campos urbis clara voce Domini miſericordiam implorantes Dum autem populus ſupplices ad Deum voces effundit, repentè octoginta homines in turba exanimes conciderunt. *Gregorius* haudquaquam exterritus continuò populum monuit, ne ab obſecratione ceſſaret, ſed multò intentiùs in ſtudium divinæ precationis incumberet. Interim indies magis peſtilentia ſæviebat. Ad cæteros autem caſus, quibus homines paſſim abſumebantur, hoc etiam mali acceſſerat, quod multi cum ſternutarent, alij cum oſcitarent, repentè ſpiritum emittebant. Quod cùm ſæpius eveniret, conſuetudo inducta eſt, quę nunc etiam obſervatur, ut ſternutantibus ſalutem precando, oſcitantibus ſignum Cru-

cis

cis ori admovendo, præsidium quærerent. Quibus rebus permotus *Gregorius*, ad cætera cœlestis iræ piacula, anno 591. religiosam in die *Resurrectionis* supplicationem instituit, atque solenni in pompa sanctam Virginis DEi genitricis imaginem extulit. Hæc ex ore ejus Lucæ Evangelistæ manu affabrè ad vivum expressa, jam tum in æde D. Mariæ ad præsepe in Exquilijs sita, eximiâ populi religione conservabatur. Factum est autem, ut imaginem ipsam, quâcunq; ferretur terrâ, pestilentis cœli gravitate cedente, optata salubritas sequeretur. Qua de re Deo gratulantibus omnibus, ecce Angelus sanctam virginem his vocibus è cœlo alloquens est auditus: *Regina cœli lætare, alleluja*; *Quia quem meruisti portare, alleluja*; *Resurrexit, sicut dixit, alleluja.* Quam ubi Gregorius auribus orationem excepit, statim divino instinctu, spiritu scilicet, in hunc modum explevit; *Ora pro nobis Deum, alleluja.* Exinde *Antiphona* solennis Ecclesiæ paschalis argumento læticiæ mansit. Neq; ita multo post Angelus super Hadriani molem astans, ac strictum mucronem vaginâ recondens conspectus est. Quo viso Gegorius exhilaratus, converso ad populum ore; Bono, inquit, omnes animo estote: nam optatus divinæ iræ, ac furentis jampridem pestilentiæ finis, Deo ipso annuente, ostenditur. Atq; ita, ut ille præsensit, ipse deinde morbus elanguit. Ab hac re moli S. Angeli nomen est inditum. Hæc ex Ritualibus recenset *Sigonius lib. 1. Regni Italiæ.* Vnde quid fide dignum sit & recipiendum, prudens lector facilè dignoscet. Stephanus 3. Pp. nudis pedibus *Litanijs* incessisse legitur; anno Christi 768. *Litanias* etiam ante festum Ascensionis instituit *Adrianus*, anno Christi 800.

Sed controversia est, quam obiter attingere libet, apud Iuris Pontificij consultos; An ad has Litanias sive rogationes publicas & processiones teneantur accedere omnes Clerici territorij, vel duntaxat (ut loquuntur) omnes de territorio baptismalis Ecclesiæ? Et quidem Archidiaconus, celebris ejus juris interpres, *in c. quando. 38. distinct.* existimat, quod omnes clerici Episcopatus teneantur singulis annis venire ad Litanias ad Ecclesiam majorem. Argumento utitur hoc, quod *in d. c. quando*, æquiparentur Litaniæ & Concilium. Iam verò ad Concilium

quotannis bis comparere tenentur. *c. propter. c. non oportet. & tot. distinct. 18.*

At verò Abbas Panorm. *in c. nimis. de excess. prælat. Felin. in c. dilectus. de offic. ordinar.* Cardinal. *in Clement. unic. de reliq. & vener. sanct.* ab Archidiacono secessionem fecerunt, & opinantur solùm teneri eos Clericos comparere, qui sunt in territorio Ecclesiæ baptismalis. Quorum opinio, ut antea recepta erat, ita & in Concilio Tridentino nupero confirmata est. *Session. 25. c. 13. de reformat.* Iohan. Garz. *de expens. & melior. cap. 21. n. 37. & seq.*

Atq; hæc de Litanijs cùm minoribus tùm majoribus.

DE HORIS CANONICIS.

PReces horarias sive CANONICAS, quas vocant, *Hieronymus primus*, Eusebio Cremonensi & plerisq; alijs, qui cum eo vixerant, instituisse fertur, quibus divinæ in Templis laudes canerentur, quas Patres deinde receperunt, imitati carmen *Davidis* dicentis: *Septies in die laudem dixi tibi.* Sunt autem qui tradant, & inprimis D. Cyprianus morem celebrandi primam, tertiam, sextam & nonam horam à *Daniele* sumtum, quòd ille ter in die positis humi genibus patrio ritu, manè horâ sextâ & nonâ precari consuevisset. Ita, teste D. Hieronymo, TRIA *sunt orandi tempora: manè*, id est, hora tertia, quum Spiritu Sancto afflati sunt Apostoli: *sexta*, quum edendum est; sic Petrus Apostolus, volens cibum capere, ascendit circa horam sextam in cœnaculum orandi causa: *nona*, tùm idem Petrus & Iohannes perrexerunt ad templum precandi gratia.

Postea PELAGIUS II. *(Sigeberto & Cranzio lib. 2. Metrop. 2. testibus.)* decrevit, ut ipsæ septem *Canonicæ horæ* quotidie à Sacerdotibus recitarentur, velut præsens remedium humanæ imbecillitati futurum, quo sicuti IUSTUS *septies* in die cadit, ita per orandi curam toties resurgat. *(Anno Christi 555.)*

Singulis autem horis *Gregorius* præfationem dedit initium Psalmi

mi David: *DEus in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me festina:* subjecitque Hymnum illum; *Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto.* Vt totidem etiam horæ in honorem Deiparæ Virginis quotidie recitarentur, instituit *Vrbanus* II. in concilio, quod in Gallis ad Claromontem habuit. Et *Hieronymus* rogatu *Damasi* digessit Psalterium in septem partes, ad numerum dierum unius hebdomadæ, ut quilibet dies certum Psalmorum numerum haberet, qui caneretur. Quod ita distinctum nunc ex ipsius Damasi decreto in omnibus templis legitur.

Deus in adjutorium meum intende, &c. Gloria Patri, &c.

Fertur idem Pontifex omnium primus, rogatu Hieronymi, *(teste Sigeberto) Hymnum,* qui tribus divinis Personis redditur, ad extremum quemq; Psalmum adjecisse, quem in Nicæno conventu editum memorant. *Damasus* instituit, ut ad singulas horas canonicas recitaretur, presså tamen voce, SYMBOLuM, quod ad differentiam Nicæni Symboli vulgò brevius, & APOSTOLICuM appellatur: quamvis multi tradant, istud non illud in Nicæno concilio editum. *Polyd. lib. 6. cap. 2. de Invent. rerum*)

De horis Canonicis hæc sufficiant.

DE PSALTERIO D. VIRGINIS.

MOdus orandi per rotulos ligneos, quos vulgus modò *Preculas,* modò *Pater nostros* appellat (ij numero quinquaginta quinq; perforati ita ordine distinguuntur, ut post denos singuli majusculi affigantur filo: & quot hi sunt, toties Dominicam precem; quot illi, toties Angelicam salutationem ter numerum ineundo recitent, terquè Symbolum brevius inferant. Et id D. MARIAE Virginis PSALTERIuM nuncupant) à *Petro Eremita* Gallo, Ambianensi inventus, qui circa annum Sal. MXC. egit cum *Vrbano,* ut bellum Asiaticum à Christianis Claromonte susceptum fuerit, quo Hierosolyma recepta sunt.

Hodie tantus honor ejusmodi calculis accessit, ut non modo ex ligno, succino & Corallio, sed ex auro argentoq; fiant, sintq; mulieribus

inſtar ornamenti (*Polyd. lib. 5. c. 9. de rer. invent.*) Nimirum rationem habuit ille vitæ militaris negocioſæ ſimul & otioſæ, ut quantum ab hoſtibus carnalibus daretur otij, id contra hoſtes ſpirituales impenderetur, ſatiùs eſſe ratus, Oratione licet perfunctoriâ, quàm ludo vel fabulis tempus fallere.

Cæterùm cùm non quàm multæ, ſed quanta cum fide preces fiant, καρδιογνώστης ille ſpectare ſoleat: omnibus in univerſum in omni vita cum Chriſto ſemper orandum erit, ita quidem, ut preces ponderentur potiùs, quàm numerentur.

PARTIS PRIMAE,

IV. Membrum:

THEORIA ORGANICES SIONIAE:

hoc est,

Contemplatio Instrumentalis Musicæ, cùm in Veteris, tùm Novi Testamenti Ecclesiâ usitatæ;

Ex Bibliis, Ecclesiæ Scriptoribus antiquis & recentioribus, alijsq; Autoribus collecta.

I. CAPUT.

De Autoribus Musicæ Instrumentalis & quidem sacræ, carminibus Psalmorum ad cultus divinos à Regibus & populo Dei adhibitæ; itemq; de propositione & summâ hujus Theoriæ.

IVBAL (*Nomen* יוּבָל *quod à patre Lamech Iubali inditum videtur, à* יובל *Sono, clangore, buccinatione & productione Iubili descendit. Est autem* יוּבַל *à verbo* חוּבִיל, *quod ducere, producere, deducere & reducere significat:* Wie deñ die Stimmen vnd der Klang in der Music, hoch vnd tieff/ *remissè* vnd *submissè* zugefallen pflegen: Auch die Posaunen darnach gezogen werden / daher das deutsche Wort (fallen) vnd lateinisch intervallum kömpt. *Ex quo patet, & patrem Lamech, Musicum primum vel saltem Musices haud ignarum fuisse.*) *Genes. 4, 21.* memoratur primus Autor tractantium *Citharam, & Organum:* Quibus nominibus per Synecdochen comprehendit Moses omnia Instrumenta Musica, tùm ψηλαφητὰ, seu κρουστὰ, quæ Aristoxenus apud Athenæum *lib. 4.* Dipnosoph ἔντατα nominat; tùm πνευματικὰ, sive ἔμπνευστα, quæ digitis ventóve moventur.

In Religionis autem exercitio publico DAVID primus constituit, *Cantores* Instrumentis præstò esse, ut *1. Paral. cap. 15. v. 16.* annota-

tum est; *Dixit Principibus Levitarum, ut constituerent de fratribus suis Cantores in Organis Musicorum, Nablis videlicet, & Lyris, & Cymbalis, ut resonaret in Excelsis sonitus lætitiæ.*

Patris sanctioni SALOMONEM subscripsisse *2. Paral, 5.* indicatur: *In Templi enim inauguratione egressi sunt Sacerdotes, tàm Levitæ quàm Cantores, id est, & qui sub* Asaph *erant, & qui sub* Heman *& qui sub* Idithum *filij & fratres eorum, vestiti byssinis, Cymbalis & Psalterijs & Citharis concrepabant, stantes ad orientalem plagam Altaris.*

Atq; poëticè, ac organicè psallendi studio, *Psalmi* non solutâ & liberâ, sed ligatâ & numeris astrictâ oratione sunt à Davide conscripti. Id quod non tantùm Titulus & Epigraphe ostendit, dum Psalmi *Cantica* & *Hymni* dicuntur, eò quod metrico dictionis genere conditi fuerint; (quia vero non unum adhibuit Propheta carminis genus, sed varia, ideò factum est, ut tota ratio sacræ istius poëseos oblivione submersa jaceat, unde qui illam erueret, nemo hactenus fuit) verùm ex Musicis insuper Instrumentis patet, ad quorum pulsationem & harmonicam modulationem Psalmi in Tabernaculo & Templo decantati sunt; quod fieri non potuisset, nisi numeros illi haberent.

Attestatur idipsum *Iosephus lib. 7. Antiquit: Iudaicarum cap. 10.* sic scribens: *Cæterùm* DAVID *perfunctus jam bellis ac periculis, & in altissima pace degens, vario genere carminum Odas & Hymnos in honorem DEi composuit, partim trimetro versu, partim pentametro; Instrumentisq; Musicis comparatis docuit Levitas, ad pulsum eorum laudes Dei decantare, tàm Sabbati diebus, quàm in cæteris Festivitatibus.*

Discrepant quidem Patrum sententiæ de alio, quàm Davidis nomine, Psalmis præfixo, cujusmodi est, *Asaph, Ethan, Idithun* Filij Core, &c. Eos cum Davide, Mose, Salomone autores Psalmorum faciunt Isidorus *libro de officijs*, Hieronymus *in Epistola ad Sophron*; Athanasius *in Synopsi Sacræ Scripturæ.* Quandoquidem *2. paral. 29.* דברי & verba seu poëmata, ut reddit Lutherus, Psalmorum æquè Asapho ac Davidi assignantur. Et quemadmodum videntur dicti *Psalmi Le David* à Spiritu Sancto Davidi dictati; Sic inscriptos esse volunt Psalmos *Le Asaph*

ſaph à Spiritu Sancto inſpiratos *Aſapho* & *Libnei Coræ* id eſt, filijs Coræ divinitùs ſuggeſtos. Attamen Auguſtinus *lib. 17. de Civit. Dei, c. 14.* & Caſſiodorus *in præfatione Pſalterij, Aſaph, Idithum, filios Coræ* non autores, ſed adminiſtratores, Pſalmos cùm voce, tùm Organo decantandi, ſtatuunt. Siquidem de *Aſapho, Idithum, Heman* & reliquis *1. paral. 15. & 16. & 25. 2. Paral. 5.* expreſsè ſcriptum eſt; quòd David illis miniſterium cantandi, & Inſtrumentis Muſicis ludendi demandaverit Et *1. Paral. 25.* de ijſdem legitur, quòd in Citharis prophetaverint. Solebant enim ad Citharam & alia Inſtrumenta Pſalmos vivâ voce decantare, quod non abſq; peculiari agitatione Spiritus Sancti fiebat. Is enim hoc medio in illis id temporis excitari & invitari voluit, id quod etiam ex hiſtoria Eliſæi *2. Reg. 3.* luce meridianâ clariùs eluceſcit.

Cum quo conſonat Sabellicus, *Enneadis 1. lib. 20.* DAVID *Rex, omnibus gentibus pacatis, Religionis ſtudia complexus,* HYMNOS TRIMETROS *edidit, & cum his* PENTAMETROS VERSUS *plurimos, qui Sabbathis, feſtisq́ diebus ſacris ſolennibus canerentur: adjecit his* DECACHORDAM CITHARAM, &c.

Qualia verò priſcis temporibus fuerint *Inſtrumenta*, ne divinare quidem poſſumus; Iucundum tamen erit nec contemplatione indignũ, præcipuas Inſtrumentorum ſpecies cùm ex Pſalterij Davidici, tùm ex Moſis, Prophetarum, aliorumq; Hagiographorum officinâ depromtas, in theatrum producere, atq; eorundem uſum cum Antiquitate Chriſtiana, & pijs literæ conjecturis & Allegoriæ myſterijs quaſi adumbrare & animadvertere. Denique Organicam, Novi Teſtamenti Eccleſiæ receptam, aſſertamq; adducere.

Sed prius de varia Chori Muſici conditione, qualis ſub Davide alijsq́ pijs principibus Iudæis fuerit; itemq́ de titulis, plerisq́ Pſalmis præfixis agendum eſſe exiſtimavimus.

Quàm accurata enim fuerit Chori ſacri inſtructio quàm ſtipata majeſtas, quàm ordinata in eo officiorum functio & ſedulitas, quám deniq; magnifica erga Cantores in victu & amictu

miĉtu

mictu liberalitas; jucundum est contemplari & auscultare ex V. T. monumentis.

Instructionem & majestatem Chori Levitarum, adeóque Musicorum & ætas certa, & numerus satis firmus edocet.

II. CAPUT.

De ÆTATE Levitarum adeoq́; Musicorum, cum conciliatione diversæ supputationis & Anagoge.

OMnium Levitarum exercentium opus in ministerio domus Iehovæ, *ministerium* incipiebat AETAS matura & florida, finiebat profecta & languida. Eligendi enim erant â nato *triginta* annos & deinceps, usq; ad natum *quinquaginta* annos; quod præceptum fuit *Num. 4. v. 3. & 43. v. 4* præstitum item â Mose, Aarone & Principibus Israëlis, dictis locis; etiam â Davide *1. Chron. 23. v 2.*

Diversa autem videntur *initia ministerij* statui. Sic enim *Num. 8. v. 24. & 1. Chron. 23.* inquit textus: Hoc est, quod ad Levitas attinet â nato *viginti quinq; annis* & deinceps venito Levita, ad militandam militiam in ministerio tentorij conventus, id est, ad consistendum in statione cum reliquis & observandam rationem ministerij. Hîc *quinq; annorum* discrimen intercedit; Quod ipsum quinquennium vel spacium quinque annorum â *vicesimo quinto ad tricesimum annum* Levitis ad tyrocinium primum venientibus datum fuisse arbitrantur diversi numeri conciliatores; ita ut *viginti quinq; annos* nati reliquis accensi ministrare tenerentur; sed anno demum *trigesimo* suum munus plené exsequi inciperent; ad ministrandum itaque electum fuisse *Trigenarium* intelgimus, comprehensis institutionis præmissæ annis.

At *1. Chron. 23. v. 23. & 26. & 2. Chron. 31. 16. & Hezra 3. 8.* exercentes opus in *ministerio* fuisse â nato *viginti annos* & deinceps leguntur.

tur. Quo in loco, puta, notat *Tremellius* secundum numerationem communem Israëlitarum omnium: quia *Liberi* ad illam ætatem usque significabantur appellatione *Taph*, id est, parvulorum. (*1. Chron. 27. v. 23.*). Etsi id ex quorundam locorum analogia credibile videtur esse, Levitas inde â puero fuisse *Catechumenos* ad vigesimum annum usque: *post vigesimum* fuisse admissos in observationem *ministerij*, ad quod erant instituti, sed θεωρικὴν solum ad *quintum & vigesimum* usque: Ex eo tempore fuisse occupatos in secundaria quadam administratione donec *trigesimum* attigissent. Inq; hunc modum â Davide, Gade & Nathane Prophetis, legitimè constitutum esse ex verbo DEi, â Salomone & Ezechia frequentatum disertè dicitur, (*2. Chron. 8. vers. 26, & 29. 25.*)

Atque hæc collatio & conciliatio diversitatis de ætate electi ad ministerium â nato 20. 25. & 30. annos sufficiat.

Ea autem supputatio ab initij & functionis anno 30. uti & 25. ad termini & vacationis annum 50. rationibus non caret evidentibus. In genere enim Theodoretus *quæst. 13. in Num.* argutè exponit: ἐπειδὴ ἡ μὲν πρώτη ἡλικία τελείαν οὐκ ἔχει τῶν ἀγαθῶν καὶ τῶν κακῶν διάκρισιν, ἡ τελευταία δὲ ἀσθενέστερον ἔχει τὸ σῶμα, ἀποκρίνει τοίνυν καὶ τὴν νεότητα καὶ τὸ γῆρας, καὶ τὴν μὲν διὰ τὸ ἀτελὲς τῆς ψυχῆς, τὸ δὲ διὰ τὸ τοῦ σώματος ἀσθενές. Quoniam, inquit, *prima ætas* non habet plenam bonorum & malorum discretionem: *postrema* verò debiliore est corpore, ideò secernit tùm *juventutem*, tùm *senectutem*: illam quidem ob imbecillitatem animi: hanc verò propter corporis infirmitatem.

In specie de anno 25. ad 50. Isidorus ἀλληγορίζει *cap. 6. allegor. in Num.* & citatur *in decret. distinct. 77. cap. 1. in veteri lege*: Quid per annum *quintum* ac *vigesimum*, in quo flos juventutis oboritur, nisi contra unumquodque vitiorum, bella signantur? & quid per *quinquagenarium*,

N rium,

rium, in quo & Iubilæi requies continetur, nisi interna quies, edomito bello mentis, exprimitur? quid verò per vasa tabernaculi, nisi fidelium animæ designantur? Levitæ ergò ab anno *vigesimo & quinto* tabernaculo serviunt, & *quinquagenario* vasorum custodes fiunt: ut videlicet, qui adhuc impugnantium vitiorum certamina per consensum delectationis tolerant, aliorum curam suscipere non præsumant: cum verò tentationum bella subegerint, cum jam apud se de intimâ tranquillitate securi sunt, animarum sortiantur curam. (*Sed quis hæc prælia sibi perfectè subigat, cum Paulus dicat* Rom. 7. v. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum ducentem me in lege peccati? Sed est aliud bella fortiter perpeti, aliud bellis enerviter expugnari: in istis exercetur virtus, ne extolli debeant: in illis omninò extinguitur, ne subsistant.*)

Verum hæc magis placet anagoge, præsertim de 30. anno ad 50.

1. *Sacerdotali* quippe muneri, non quivis promiscuâ electione præficiendi, qui imperiti & inepti sunt, & nil præter velle afferunt, (*Magistratus* enim, ut præclarè illud Biantis videtur dictum, *virum ostendit*) sed eos qui moderationis & discretionis fidem faciant. *Tricenarius* etenim, ex tribus denarijs compositus numerus, perfectionem quandam signat roboris virilis: & usque ad illud tempus, Dionysio annotante, proficit homo in rationis vigore ac viribus corporis.

Maturitatem omninò ætatis, quæ cum prudentia & gravitate conjuncta sit, requirit DEus, & ad cultum suum non nisi judicio firmatos usuque edoctos vult admitti, cum adolescentiæ protervæ intemperans lascivia & præceps temeritas & imperitia debitæ sacrorum venerationi non exiguum pariat contemptum & profanationem. Et *Christus* ipse non priusquám trigesimum esset ingressus annum, docendi ministerium suscipere & subire voluit. Quo ipso & hunc Legis apicem explens ad *ministerium* liberam ætatis electionem & Christianam in annorum supputatione licentiam obedientia sua nobis restituit ac reliquit, ut etjam juniores aspirare & admitti rectè possint, ad *ministerium* Ecclesiasticum, cujus efficaciam â nullius ætate pendere certum est, astipulante non tantùm Novi Testamenti scriptore Apostolo *Epist. ad Timoth. 1. cap. 4.*

cap. 4. v. 12. Nemo contemnat juventutem tuam; verùm etiam apud Vet. Testamenti Notarium Ieremiam *1. cap. vers. 7.* ipso DEo protestante: Ne dicas, puer sum; ad omnia ad quæ mittam te ibis, & universa quæ præcipiam tibi loqueris.

Κακοζηλίαν itaq; animadvertimus in Decreto, quod aliquem ad Sacerdotium promoveri ante *tricesimum* annum vetat: veluti *Canon* habet *1. dist. 78:* Si quis triginta annos ætatis suæ non impleverit, nullo modo Presbyter ordinetur, etsi valde dignus sit. Et *Canon 2.* Nemo Presbyter consecretur, qui minor triginta annis sit. *Canon 4.* Presbyter ante 30. annorum ætatem non ordinetur, quamvis sit probabilis vitæ, sed observet usque ad præfinitum tempus; Dominus enim noster Iesus Christus trigesimo anno baptisatus est, & tunc prædicavit. Cujusmodi *Canones* ipsi Pontificij obliti, abolitos eos esse voluerunt, aut certè suis exemplis effecerunt. Quandoquidem Sixtus IV. Iohannem puerum, Ferdinandi Regis Neapolitani filium Tarentinæ Ecclesiæ præfecit: Leonem X. filium Laurentij Medicis 13. annorum puerum, Cardinalem constituit INNOCENTIuS VIII.

2. Ex annorum diversa supputatione ad præparationem & functionem ministerij, & ad inspectionem hæc quoque oritur *Anagoge*: Per saltum ad superiores gradus quosvis promiscuè admittendos non esse. Nazianzenus *in laudib. Basilij, nauticam* vult observari *legem*, quæ gubernatori primùm remos committit, deinde ad proram collocat. Et legem similiter *militarem*, quæ militem primùm delegit; deinde centurionem, tum Imperatorem. *Pauló post:* Cum nec medici, nec pictoris nomen quisquam obtineat, nisi prius morborum naturas expenderit, aut multos colores miscuerit, variasque formas penicillo expresserit: Antistes contrà facilè invenitur, non elaboratus, sed recens quartam ad dignitatem simul satus & provectus, quemadmodum Gigantes Poëtæ finxerunt. Vno die sanctos fingimus, eosque sapientes & eruditos esse jubemus, qui nihil didicerunt, nec ad Sacerdotium quicquam ante contulerunt, præterquam velle.

Πλάττομεν αὐθημερὸν τοὺς ἁγίους, καὶ σοφοὺς εἶναι κελεύομεν, τοὺς οὐδὲν σοφισθέντας, οὐδὲ τοῦ βαθμοῦ προσενέγκεντάς ἢ πλὴν τοῦ βούλεσθαι. De concilio Cyprianus *lib. 4. cap. 2.* de Aurelio *lib. 2. ep. 5.*

Notatu quoque digna eſt quinquagenariæ ætatis vacatio & ceſſatio grandioribus conceſſa, ut tamen præeſſent autoritate, doctrina & conſilio tanquam Ephori Iuniorum & ductores. *Quinquaginta* enim *annos* nato licentia erat revertendi â militia ſacri miniſterij, ita tamen ut in alios obeuntes militiam in tentorio conventus, inſpectionem haberet. *Num. 8. v. 25. & 26.* Nam cum robur corporis laborioſa iſta poſtularet provincia: Senibus etiam aut jam fatiſcentibus aut langueſcentibus miſſio dabatur tempeſtiva, ne qua *miniſterij* ſacri pars ob ætatis infirmitatem neglecta jaceret, ut ſupra ex Theodoreto annotatum; Siquidem vis corporis â 50. anno decreſcere incipit.

Anagoge hinc elicitur:

1. Non urgendos nimis eſſe ultra modum, qui ſe alacriter impendunt: nec exigendum plus, quàm facultas patitur.

2. *Senes* non prorſus tollendos ac removendos eſſe: ſed junioribus Inſpectorum loco præficiendos. Agreſtes itaque & inhumani ſunt hodie, qui ſenes de ponte prorſus abijciunt, & ob quemvis languorem ſæpe numerò benemeritis & dignitatem eripiunt ac penè vitam.

Atque hactenus de Levitarum *adeoq;* Muſicorum ætate *ad* miniſterium *ſuſcipiendum & deponendum.*

Sequitur frequentia Chori & firmus Muſicorum numerus.

III. CAPUT.

De Numero Muſicorum.

NVmerus Muſicorum Davidicorum non exiguus in Levitarum Catalogo & recenſione ampla connumeratur & accenſetur, (*1. Chron. 23.*

Nume-

Numerus Levitarum per familias fuit: 38000.

Colliguntur ſic:

Qui præeſſent operi domus Iehovæ.	- -	24000.
Moderatores ac judices.	- - - -	6000.
Ianitores.	- - - - - - -	4000.
Laudantes Iehovam Inſtrumentis.	- - -	4000.
		38000.

Huic integro Catalogo Levitarum, *Chorus* quoq; *Muſicorum* connumeratur, quorum fuerunt *quater mille*, annumerando ſcilicet cum Diſcipulis Doctores ducentos octoginta octo; de quibus *1. Chron. 25. cap. v. 7.* diſtinctione Tremelliana. Fueruntq; numero illi (*filij Aſaph, Heman, Idithun*) cum cognatis ſuis edoctis Muſicam Iehovæ, omnes *Doctores ducenti octoginta octo.*

Chori hujus ampliſsimi ἐυταξίαν maximè decorarunt & ſtiparunt *viginti quatuor ordines*, quorum diſcrimen DEo ſortitione reliquerunt æquè parvi atque magni, Doctores cum Diſcipulis: qui non tantum *1. Chron. 25.* recenſentur, verùm etiam Nehemiæ *cap. 12. verſ. 9.* pertinguntur.

Porrò in libro Hezræ *cap. 2. v. 41.* ad templi reſtaurationem à reditu populi ex Babylonia recenſentur *Muſici poſteri Aſaphi centum viginti octo.* Capite Hezræ dicto *v. 65. Cantores & Cantatrices ducentæ* leguntur, quos Levitæ ad revocandum in uſum Muſicam ſacram (quam ſeptuaginta annorum captivitate oblivioni tradiderant) inſtituta profectione pecunia comparant.

rarant.

IV. CAPUT.

De distincta variaq́; Musicorum per familias & classes distinctorum functione, & in ea exquisitâ per seriem sedulitate.

M*Vsicorum officia*, producit ordinata Levitarum functio, quæ triplicis erat classis: Ministrantium Sacerdotibus prima legitur, *1. Chron. 23. & 24.* Musicorum secunda, *1. Chron, 25.* Ianitorum tertia, *1. Chron. 26.*

Functionis inter Musicos distinctos, quæ fuerit distinctio & observatio sedula, extat fideliter consignata cùm passim in Biblijs, tùm libri citati *1. Chron. cap. 6. cap. 15. cap. 16. cap. 25. &c.*

Cantores enim, quos constituit David ad ministerium Musicum in domo Iehovæ, ex quo quievit arca, memorantur *1. Chron. 6.* ex filijs Chore, posteris Kehathitarum, *Heman* Musicus; ex posteris Gerschom, *Asaph* qui stabat ad dextram arcæ *v 39*; ex posteris Merari, *Ethan* (qui & *Ieduthun cap. 9. v. 16.* & passim) qui stabat ad sinistram illius *vers. 44.* Vbi non tantum cuilibet designati loci distinctio, qua munia inter se diversa; sed familiæ sive tribus etiam origo, qua inter se cognationem habuerunt *Musici*, disertè indicatur.

Quippe *Levitas* & ex *Levi* tribu oriundos fuisse *Cantores*, evincit Genealogia *1. Chron. 6. Num. cap. 4. v. 17. Levi* enim habuit filios tres, *Gerschon, Kehath, Merari.* Quibus nominibus involutum mysticum & allegoricum evolvit Rabanus. גֵּרְשׁוֹן *Gerson* enim advenam, קְהָת *Kahath* Patientiam sive dentes molares, מְרָרִי *Merari* amara vel amaritudinem significat. Quicunq; sanè *ministerio divino* & functioni sacræ ritè consecratur, in hoc mundo se vagum & peregrinantem advenam esse deprehendit; & patientiæ studio deditus oracula sacra sub concione & cantione, dente discretionis molere atque comminuere secundum materiæ & auditorum qualitatem connititur: quin & amarescere sibi seculum attestans, alios à mundi voluptatibus revocare & abstrahere non dubitat.

Cæte-

Cæterùm *1. Chron. 15.* ad tranſlationem arcæ è domo Obed-Edomi in tentorium in civitate ſua erectum, edixit David principib. Levitarum, ut inſtituerent agnatos ipſorum *Muſicos* cum *Inſtrumentis Muſicis, Nablijs Citharisq;* & *Cymbalis* reſonaturos, extollendo vocem cum lætitia *v. 16.* Inſtituerunt ergo Levitæ illi *Hemanem* filium Ioelis & ex cognatis ejus, *Aſaphum* filium Bereciæ, & è Meraritis cognatis ſuis *Ethanem* filium Kuſchajæ. *v. 17.* Pòſt in arcæ deportandæ ſolennitate *Inſtrumentales Muſici* diſtincta obierunt munia ſedulò, concinentes & concinnantes *Oden mixtam (Chabakuc. cap. 3. v. 1. Pſalm. 7. v. 1.)* conſcriptam non uno tantum aut altero metrorum genere, ſed ex varijs intercurrentibus: quæ Hebræis *Ode Erratica* dicitur, id eſt multiplex, quæ omnibus rationibus Muſicæ decantabatur ſimul. Tullius Græca voce dixit *Synodiam.*

Itaque *Heman Aſaph* & *Ethan* Cymbalis chalibæis reſonabant, id eſt, exercebant Muſicam διάτονον *v. 19. 1. Chron. 15.* Ipſorum cognati ſecundani: Zecavja, Hazziel, Scheniarath, Iechiel, Hunni, Eliab, & Mahaſeja & Benaja cum *Nablijs acuta Symphonia* (Hebr. *virgineis:* ut παρθένεια genus Muſicæ vocatum Dorib.) *v. 20:* vel, ut vulgus Muſicorum dicit, cum *Nablio alto* & *ſuperiore:* ſive ut veteres vocabunt *ſoni,* ſcilicet *acuti: ſynemmenis, diazeugmenis* & *Hyperboleis:* qui ſoni optimè vocibus virginum referuntur. Sunt autem hæc plerunque in *Chromate* poſita, ſecundo genere Muſices.

Mattithia verò Eliphele, Mikneja, Hobed-Edom & Hazaria cum *Citharis* gravi *Symphonia* (Hebr. *Octava,* quam Muſici vocant *diapaſon)* præerant. *v. 21.* id eſt, ut vulgus vocat *Baſſo* & *Tenore,* ſive ut veteres, *Hypatis* & *Meſis,* id eſt imis & medijs ſonis. Quod genus Cantionum ferè in *Harmonia,* tertio genere Muſices poſitum eſt.

Arcâ Iehovæ allatâ, iterum diſpoſuit David è Levitis miniſtros tam ad prædicandum, quàm ad celebrandum & laudandum *Iehovam* Deum Iſraëlis. *1. Chr. 16. v. 4.* *Aſaphum* primariũ *Cymbalis* reſonantem, & ſecundanos agnatos cũ Inſtrumentis *Nabliorũ* & cum *Citharis. v. 5.* Quo die tradidit

didit David primùm, Pſalmum 105, ad celebrandum *Iehovam* in manum Aſaphi & cognatorum ejus. *v. 7.* Reliquit etiam *David* coram arca fœderis Aſaphum & cognatos ejus *v. 37*; Et cum eis *Hemanem* & *Ieduthunem* & reliquos electos, qui expreſſi ſunt nominibus ad celebrandum *Iehovam*, quoniam in ſeculum benignitas ejus *v. 41*: Penes ipſos autem *Hemanem* & *Ieduthunem*, *tubas* & *Cymbala* pro reſonantibus, & inſtrumenta Muſica Dei, ſc: reliquit *v. 42.* (*Quomodo autem* Tubis *clangendum fuerit ſolis Sacerdotibus, ex 1. Chron. 15. 24. & 16. v. 16. 2 Chron. 5. & 7. &c. Num. 10. videatur in titulo:* Tuba.)

Viciſſim diſtinxit *David* cum principibus militiæ, ad miniſterium in filios *Aſaphi* & *Hemanis* & *Ieduthunis*, eos qui Citharis Nablijs & Cymbalis prophetabant, h. e. ſacras cantiones canebant. *1. Chron. 25. 1.*

Eorum, qui ſub Aſapho ſummo ſuarum familiarum præfecto, in prima Muſicorum claſſe fuerunt conſtituti, functio erat *prophetare ex præſcripto Regis. v. 2.* h. e. Hymnos decantare Propheticos & didaſcalicos conſcriptos à Davide & in Eccleſiam receptos.

Eorum qui ſub *Ieduthune*, cum *Cithara Prophetare* de celebrando & laudando Iehova *v. 3.* ſive commemoratione liberationum præteritarum ut *Pſalm. 39. & 77.* ſive ad Dei laudem universè prædicandam.

Eorum denique qui ſub *Hemane* vidente Regis erat, *prophetare in verbis Dei* de extollendo cornu, *v. 4.* h. e. Hymnis ſacris, pertinentibus ad Regis aut regni robur & amplitudinem: quæ cornu elatione ferè in ſacris libris exprimuntur.

Poſt Davidicam Chori ſanctionem, cum diſtincta & fideli Muſicorum functione commemoratam, memoranda venit de *Chori Conſtitutione* ſollicitudo *Salomonis*, aliorumque Regum & Ducum piorum, & ab ijſdem requiſita Muſicorum fides.

Salomone arcam Tzijone in adjtum templi ædificati collocante, Levitæ Muſici omnes ex *Aſapho* ex *Hemane* ex *Ieduthune* cum Cymbalis Nablijs & Citharis aſtabant ad orientem altari, & cum illis *Sacerdotes* ad centum viginti clangentes *Tubis*. Igitur factum eſt pariter clangentibus & Muſicis edentibus concentum unum, laudando & celebrando Ie-

do Iehovam, cum efferrent concentum *Tubis, voce, Cymbalis* ac *Instrumentis Musicis*, cumq; laudarent IEHOVAM, quia bonus est, quia in seculum benignitas ejus (*Psalm. 136.*) ut intus domum Iehovæ impleret nubes; propter quam nec sacerdotes quidem possent consistere ad ministrandum, quod implevisset *Gloria* IEHOVAE *domum DEi. 2. Chron. 5. v. 12. &c.*

O divina, Deo acceptissima Musica, quæ Deum ipsum commovet & cælo in sacrarium deducit, ut signum aspectabile suę præsentiæ edat.

Postea domum Dei consecrante Salomone, consistebant etiam Levitæ cum Instrumentis Musicis Iehovæ, quæ fecerat David Rex ad celebrandum Iehovam, quoniam in seculum benignitas ejus, per Hymnum Davidis (*Psalm. 136.*) traditum in manum ipsorum: Sacerdotes verò alij clangebant Tubis é regione eorum, omnibus Israëlitis astantibus. *2. Chron. 7. v. 6.*

Constituta demum festorum annuorum solennitatè, constituit etiam *Salomo*, secundum rationem Davidis patris sui, distributiones Sacerdotum in ministerio eorum, & Levitarum in custodijs ipsorum, ad laudandum & ministrandum coram Sacerdotibus. *2. Chron. cap. 8. dist. Tremell. v. 26.*

Et *Iosaphat* non contemnit Iachazielem Levitam è posteris Asaphi, Spiritu Iehovæ prædicentem de victoria contra Moabitas, Musicorum Choro non parum adjuta. *2. Chron. 20. v. 14. &c.* Surrexerunt enim Levitæ è posteris Kehathitarum & è posteris Korachæorum ad laudandum Iehovam Deum Israëlis voce magna summè. *v. 19.* Et Iosaphat constituit Musicos Iehovæ, & laudantes decorum sanctitatis, qui procedendo ante expeditum exercitum dicerent; *Celebrate Iehovam, quoniam in seculum benignitas ejus. v. 21.* Quando autem inceperunt cantum & laudem, disposuit Iehova insidiatores contra Hammonitas, Moabitas & montanos Sehiris procedentes in Iehudam, ita ut afficerentur plagis, & alter alteri esset perditor. Quapropter Iosaphat cum

O popu-

populo per triduum prædâ direptâ, die quarto congregaverunt se in convallem *Benedictionis*: unde reversi sunt Ieruschalaima cum *Nablijs* & cum *Citharis* & cum *Tubis* ad domum Iehovæ. *v. 22. ad 27.*

O divina, Deo gratissima Musica, quæ Deum cœlo in castra & prælia deducit, ut sese hosti terribilem, populo suo victoriosum & gloriosum Ducem mirificè exhibeat.

Post hæc *Ezechias* Dei cultum restituens, restituit quoque Levitas in domo Iehovę cum Cymbalis, cum Nablijs & cum Citharis ex præcepto (*1. Chron. 23.*) *Davidis* & *Gadis* videntis Regij & *Nathanis* prophetæ: nam à Iehova præceptum illud erat per Prophetas ejus.

Itaque adstantibus Levitis cum *Instrumentis Davidis*, Sacerdotibus verò cum *Tubis*, edixit Ezechias ut offerrent holocaustum; & quo tempore cæpit holocaustum, cæpit Musica Iehovæ cum ipsis *Tubis*, idq; cum canticis traditis & Instrumentis Davidis Regis Israëlis. Interea tota congregatio incurvabant sese, cum *Musici* canerent, & *tubicines* tubis clangerent; omnia hæc, usque dum absolutum esset holocaustum. Cum autem absolvissent offerre, procidentes *Rex* & omnes qui præsentes erant cum eo, incurvarunt se adorantes. Edixitq; Ezechias Rex & principes Levitis, ut laudarent *Iehovam* verbis *Davidis* & videntis *Asaphi*: qui cum laudassent, dum agitaretur lætitia illa, inclinato vertice incurvaverunt se, honorem exhibentes. *2. Chron. 29. v. 25. & sequentibus.*

O divina Musica, quam divinis adhiberi cultibus, cum divina veneratione dignati sunt Reges & Principes in humili & supplici demissione.

Denique in magno Paschate *Iosiæ*, cui nullum à Samuelis diebus comparari potest, *Musici*, posteri Asaphi (quibus incumbebant vices tunc, cum hoc Pascha celebratum est) in statione sua erant secundum præceptum Davidis, tùm *Asapho*, tùm *Hemani* & *Iduthuni* videnti Regis datum. *2. Chron. 35. 15.* Propter hunc *Iosiam* Musicæ fautorem lamentatus est etiam Ieremias; dixeruntque omnes *Musici* & *Musicæ* in lamen-

mentationibus suis de *Iosia*, usque in hunc diem, quæ dederunt pro statuto in Israële; & ecce scripta sunt in lamentationibus. *2. Chron. 35. 25.*

Post reditum è Babylone non defuit templo reædificando Levitarum *Musicorum* opera. Fundantibus enim structoribus templum Iehovæ, constituerunt Sacerdotes indutos cum *tubis* & Levitas posteros Asaphi cum *Cymbalis* ad laudandum Iehovam, cum *canticis* traditis à Davide Rege Israëlis; qui sonus plenus fuit vociferationis, mistæ fletu priorem domum recordantium, & lætitiâ extollentium vocem à longinquo auditam. *Hezra cap. 3. v. 10. &c.*

Et in *restauratione urbis Ierusolymorum* à *Nechemia*, ad dedicationem muri requisiti sunt Levitæ ex omnibus locis eorum, qui reducerentur Ierusolymam ad celebrandum dedicationem & lætitiam, idque gratiarum actionibus, & *Musica, Cymbalis, Nablis* & *Citharis*. Itaq; congregati sunt posteri Musicorum, tùm ex planicie circa Ieruschalaima, & villis, tùm ex campis: Constituiq; inquit Nechemia, *duas classes celebrantium magnas*, quarum progressiones erant, *Vnius* ad dexteram à superiore parte muri ad portum sterquiliniorum. Sequebantur autem istos Hoschaja, & dimidium principum Iudæ, & Sacerdotes cum Tubis; Zecarja ex filijs Asaphi, & cognati ejus, cum Instrumentis Musicis Davidis viri Dei: & Hezra legis peritus antecedebat illos. Classis verò celebrantium *altera* procedebat ex adverso, quam Ego, inquit Nechemia, sequebar, dimidiumq; populi à superiore parte ejusdem muri, ab ea quæ est supra turrim furnorum ad murum latum usque. Deinde substiterunt duæ illæ laudantium classes in domo Dei, Ego quoque & dimidium antistitum mecum, Sacerdotes quoque; resonabant etiam *Musici* cum *præfecto suo (brevitatis studio nomina propria lectori in loco citato committimus)* Nechem. *12. v. 27. &c.* Vbi etiam Nechemia prædicat *observationem Musicorum* secundùm præceptum Davidis & Salomonis. Nam temporibus Davidis & Asaphi à priscis temporibus, primores Musicorum cum Musica laudationis & celebrationum Deo assistebant. *v. 46.*

O divina Musica, in salutem Ecclesiæ & Reipublic. dedicationi Templorum & Murorum adhibita, cum celebratione divina!

Hactenus de Musicorum functione discretè constituta & præstita: restat honorifica eorundem sustentatio & exornatio enarranda.

V. CAPUT.

De victu & amictu Musicorum.

HOnore præmio ac ornamentis non defraudabat olim pius Magistratus fidos *Chori Musici alumnos*, quibus æquè ac reliquis Levitis sua cessit merces pro ministerio, & portio decimarum, *Num. 18. v. 26.* ijsque licuit illis vesci, *Num. 18. v. 31. Deut. 18. 8.*

Et constat non tantum post tempora *Mosis* & *Iosua*, à *Davide, Salomone, Ezechia, Iosaphat, Iosia* Choros amplos *ampla liberalitate honestè* sustentatos fuisse; verùm etiam temporibus difficilioribus *Zerubbabelis* & *Nechemia*, omnes Israëlitæ conferebant *portiones Musicorum* & demensum cujusque diei quotidie; *Nehem. cap. 10. v. 40. cap. 12. v. 47. & v. 44.* Præfecti sunt etiam eo die homines cubiculi ad thesauros, ad oblationes, ad primitias, & ad decimas; ut colligerent in ea, ex agris civitatum, portiones legales pro sacerdotibus & pro Levitis: nam lætitia Iudæorum erat de Sacerdotibus & de Levitis consistentibus, quod videlicet in ministerio suo deinceps essent permansuri, ac non per agros (ut ante) erraturi. Sic (*Nechem. cap. 13. v. 10. &c.*) providam *in congregandis alendisq; Musicis* curam & sollicitudinem suam pio cum voto prædicat Nechemia; Cognoscens, inquit, portionum Leviticarum nihil fuisse datum, ideoq; diffugisse quemque in agrum suum *Levitas* & *Musicos* & curatores operis; contendi cum antistibus, ac dixi: quamobrem derelicta fuit domus DEi? Et congregatis illis restitui illos in statione sua: Omnesq;

Omnesq; Iudæi attulerunt decimas frumenti, mustiq; & olei in thesauros. Et Quæstores dedi super thesauros, Schelemiam sacerdotem, & Tzadok scribam, & Pedajam ex Levitis &c. qui fidi reputabantur, quorum erat distribuere cognatis suis. *Recordare mei, Deus mi*, in hac re: & ne sinito deleri benignitates meas, quas exercui erga domum Dei mei & erga observationes ejus.

Attendite hîc quæso auribus arrectis & cordibus apertis, atque debitum erga *Musicos* pro officio beneficium perpendite æquiores, quicunque (longè impares Nechemiæ benignitati) *Musicis*, ne habeant unde vivant, stipendia vel subducitis ac imminuitis, vel denegatis ac eripitis: qua iniquitate & inhumanitate inimicam Dei recordationem & retributionem gravissimam vobis attrahetis certissimè, in salutis vestræ excidium & animarum exitium æternum. Communicet itaque is, qui audivit (tàm cantione quàm concione) verbum, ei qui audire facit eum, in omnibus bonis. Non erretis, Deus non illuditur. *Gal. 6. v. 6. & 7.*

De amictu Musicorum quod reliquum est; ornabantur *Cantores vestitu sacro*. Tunicis enim byssinis induti, à Sacerdotibus lineas habentibus, distinguebantur Inde Levitæ *Musici* omnes ex *Asapho*, ex *Hemane* & ex *Iedutbune*, tàm filij eorum, quàm cognati eorum, induti bysso cum *Cymbalis* & cum *Nablijs* ac *Citharis* astabant ad orientem altari. *2. Chron. 5. v. 12.* Addit etiam Iosephus libr. VIII. *Salomonem* stolas *Levitarum hymnos canentium* ex bysso ducenties mille fecisse; Libro autem XX, eosdem pro stola byssina lineam Sacerdotalem impetravisse, tempore Agrippæ Regis Iudææ. Ex tribu, inquit, quicunque hymnorum Can-

tores erant, Regi suaserunt, ut convocato Concilio sibi concederet stola linea uti, perinde ac sacerdotibus licebat. Rex autem, ex sententia eorum qui concilium inibant, permisit, ut priore veste posita lineam induerent.

Atque hæc qualiscunque in veteri Testamento congregati Chori, & in eo canentium alumnorum contemplatio & auscultatio sufficiat.

VI. CAPUT.

De Titulis, plerisq́ Psalmis præfixis, qui generalem formam moderandi Musicam indicasse videntur.

NVnc & de titulis Psalmis præfixis. Et quidem in genere tenendum est, quòd communem vocem plerique tituli Hebraici, quos *Claves* Psalmorum Hieronymus rectè appellat, Psalmis præfigunt *Lamnazeach* למנצח: cujus differens interpretatio vel finem ac formam, vel principalem adjuvantem Psalmodiæ vocalis & Organicæ indicat. נצח *Nazach* enim aliàs vincere, aliàs finire, aliàs continuare significat. Hinc *Lamnazeach* redditur à Septuaginta εἰς τέλος, *in finem*, quod Hieronymus de Christo allegoricè exponit, qui finis est Legis, atq; fidelium scopus & Anchora in adversis: à Capnione *ad invitandum*; ab alijs, *ad continuandum*, sive *ad canendum jugiter, & in perpetuum*; quo nomine Symphoniaco vel Chori Musici Magistro, ad continuam seriem Psalmorum in studio pietatis & Religionis exercitio decurrendam, tale commendatur carmen, quod ex præcedentibus continuo ordine doctrinæ de Summo Bono quasi annexum dependeat; ab alijs *ad victoriam*, sive *ad vincendum*, ab alijs *ad triumphandum*, scilicet per preces, quæ sunt arma Ecclesiæ, quibus victoriam sibi comparat; à Chaldæo *ad laudandum*; à Luthero *ad præcinendum* vel *præcentori*; ab Hieronymo *victori* id est principi in arte canen-

canendi; à Rabinis *Præposito Cantorum*, ad cujus imperium canebantur Psalmi à Cantoribus & pulsatoribus. Vt enim præfecti bajulantium & cædentium, *2. Paral. 2, & 1. Paral. 23.* è Levitis constituti, ad urgendum opus DomusDomini, ut continuè & indesinenter cultum Dei spectantia ex Legis præscripto fierent, *Menatzechim* dicuntur & connotantur: Sic in Titulis Psalmorum concinnâ interpretatione vox accipitur pro Moderatore Chori Musici inter Levitas, qui reliquis præerat, præcinebat, & ἐργοδιώκτης erat, der Capellmeister.

Quibus verò modulationum differentijs *Psalmus, Canticum, Canticum Psalmi, & Psalmus Cantici* voce & Instrumento canendus fuerit, infra ex Prologo Psalmorum cum Basilio Hilarius docebit, qui addit ibidem: His quatuor Musicæ artis generibus competentes singulis quibusque Psalmis superscriptiones sunt coaptatæ. Vocabulum illud *Lamnazeach* præfixum in Epigraphe habent omnes Psalmi, in vulgata versione inscripti; in finem: in germanica, vorzusingen: qui numero sunt quinquaginta tres.

VII. CAPUT.

De variis Instrumentorum speciebus, quæ eliciuntur ex Psalmorum inscriptionibus.

NVnc tandem de *Instrumentis Musicis*: Quorum nonnulla in titulis Psalmorum denominantur, nonnullorum etiam in Psalmis ipsis fit mentio.

NEGHINOTH Instrumentum notat Musicum, manu pulsatum, siveCantionem & pulsationem, *Psal. 69. 13.* Cantiones factus sum bibentibus à נָגַן (ut supra F. Ascensiones: Sic Abominationes. *Psalm. 86.) Nagan*, quod est cantare, modulari, & manu pulsare Instrumentum *1. Sam. 16. 16. 2. Reg. 3. 15.* Perinde ut שִׁיר Schar est ore canere. Iunguntur Musici vocales & Instrumentales *Psalm. 68. 26,* שָׁרִים אַחַר נֹגְנִים *Scharim Achar, nogenim*, id est, Cantores postea

Postea Musica Instrumenta pulsantes. *Pagninus.* Lutherus reddidit, Spielleute.

Indicat itaque hæc Tituli vox adhibita, quòd Psalmus ille non modò vocali harmoniâ decantatus, sed etiam Instrumentis Musicis pulsatus fuerit; Ideoq; carmen hoc traditum esse Symphoniaci Chori Magistro, ut ille ad fides decantaret. Communis enim est sententia interpretum, & D. Lutheri, quòd Instrumenta Musica, seu variæ & jucundæ modulationes hac voce denotentur. Septuaginta reddiderunt, ἐν ὕμνοις: Hieronymus, *in Canticis.*

Vtrum verò *Neginah* (*Schindlerus vertit, Symphoniam, ut* & *Arabs.*) Instrumenta sint Symphoniaca ψηλαφητὰ sive κρουστὰ, quæ manu solummodo percurruntur; an verò πνευματικὰ, quæ spiritu, aëreque attracto per fistulas sonum edunt, certò constare nequit, de quo cum quoquam litem movere nulli proderit. Præfigitur *Psalmo 4. 6. 53.*

Neghinoth עַל-הַשְּׁמִינִית *super octavam* (quod additur in Epigraphe *Psalm. 6. & 12.* juxta Latin. 11.) variè describitur, Tremellius *ad* gravem Symphoniam vertit. *Arnobius* intelligit *de die hebdomadis octava*, quæ est Dominica: quasi dic potissimùm festo ejusmodi Psalmis, homines ad pœnitentiam &c. sint excitandi plus, quam diebus cæteris. *Scheminith* octava, fœmininum est ordinale; &, ut *Vatablo* placet, innuit Melodiam & certam rationem Toni, quæ octava fuerit, sicut Tonorum ordines Musici distinguunt; ut a Symphoniacorum præfecto decantaretur voce intensissimâ & clarissimâ. Non desunt, qui eam vocem initium alterius cujusdam carminis fuisse autument, ad cujus harmoniam Psalmus adaptari debeat. Patres allegoricè accommodant ad diem judicij extremi, qui exactis septem millibus annorum sub initium octavi millenarij venturus sit: vel qui revolutioni septem dierum & septimanarum finem impositurus sit Alijs etiam est *Cithara*, quæ in ordine Instrumentorum, sollennitatibus adhibitorum, *Octavum* locum tenuit; vel illud Instrumentum pulsatile ὀκτάχορδον, quod fuit octo Chordarum; quod & Chaldæus: *Psalm. 6.* vertit: בְּכִנָּרָא דְּתַמְנְיָא

דִּתְמַנְיָא נִימַיָּא *Cithara octo chordarum:* sicuti etiam mentio fit *Decachordi, Psalterij & Citharæ, Ps. 33. v. 3, & 92. v. 3.* de quo mox suo loco.

NECHILOTH (in inscriptione *Psalmi 5. Victori* אֶל הַנְּחִילוֹת *super Nechiloth;*) variæ licèt sit versionis, tamen Instrumenti quoque Musici notationem continet. Nam VVolderus interpretatur, ad *Hannechiloth* h. e. ad Instrumenta excavata & πνευματικά, quæ susurrantem sonum immisso vento edunt: ad hæreditatem DEi Ecclesiam colligendam & convocandam inventa. LXX. reddunt ὑπὲρ τῆς κληρονομούσης pro ea, quæ hæreditatem consequetur. Hieronymus & Lutherus: *super hæreditates*, vel *pro hæreditatibus*, intelligitur Ecclesia, ex Iudæis & Gentibus Christo collecta; á נָחַל *Nachal* hæreditavit *Psal. 2. Thargum* vertit *super Choros*, hoc est, ad canendum in Choris seu tripudijs. *Trem.* Magistro Symphoniæ ad *Pneumatica* Instrumenta.

Rabbi David (Nechiloth) dicit ea fuisse Musicorum Instrumentorum genera, quæ subulata sunt, atque excavata; cujusmodi fuerunt Sacerdotum *Tubæ*, & Levitarum *Buccinæ:* quod genus Instrumentorum quia sonum edit immisso vento, *pneumaticum* appellatur. Hebræi deducunt à נְחִיל *Nechil*, quod est apum sibilus, quod sonus esset similis apum sibilo. *Rab. Sal.* exponit *de Exercitu*, sic enim appellatur apum multitudo, & *Psal. 18. 5.* Exercitus impiorum: quia Cantor hoc carmine oravit contra exercitus hostium, Israëlitas, apum instar, magnis copijs oppugnantium

MACHALATH (in titulo *Psal. 53.* juxta Latinos *52.*) Præcentori עַל מָחֲלַת super Machalath. Chaldæus vertit: *ad laudandum super Choros.* מָחֲלַת *Machalath* videtur idem esse cum מָחוֹל *Machol &* מְחוֹלָה *Mecholah*, quod choream & tripudium significat *Thren. 5. 15.* versus est in luctum מְחוֹלֵנוּ Chorus noster, à radice חוּל ut sentit R. Ionah. Schindler: lusit tibijs חוּל vnde German: Hol/ & inversè Loch/ ein löcherig Instrument/ vel חָלַל ut placet Kimhi, quæ significat tripudiare, ducere chorum vel choreas. Vnde מָחוֹל tripudium, plurale מְחוֹלוֹת. *Tremellius* reddit: *Ad pneumaticum instrumentum.* Estque *Machalath*, nomen Instrumenti Musici, quod ad Spiritualem exultatio-

nem & lætitiam in decantandis Psalmis adhibitum fuerit. Idem cum *Chaldæo* sensisse videntur LXX. qui nomen *Μαελὲθ* retinuerunt. *Latinus* codex per metathesin legit Amaleth; pro quo per imperitiam scribarum irrepsit *Amalech*. Idem *Machalath* extat in Epigraphe *Psalm. 88.* juxta Latinos 87. עַל מַחֲלַת לְעַנּוֹת Al machalath leannoth.

Prout vocabula aliâs aliter significant, duas istas voces variè exponunt interpretes. *Lutherus:* de infirmitate afflictorum; quia in hac precatione supplex, vel animi, vel corporis ægritudine vehementer afflictus, divinam opem implorat. עֳנִי *Oni* enim est afflictio. LXX. verterunt ὑπὲρ μαελὲθ τοῦ ἀποκριθῆναι pro Maëleth ad respondendum, posteriori per respondendi verbum expresso, quia עָנָה respondere & exaudire significat, iterum prius μαελὲθ retinuerunt, quasi esset nomen vel Instrumenti Musici, vel alterius rei proprium. *Alij* reddunt per chorum ad exultationem: עֱנוֹת Anoth enim est vox cantantium, exultantium, & tripudiantium *Exod. 32. 18.* *Nonnulli* pro Instrumento Musico habent; *Chaldæus*, super oratione ad Laudem.

GITTITH (præfixum habet titulus *Psalmi 8. 81.* juxta Latinos *80*; & *84.* juxta Latinos *83.*) *Præcentori* vel *ad continuandum* עַל הַגִּתִּית super Haggitthith. LXX. ὑπὲρ τῶν ληνῶν *pro torcularibus*, reddit. Nam גַּת Gath Torculare est, quo vinum ex uvis exprimitur. Per Torcularia alij Spiritualiter intelligunt calcatoris Christi (*Esai. 63.*) Evangelicum in Novo Testamento ministerium, cujus beneficio fructus fert vinea.

Alij Psalmos sic inscriptos esse arbitrantur, quòd tempore vindemiæ in honorem Dei decantati fuerint. Ritè autem psalmorum συνέχεια & series postulat, ut cum de vinea carmen *Psalmi 79.* egerit, de Torculari in quo fructus cernuntur, dicatur *Psal. 80.* Tremellius: *Magistro Symphoniæ ad* (stationem) *Gitthæam*, vertit. Vult enim Psalmos hos tres ejusdem inscriptionis, circa arcam, in Zionem exportandam, scriptos & cantatos fuisse ad *Gitthæam* viam, commorationem, observationem, aut si quid aliud hujus generis exprimendum subintelligitur. Tres sunt omnino, inquit Tremelli⁹, Psalmi hac inscriptione, 8. 81. & 84.

quos

quos omnos videtur ſcripſiſſe David, cum arcam Dei Kiriath-jearimis exportare Tzijonem cogitans, deponi apud Hobed-Edomum curaviſſet eam, motus offenſione Huzzæ, & occaſionem ſumſiſſe ex rebus præſentibus, ut eos conſcriberet. Octavum igitur Pſalmum cecinit judicio meo, cùm ex urbe ſylvarum arcam in domum Hobed-Edomi deduceret: Similiterq; octuageſimum primum, cùm irruptione in Huzzam Deus Gloriam ſuam, ſeveritatemque judiciorum ſuorum teſtatus eſſet, ut populum in Religione officioq; cohercerct: Pſalmum verò octuageſimum quartum, cum inde Arca Tzijonem deducenda eſſet. Alij cum *Chaldæo* interprete & *Luthero* habent pro *Inſtrumento Muſico*, quod in oppido *Gath* ſit inventum, unde nomen & originem traxerit, quaſi *Cithara Gatthenſis*.

Atque hæc ſunt Inſtrumenta Muſices Davidicæ, quæ ſub varijs Titulorum interpretationibus obſervaſſe, pio Cantori jucundum erit & gratum.

VIII. CAPUT.

De Inſtrumentis varijs cùm Pſalmorum, tùm aliorum Hagiographorum; & primò quidem DE ORGANO.

SEquuntur alia ex ipſis Pſalmis, alijsq; Hagiographis depromta, & à quibuſdam ſcriptoribus & literaliter & myſticè definita.

Quæ in Davidis & pòſt Salomonis Choro ex ſuperiori Chronicorum annotatione ſunt adhibita Inſtrumenta, iſtorum ipſe meminit David, his præſertim ſequentibus Pſalmis: *Pſal. 33.* Celebrate Dominum in *Cithara*, in *Nablo* & *Decachordo* canite illi. *Pſal. 81.* juxta Lat. 80. Sumite Pſalmum & date *Tympanum*, *Citharam* jucundam cum *Nablo*. Iterum Pſal. 92. juxta Latinos 91: Bonum eſt celebrare Dominum ſuper *Decachordo*, & ſuper *Nablo*, & ſuper *Higgajon* in *Cithara*. *Pſal. 98.* juxta La-

ta Latinos 97: Canite Domino in *Cithara*, in *Cithara* & *voce Psalterij*: In *Tubis* & voce *Tympani*. Et *Psal. 147*, juxta Latinos 146. v. 7: Canite Deo nostro in *Cithara*. *Psal. 149*.: Laudent nomen ejus in Choro, in *Tympano* & *Cithara* canent ei. *Psal. 150*. Laudate eum in clangore *Tubæ*, laudate eum in *Nablo* & *Cithara*; Laudate eum in *Tympano* & *Choro*: Laudate eum in *Psalterio* & *Cithara*; Laudate eum in *Cymbalis* sonoris: Laudate eum in *Cymbalis* gratulatorijs.

Qualia verò Instrumentorum genera fuerint, quæ DAVID magnus ille Dei Vates invenit, alijq; usurparunt, vix sciri potest, præterquam quod Nomina connotant & innuunt, atque Antiquitatis scriptores qualicunque designatione adumbrarunt.

ORGANON, ut καθ' ἐξοχὴν ob præstantiam nomen generale meretur, ita summum sibi inter Instrumenta vendicat locum.

Dicitur modò עֻגָב & עוּגָב *Vgabh Gen. 4 21. Iob. 30. 31. Ps. 150. &c.* ab עָגַב amare: quia sono ardentes ciet affectus & amores עֲגָבִים dictos: Vnde Tharg. *Agabim* vertit Canticum Organorum *Ezech. 33*. Aliàs dici volunt חָלִיל *Chalil* ab חול vel חָלַל *Chorum duxit*, cantavit, de quo suprà sub MACHALATH. Inde Choro & lætitiæ serviens dicitur Instrumentum חָלִיל *Tibia, Corna-Musa* quidem R. Sal. sic dicta, (חולל enim idem est quod absit; vel חָלַל vulnerare, occidere, vel transfossione evacuare, & privare) quod sit concava: *Esai. 5. 12. & 30. 29*. Vbi quidam *Organum* exponunt.

Ex Iosepho cap. 7. Antiquit. videtur quibusdam, *Organa* à Davide confecta, diversa fuisse à nostris, quorum nunc usus in templis est perquàm frequens: quandoquidem illa plectro pulsabantur; nostra verò inflantur follibus, unde multis meatibus, quasi cicutis imparibus, vox erumpit, concentumq; efficit Atqui Iosephus hoc loco dicens: *Diversa faciens Organa &c.* videtur primò *Organum* pro Instrumento quocunque Musico ponere. Idipsum sentit Augustinus, qui Instrumenta Musicorum cuncta speciatim excellentiora etiam Organa vocat. *Polyd. lib. 1. cap. 15*. Deinde *Diversa*, id est, non uniformia, sed varia Organa scribitur à Iosepho, David docuisse, ut Levitæ secundùm

ea Deo

eo Deo hymnos edicerent, per Sabbatorum dies, aliasque solennitates. Deniq; Iosephus ibidem varias subjungit Instrumentorum species, quæ mox narrabuntur.

Credibile itaq; est, ORGANUM, licet generale sit omnium vasorum Musicalium vocabulum; tamen olim etiam appropriatum fuisse ei, cui folles adhibentur, quibus aër stanneis vel ligneis inflatur cicutis, sonoraq; clavium tactu modulatio profertur. Sic enim *Organa* definiuntur, quæ à follibus spiritu turgidis accipiunt coactum aëra: hic pro arbitrio Magistri qui ea pulsat, in cellas cannis confines transfusus, mox erumpit in sonum. Antiquitus duabus *Elephantorum* pellibus (*ut ait Hieronymus*) concavum jungebatur, per quindecim quidem cicutas, duodecimq; fabrorum sufflatoria sonitus nimius concitabatur, ita ut ab *Hierosolymis*, ad montem usque *Oliveti*, sonus veluti tonitrus audiretur.

De nostri seculi Organis Ecclesiasticis infra suo loco cap. 14. dicendum.

IX. CAPUT.

De Cithara & Chordis; de Nablo & Cymbalis, & de Psalterio decem Chordarum.

CITHARA כִּנּוֹר *Cinnor* est plurale tam mascul: quàm fœmin. כִּנּוֹרִים & כִּנּוֹרוֹת *Cinnorim* & *Cinnoroth*. Ob formam Citharæ similem mare Galileæ, quod aliàs Tiberiadis & stagnum Genezareth, Chaldaica paraphrasi, Iam-Ginesar, *Plinio lib. 5. c. 15.* Genesara, *Straboni lib. 16.* Lacus Genesereticus dicitur, à *Cinnor* volunt dictum *Cinnereth* quasi mare *Cithara*, Das Harffen Meer. *Num. 34. v. 11. Deut. 3. v. 17. Ios. 12. 3.* Et celebre est Cithara CHRISTI Evangelica in navigio *Luc. 5. & alibi.* Lætitia piorum in Ecclesia, *Cithara* usu durante, eodemq; cessante, Tristicia impiorum in Babylone designatur summa; *Apocal. 14. & 18 capp.*

Celebrationem Dei בְּמִנִּים in CHORDIS *Psal. 150, 4.* arbitramur derivari à מִנִּי chaldaicè *Manno Ier. 51. Askenatis (qui pater gentis* Tuisconum, der Deutschen/ *hinc Iudæis* Ascenazim *dictorum, creditur; licet vicinior sit sonus populorum qui* Sassones *nominantur, vel potiùs ÿs, qui* Ascanij:) filio, secundum Berosum, cujus posteri, teste R. Aben Ezra in Obadiam cap. 1. terram Chanaan possederunt, quousque à Iosua expulsi fuerint. Vt & supra cap. 7. de Gitthim Cithara Gathensi dictum est: Sic & hic de *Minnim Cithara, vel Testudine,* qua usi fuerunt *Alemanni* qui vocantur *Ierem. 51.* Blaset die Posaunen vnter den Heyden/ Heiliget die Heyden wieder sie/ Ruffet die Königreiche *Ararat, Meni* vnd *Askenas.* Ex quo videre licet, vocatum Lutherum contra Babel, wie er Tetzelio zu Tantze gepfiffen / vnnd darüber Iaphet mit seinem Sohne *Gomer, Askanas* vnd *Manno* in Sems Hütten zuwohnen kommen. *Gen. 9.* Si autem spectatur Litera genuina, his verbis Ieremias Apostrophen instituit ad hostes tanquam administros judiciorum DEi, adversus Babylonem per Medos & Persas Cyri exercitu explendum, in liberationis spem populo DEi recuperandæ: Attollite, inquit Propheta, vexillum in terra, buccina clangite in gentibus, comparate contra istam gentes promulgantes, convocate contra istam regna Ararati, *(id est Asiæ majoris)* Minni, *(id est Armeniæ minoris, quæ nomen suum habet compositum ex Aram id est Syria, & antiqua hac ipsius appellatione Minni: Nam Armeniam olim Syriâ fuisse comprehensam, testis est Plinius lib. 5. natural. histor. cap. 12.)* & Achenazi. *(nomine Aschenazi omnes hæ regiones, Armenia utraque & minor Asia synecdochicè notantur: Eas ante à Cyro occupatas, quàm Babylonem invaderet, testantur omnes historiæ.)*

R. D. exponit in Instrumento quodam ex Musicis Instrumentis: Quidam; In speciebus sc: multis Musicorum Instrumentorum: R. Abrah: Instrumentis multis, quorum eadem est Musica.

NABLuM seu NABLIuM נֵבֶל *Nebel* à נָבַל concidere. Vnde נֵבֶל Vter, qui compressus collabitur. Sic נִבְלֵי שָׁמַיִם Vtres cœli h. e. Nubes velut in utres digestæ. *Hieron.* Concentus cœli *Iob. 38. 37.*

Estque *Nablum* Instrumentum illud Musicum, quòd interpretes nunc

nunc *Psalterium*, nunc *Lyram* transferunt. Secundùm aliquos *Chorus*, vulgò *Corna Musa*, quod sit instar utris pleni. *1. Sam. 10. 5.* CYMBALA צֶלְצְלִים Tzeltzelim à צָלַל tinnuit, strepuit צְלִיל Sonus, strepitus. Sunt autem duo Instrumenta ærea (*unde forma dualis* מְצִלְתַּיִם *1. Paral. 14. v. 16. & 2. Paral. 5. & alibi extat.*) quæ se invicem percutientia sonum reddebant. Laudare Deum jubetur Ecclesia *Psal. 150. v. 5. & 6.* בְּצִלְצְלֵי שָׁמַע In Cymbalis auditus, *id est*, sonoris. בְּצִלְצְלֵי תְרוּעָה In Cymbalis ovationis, *id est*, sonantibus altè. מְצִלּוֹת *Zach. 14. 20.* Tintinnabula, quæ in regionibus montosis appenduntur Equis, prænunciantur referenda in ærarium Domus DEi, ut deinceps in sacros usus occupentur.

Hujusmodi Instrumenta in Davidis Choro adhibita *Iosephus* indicato loco sic annotat, & describit: *Organorum*, inquiens, species hæ fuêre: *Cinnyra*, sive *Canora* CITHARA decem Chordis coaptata intenditur, & plectro pulsatur: NABLA duodecim sonos continet, & digitis carpitur: Cumque his aderant & CYMBALA ærea, bene magna, atque lata. Consignat eadem Sabellius Enneadis, lib. 20. David, Hymnis adjecit *Decachordam Citharam*, *Nabla* 12. vocum, *Cymbala* ærea, grandia, & lata. Hieronymus in Epist. de Instrumentis Musicis ad Dardanum scribit, *Citharam* apud Hebræos viginti quatuor chordas habuisse, factam ad formam Δ literæ. Eadem ex Iosepho & Hieronymo citat Polydorus Virgilius *de inventione rerum lib. 1. cap. 15.*

Annotavit etiam aliqua Augustinus & Cassiodorus de istis Instrumentis, sed Allegorijs tandem implicata. Et quidem *Citharæ & Psalterij*, sive *Decachordi* (ὀκτάχορδον vide *Psal. 6.* Titul: supra: Neginoth pro octava.) descriptiones *Allegorijs* involvens, ita commentatur Augustinus.

Cithara est lignum illud concavum, tanquam TYMPANUM pendente testudine, cui *ligno chordæ* innituntur, ut tactæ resonent. Non *plectrum* dico quo tanguntur, sed lignum illud *dixi concavum*, cui super jacent, cui quodammodo incumbunt, ut ex illo, cum tanguntur, tremefactæ, & ex illa cavitate sonum concipientes, magis canoræ reddantur.

tur. Hoc ergo *Cithara* in inferiore parte habet: *Psalterium* in superiore. *Hæc est distinctio.* Iubemur autem modò confiteri in *Cithara*, & psallere in *Psalterio decem Chordarum*. Non dixi, in Cithara decem chordarum, neque in hoc Psalmo, neque si fallor, alicubi. *Et paulò pòst:* Mementote *Citharam* ex inferiore parte habere, quo sonat, *Psalterium* ex superiore. Ex inferiore vita, id est, terrena, habemus prosperitatem & adversitatem, unde DEuM laudemus in utroque, ut semper sit laus ejus in ore nostro, & benedicamus Domino in omni tempore. Est enim quædam *terrena* prosperitas, est quædam terrena adversitas: ex utroque laudandus est DEuS, ut *Citharizemus*. Quæ est *terrena prosperitas?* cum sani sumus secundum carnem, cum abundant omnia, quibus vivimus, cum incolumitas nostra servatur, cum fructus largè proveniunt, cum solem suum oriri facit super justos & injustos. Hæc omnia ad vitam terrenam pertinent. Quisquis inde non laudat DEum, ingratus est. Nunquid, quia terrena, ideo non Dei sunt; aut ideo aliter ea dare cogitandum est, quia datur & malis? Multiplex est enim Misericordia Dei, patiens est & longanimis. Inde magis significat, quid servet Bonis, cum ostendit, quanta donet & Malis. *Adversitas* autem ex inferiore utiq; parte de fragilitate generis humani in doloribus, in languoribus, in pressuris, in tribulationibus, in tentationibus. Vbique laudet DEuM qui *Citharizat:* Non attendat, quia inferiora sunt, sed quia regi & gubernari non possunt, nisi ab illa sapientia, quæ attingit usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.

PSALTERII verò Allegoriam ibidem hoc pacto subjungit *Augustinus*, distinctionem præceptorum Decalogi adhibens usitatam.

Iam verò, inquit, cum attendis *superiora* dona Dei, quid tibi contulerit præceptorum, quia doctrinâ cœlesti te imbuerit, quid tibi desuper ex illius veritatis fonte præceperit; convertere & ad Psalterium, & psalle Domino in *Psalterio decem Chordarum*.

Præcepta enim legis decem sunt. In decem præceptis legis habes *Psalterium:* perfecta res est. Habes ibi dilectionem Dei in tribus, & dilecti-

dilectionem proximi in septem. Et utique nosti, Domino dicente, quia in his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ. Dicit tibi DEus desuper, quia Dominus DEus tuus DEus unus est. Habes *unam chordam*. Non accipias in vanum nomen Domini Dei tui, habes *alteram chordam*. Observa diem Sabbathi non carnaliter, non Iudaicis delicijs, qui otio abutuntur ad nequitiam. Meliùs enim utique tota die foderent, quam tota die saltarent: Sed tu cogitans requiem in Deo tuo, & propter ipsam requiem omnia faciens abstine ab opere servili. Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati, & utinam hominis & non peccati.

Hæc tria pertinent ad dilectionem DEi: cujus cogita *Vnitatem*, *Veritatem*, *& Voluntatem*. Est enim quædam voluntas in Domino, ubi verum Sabbathum, vera requies. Vnde dicitur; Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Quis enim sic delectat, quam ille qui fecit omnia, quæ delectant? *In his tribus Caritas Dei, in septem alijs Caritas proximi*, ne facies alij, quod pati non vis.

Honores patrem & matrem, quia vis te honorari à filijs tuis.

Non mœchaberis: quia nec mœchari uxorem tuam post te vis.

Non occidas: quia & occidi non vis.

Non fureris: quia furtum pati non vis.

Non falsum testimonium dicas: quia odisti adversùm te falsum testimonium dicentem.

Non concupisces uxorem proximi tui: quia & tuam non vis ab alio concupisci.

Non concupisces rem aliquam proximi tui: quia si quis tuam concupiscit, displicet tibi.

Converte & in te linguam, quando tibi displicet, qui tibi nocet. Hæc omnia præcepta DEi sunt, sapientia donante data sunt, desuper sonant, tange *Psalterium*, imple Legem, quam Dominus DEus tuus non venit solvere, sed adimplere. Implebis enim amore, quod timore non poteras. Qui enim timendo non facit malè, mallet facere, si liceret. Itaque etsi facultas non datur, voluntas tenetur. Non facio,

inquit; Quare? quia timeo Nondum amas justiciam, adhuc servus es? Esto filius Sed ex bono servo fit bonus filius; Interim timendo noli facere, disces & amando non facere.

Quò autem plerorumque dictorum *Instrumentorum* sacer *usus* & *abusus* simul & semel sub uno intuitu occurrat, meditatio de hisce conjungi potest sub contemplatione *Tympani*.

X. CAPUT.

De Tympano, ejusq; usu & abusu.

TYMPANUM תּוֹף Toph, (plurale תֻּפִּים & תֹּפֵף est, Tympanum pulsat, tympanizat *Nah. 2. 7.* תּוֹפֵפוֹת Tympanistriæ *Psal. 68. 26.*) Instrumentum est, quod parte una planum, membranâ clausum, intus vacuum, baculis sive fustibus pulsatur: Vnde *τυμπανίζειν* translatè idem quod *fustibus cædere* significat, *Hebr. 11.* ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν οὐ προσδεξάμενοι τὴν ἀπολύτρωσιν, *fustuario mulctati sunt, fustibus cæsi & contusi &c.* Sunt qui vertunt: *distenti sunt*, ut respiciatur persecutio, quam exercuit Antiochus.

Legitur passim in Bibliorum codice, ut aliorum, ad lætitiam adhibitorum, sic etiam *Tympani* vetustissimus & varius usus. *In valedictionem* Tympani pulsu dimittebant amicos, ne cui discessus honestus & apertus verteretur in opprobrium fugæ clandestinæ; cujusmodi Iacobo obijcitur à Labane: Cur clam fugisti, & furtim surripuisti te à me: neque indicasti mihi, ut dimitterem te cum lætitia, & cum canticis, instructus *Tympano* & *Cithara*? *Gen. 31, v. 27.*

Et *in gratulationem* pro felici reditu, gratoq; accessu, cùm novos hospites, tum suos reduces læti excipiebant Tympano. Sic a victis Hammonitis redeunti Iephthacho filia unica obviat, cum Tympano & Choris, *Iudic. 11. 36.* Atque Davide, Saule, populo & servis Saulis ab aliqua pugna contra Philistæos revertentibus, ex omnibus civitatibus Israë-

Iſraëlis fœminæ, & earum choreæ obviam prodeunt, cum Tympanis, præ lætitiâ, & cum Panduris, Heroum geſta alternè canentes. *1. Sam. 18. 6. 7.* Et arcam fœderis, cum pompa ſolenni introducendam, comitatur David, & tota Domus Iſraëlis, geſtiens præ lætitia coram IEHOVAH, cum quovis Inſtrumento, & lignis abiegnis, nempe cum Citharis & cum Nablis, & cum *Tympanis* & cum Siſtris, & cum Cymbalis. *2. Sam. 6. v. 5. 1. Paral. 14. v. 8.*

Publicum quoque voluntariæ deditionis, acceptationis, ſubjectionisque *ſignum*, & gratiæ captandæ ſtudium præ ſe ferebant, excipientes Holophernem coronis, Choreisq́; & *Tympanis. Iudith. 3. v. 9.*

Inſtrumentis præterea, quibus Ordinarij Cantores Davidis & Salomonis laudes Dei feſtivas in Templo celebrabant, *1. Paral. 24. 2. Paral. 7.* non excluſum fuiſſe *Tympanum* videtur: cum paſſim eum in finem, videlicet beneficia Dei celebrandi gratiâ, Tympani pulſus præcipiatur. *Pſal. 81. 2.* Sumite Pſalmodiam & date *Tympanum*, Citharam jucundam cum Nablio. *Pſal 94. 3.* Filij Sion laudent nomen Domini in Choro, in *Tympano* & Cithara *Pſal. 150.* Laudate Dominum in *Tympano* & Choro.

Sic olim glorioſam Pharaonis ſubmerſionem Mirjam, Aaronis ſoror, feſtivè celebrat, arripiens *Tympanum* in manu ſua, & poſt eam egreſſæ omnes fœminæ, in *Tympanis* & Fiſtulis, *Exod. 15. v. 20.* Atque ut Holophernis detruncati cædem victorioſam, cum feſtivitate DEo acceptam referant, exhortatrix eſt Iudith: Incipite DEo meo canere *Tympanis*, modulamini ei Pſalmos. *Iudith. 16. v. 2.*

Quid, quod reliquis Inſtrumentis, quæ excitandi in Prophetis Spiritum vim habuerunt, *2. Reg. 3. 15.* annumeretur expreſsè *Tympanum*, *1. Sam. 10. 5?* Vbi futurum prænunciat Samuel Sauli, ut, occurrat turbæ Prophetarum, deſcendentium de excelſo, ſcilicet Gibhæ (qui locus Synagogæ & cœtui ſacro deſtinatus erat,) cum Nablio & cum *Tympano*, & Tibia, & Citharâ ante ſe, qui prophetabant.

Cæterùm ab eo *Tympani* uſu ſolenni apud Veteres, quævis Deo devota lætitia & exultatio allegoricè depromitur, & Tympani voce per

Metonymiam exprimitur. Huc ſpectat *Allegoria* elegantiſſima, *Pſal. 68. v. 25.* quæ alijs Cantoribus & Citharœdis Tympanotribas conjungit: Præceſſerunt Cantores, poſtea Citharædi, in medio virginum *Tympana* pulſantium. Vbi Pſalmographus nominat Eccleſiaſtici Chori præcentores Prophetas, de Chriſto vaticinantes; hos qui ſecuti ſunt, Evangeliſtas & Apoſtolos ob conſonantiam inter ſeſe, & cum ijs conſentientem, *Citharædos* nominat: Virgines, quæ ſeſe immiſcuerunt, Tympana pulſantes, ſunt nondum corruptelis vitiatæ Eccleſiæ, adhuc tenellæ, quas Apoſtoli per Samariam, Aſiam, aliasq; regiones paſſim plantarunt.

Eâdem alluſione *allegoricâ* mirificum contra Aſſyrios judicium Dei prædicitur, celebrandum a Iudæis exultantibus, *Eſa. 30. v 32:* Erit omnis locus, qua tranſibit virga fundatiſſima, cum *Tympanis* & Citharis, id eſt, exhilarabitur liberatione Dei. Et quod hoc tanto beneficio habebunt, quod lætentur & unde glorificent Deum, deſignat *ibid. v. 29.* Illud canticum futurum eſt vobis, ut noctis, qua ſanctificatur feſtum & lætitia animi, qualis euntis cum tibia, ut veniat in montem *Iehovæ*, ad rupem Iſraëlis. Quò itidem quadrat *Allegoria* promiſſionis, de inſtauratione à Deo, & de gratiarum actione ſolenni ab Eccleſia, *Ier. 31. v. 5:* Adhuc ædificaturus ſum te, ut ædificaris virgo Iſraëlis, adhuc ornabis te *Tympanis* tuis, & procedes cum Choro ludentium.

Porro *Tympani* aliorumq; Inſtrumentorum, & his deſignatæ lætitiæ *abuſus* ex Bibliorum teſtimonijs occurrit, cùm Epicuræorum mundanus in luxu, convivijs & ἐπιχαιρεκακίᾳ; tùm Idololatrarum Diabolicus, & abominabilis in cultu, ſacrificijs & ἀστοργίᾳ.

Epicuræum abuſum opponit Iob Tzophari & amicis, de infelicitate impiorum ſtolidè differentibus, *Iobi 21. cap. v. 7. & 12.* Cur improbi vivunt? convaleſcunt validis viribus, vociferantur ad *Tympanum* & Citharam, & lætantur ad ſonum Organi. Væ intonat Eſaias, qui poculis invigilant, in quorum convivijs eſt Cithara, ac Nablium, *Tympanum*, Tibiaq; ac vinum: Opus autem Iehovæ non intuentur, & factum manuum ejus non conſiderant, *Eſai. 5. v. 11. & 12.*

In

In ultionem *ἐπιχαιρεκακίας* Gentibus, qui Ecclesiam oppresserant, summum denunciat idem Propheta luctum & mœrorem, abjectis & cessantibus Instrumentis, *cap. 24. v. 8. & 9.* Cessabit gaudium *Tympanorum*, desinet strepitus exultantium, cessabit gaudium Citharæ. Et *Iob. cap. 17. v. 6.* se contra malevolos, quos perstringit, sustinet restitutione in dignitatem: Futurum, inquit, ut restituat me ad præsidendum populis, quamvis *Tympanotribarum* materia ante fuerim. Ac si dicat: Fuerunt læti de me antea, quemadmodum qui lætantur ad Tympanum. Sic *Nah. 2. 7.* prænunciantur Ninivitarum Heri Heræque, quòd cum servis & ancillis suis eodem loco habebuntur à Scythis, Assyriam obtinentibus, & pro eo, quòd ancillæ Psaltriæ, Sambucistriæ & Symphoniacæ prosequuntur Dominas, tum omnes in deportationem abeuntes edent concentus querulos & lamentabiles. E statione, inquit Propheta, posita deportabitur *Ninive*, deducetur cum ancillis suis, comitantibus voce simili columbarum, quæ *Tympano* pulsant ex animo suo.

Idololatricus & planè Diabolicus, & ab omni *φιλοστοργίᾳ* alienissimus fuit uSuS ille *Tympani*, quando in valle *Gehinnon* Hierosolymæ, versus orientem & meridiem vicina *Moloch* idolo candenti (erat ea statua ænea & concava, figurâ Regis, unde etiam מֹלֶךְ quasi מֶלֶךְ id est Rex, nomen habet, ita fabrefacta, ut brachia porrigeret, & subjecto igne incandesceret *Levit. 18.*) cremandos imponebant, & abominandi incendij & conflagrationis spectaculo devovebant liberos, adhibito sonitu *Tympani* & aliorum Organorum Musicorum, ne ejulatus liberorum à parentibus exaudiretur. Hinc orta est ejus loci appellatio *Tophet*. Nam תּוֹף Toph significat Tympanum, vel latitudinem à תָּפָה: Erat enim locus amplus, idololatris frequentatus *Ierem. 7. & 19.* Quò alludit *Esai. cap. 30. v. 33.* *Præparata est ab heri Tophet:* qua voce notat Propheta singulare judicium, quo in Regem Babyloniæ erat usurus Deus; Quandoquidem illa impurissima sacrificia maximâ pompâ fiebant palam ad portam Hierolymorum. Incendium & conflagrationem exustorum

in valle Hinnon allegoricè accommodat Esaias Babylonij Regis exitio, in oculis Ecclesiæ illustrissimo.

Ob inauditam immanitatem in loco tam amplo, significatur hujus loci nomine, lata & spaciosa Gehenna seu Infernus, & accipitur pro reproborum supplicio, & loco cruciatus, in æternum reprobis destinato, ubi perpetuò torquebitur Sathan, cum Angelis suis, *Matth. 5. 22. Marc. 9. 43.* Crudelitas ista adolendi prohibetur cum comminatione lapidationis, *Levit. 18. & 20.* Mentio hujus perpetratæ impietatis fit *Ios. 15. 8. Nehem. 11. 2. Chron. 28.* & passim.

Abusum denique *Tympani* & Instrumentorum impium adauxisse etiam legitur Iuliani κακοζηλία & prava æmulatio. Is enim ut Templa gentilia Christianorum Ecclesijs conformaret, jussit in ijs non tantùm altaria & primarias sedes ædificari, *Sozom. lib. 5. cap. 16.* verùm etjam Tibias & *Tympana*, & Cymbala & Symphonias in templis eum habuisse ex Arnobij *lib. 7. contra Gentes* patet.

Ad extremum *Tympano* admoneamur, ut nos, qui nos Christi gregi fatemur assertas oviculas, cum lupo hostilitatem servemus. *Tympanum* enim ex ovis pelle nil insonabit, insonante Tympano ex lupi pelle confecto, *Alciat. emblem.* vel post mortem formidolosi: & *Albert. Crantz. in Vandalia lib. 11. cap. 9. de Zischa.*

Atque hæc de *Tympano*, Instrumentis sacris annumerato sufficiant: de quo plura in Profana, humana & Liberali Organica.

XI. CAPUT.

De Tuba & Buccina.

INstrumentis sacris annumeranda est & cum *Tibijs* TuBA vel BuCCINA, cùm *argentea*, tum *arietina*: Alia nominatur שׁוֹפָר Schophar *Tuba, buccina cornea Exod. 19. 16.* plur. שׁוֹפָרוֹת & שׁוֹפָרוֹת *Iud. 7. 10. & Ios. 6. 4.* à שׁפר pulchrescere: quod decorum sit & jucundum auditu Instrumen-

mentum, aut etiam arte perpolitum, & elaboratum. Alia est חֲצֹצְרָה Chazerah *Num. 10. 2. Hos. 5. v. 8. 2. Paral. 29. Psal. 98. &c. Tuba classica.* חֲצֵר clanxit tuba. (*Ex Hiph: geminatum* צ *non legitur, licet scribatur.*

Harum *Tubarum usus* in populo Israëlitico cùm passim alibi, tùm præcipuè *capite decimo Numerorum* disertè traditur, ubi Moses divinitus jubetur parare & usurpare *Tubas*, quæ non caruerùnt *mysterijs.*

1. TUBARUM *numerus* binarius indicatur: *Fac tibi duas tubas:* ad denotanda mysticè duo Testamenta, sive Tubam *Legis & Gratiæ*; aut, ut visum Ruperto, ad præfigurandum duplicem Christi adventum; quorum alter *Gratiæ*, alter *Iudicij.*

2. *Materia* fuit argentum purum, solidum vel ductile: *Fac tibi duas Tubas argenteas, opere ductili facies illas:* ad significandam maximè Verbi cœlestis puritatem, quod argento comparatur purissimo, *Ps. 12. v. 7.* De materia quarundam Tubarum arietinâ vel cornea, mox inseretur.

3. *Vsus* duplex, *Politicus & Ecclesiasticus. Ille* vel ad cogendum cœtum, vel ad movenda castra, *v. 3. Hic* vel ad excitandam fiduciam de auxilio divino contra hostes, *v. 9*; vel ad generandam hilaritatem, & lætitiam pro beneficijs in diebus festis, calendis vel initijs mensium, *v. 10.* his verbis: *Et in die lætitiæ vestræ, & in temporibus statutis vestris, & in capitibus mensium vestrorum clangetis Tubis* בַּחֲצֹצְרוֹת ταῖς σάλπιγξιν, *super holocaustis vestris, & super sacrificijs pacificorum vestrorum*; (שַׁלְמֵיכֶם unde German: eine Schalmeyen / qua tempore pacificationis utebantur) *Eruntque vobis in memoriam coram Deo vestro: Ego Iehovah Deus vester.*

Quo respexit *Psal. 81. Buccinate Tubâ in Neomenia, in tempore constituto, in die festivitatis vestræ.* Vbi notatur tempus, quando illa solennior celebratio Dei sit instituenda. Etsi enim Deum quotidie laudare debemus, publicæ tamen ejus celebrationi festa destinata sunt. Vult itaque Psaltes in Novilunio cùm omni, tùm imprimis illo, quo Iudæi festum *Tabernaculorum* celebrabant ejusmodi anniversariam divinæ bonitatis δοξολογίαν institui. Nam mense septimo Iudæi festum Tabernaculorum quotannis ita celebrabant, ut Calendis septimi mensis clangore Tubæ populum convocarent, & sacros conventus agerent:

die

die posteà decimo ejus mensis, *Festum Expiationis,* & decimo quinto, *Festum Tabernaculorum,* quod sub tabernaculis è frondibus contextis agebant, ad recordationem Castrorum, sub quibus in deserto quadraginta annos mirabili Dei beneficio sustentati fuerant.

Quia verò tres illæ solennitates, *Calendæ* nimirum, feriæ *Expiationis,* & denique *Scenopegia,* in unum mensem incidebant, unoq; conventu populi peragebantur, ideo pro uno festo sumuntur sæpe. Etenim mensis ille TIZRI, primus antiquitus, juxta festorum ordinem apud Iudæus septimus, totus ferè sacer ac festivus erat, quasi quoddam mensium *Sabbathum,* jam frugibus ex agro collectis maximè ferijs accommodatum. *Origen. homil. 23. in Num.* Mensis ejus die primo, annum civilem pariter inchoante, instituebatur festum *Tubarum,* sive *Buccinæ* & *Clangoris,* ita dictum, quòd in eo inter sacrificia *cap. 29. Num.* descripta, Tubarum sonitus & clangor audiretur, *Levit. cap. 23. v. 24.* sive in memoriam Isaaci, hoc ipso die liberati ab immolatione, ut Rabini opinantur, idem *Cornu festum* appellantes, fabulando mandatum à Deo, ut arietino cornu clangeretur, quòd aries inter fruteta hærens cornibus, pro Isaaco monstratus ac immolatus esset. *Genes. 22. v. 13*; sive potius ob recordationem bellorum contra Amalecitas gentesque alias, Duce & autore Deo gestorum.

Reliquæ festi *Tubarum* notationes de hominis militia, & similes, ad Allegoriarum classes remittendæ sunt. A vero autem non absonum, quòd ob multa festa incidentia in hunc mensem, ejus initium inprimis solenne & otio & clangore & sacrificijs fieri oportuerit, ut tanto nobilior & notabilior esset totus mensis, & ad observationem sequentium festorum cœtus universus solenni excitaretur παρασκευῇ.

Succurrit hîc quoque solennis celebratio quinquagesimi sive IUBILAEI anni, *Levit. cap. 25.*

Eum *Iubilæum,* quem Eusebius Cæsariensis in Chronicis, à numero quinquagesimo Hebræis sic dici scribit, Latini à *Iubilo* derivant, ut annotavit Augustinus. Quidam á primo Musicorum Instrumentorum

torum autore, *Iubal* fluxisse nomen autumant. Hebræorum fert opinio, à *Iobel* appellari, verbo Arabico, quod Cornu significet arietinum: Vnde Aquila Græcè κερατίνην reddidit, sive, propter cornu istius usum, sive, ut quibusdam placet, propter formam solùm cornu arietini. *Indictio Iubilæi* fiebat decimo die mensis septimi, in ipso nempe Expiationis festo, *Levit. 25. v. 9.* ubi *Tubarum* clangoribus denunciandus erat toti populo optatus ille Remissionis Libertatisque annus. De *Buccinis* quærit Abulensis *quæst. 6. & 7. in Iosuam part. 1.* fuerintne corneæ an argenteæ, & ex metallo sive argento fuisse concludit: propterea quòd asservatæ, & in deserto asportatæ fuerint. Dissentiunt tamen LXX. Interpretes cum Hieronymo.

4. *Clangor* diversus indicatur *cap. 10. Numer: Simplex & æqualis*, διάτονον Græci vocant, ad convocandum multitudinem, ubi duabus simul canendum Tubis, *v. 3*; vel ad Principes congregandos, ubi unâ saltem utendum, *v. 4. Inæqualis* & *varius* תְּרוּעָה Theruah dictus, (Schindler. vociferatio, ein Feldgeschrey / *Psalm. 47.* Iubilatio.) vel à fractura, tremulaq; voce ad canendum classicum, sive ad impetrandam profectionem: *v. 5. 6.* Si clanxeritis Taratantarâ & vel si taratantarizabitis tubis *v. 9. &c.* Vbi ad clangorem primum prima acies, ad secundũ secunda, & sic consequenter moveri jussa est *v. 5. 6.* Græci reddiderunt σημασίαν significanter: quo juxta Theodoretum *quæstione 15.* allusisse creditur Apostolus *1. Corinth. 14. v. 7. 8.* ὅμως τὰ ἄψυχα φωνὴν διδόντα, εἴτε αὐλὸς, εἴτε κιθάρα, ἐὰν διαστολὴν τοῖς φθόγγοις μὴ δῷ πῶς γνωσθήσεται, τὸ αὐλούμενον, ἢ τὸ κιθαριζόμενον, καὶ γὰρ ἐὰν ἄδηλον φωνὴν σάλπιγξ δῷ, τίς παρασκευάσεται εἰς πόλεμον; Quin & inanima vocem reddentia, sive tibia, sive Chitara, nisi distinctionem sonis dederint, quomodo cognoscetur, quod tibiâ canitur, aut Citharâ? Etenim si incertam vocem Tuba dederit, quis apparabitur ad bellum? ἄδηλον φωνὴν Theodoretus habet μὴ εὔσημον.

Peculiaris etiam planè fuit usus in promulgatione Legis divinæ

 in mon-

in monte Sinai: *Exod. 19. v. 13.* Iumentum enim & Homo ascendere permittuntur in montem Sinai (unde promulgebatur) quum tractim sonuerit Cornu. id est, audietur διάτονος sive continens unius toni sonus. Q. d. Erit huic interdicto montem attingendi locus, donec istud audiatur, quod in extremis ferè cantionibus observatur.

Et ex communi usu voluit cognosci DEus à populo, quando Religio loci illius esset desitura, discedente Domino, & sacram hanc actionem terminante per signum ejusmodi. Nec sine mysterio conceditur aliquis in montem ascensus, protracto longiùs sono Buccinæ: Mysticè enim hîc significatum est, tùm ad Deum propiorem nobis patere aditum, quando vox uno quondam loco conclusa, per Christum diffusa & protracta, toti orbi innotuit.

5. BuCCINATORES ipsi Sacerdotes sunt. Quo indicatum dubio procul, & in actionibus præcipuam Sacerdotum esse autoritatem, nec promiscuæ multitudinum turbæ cedendum, sed gravitatem servandam esse & modestiam; & omnium actionum exordia à sacris semper ducenda, sive ab imploratione nominis divini, *Coloss. 3. v. 17.* Quicquid egeritis sermone aut facto, in nomine Iesu facite, gratias agentes Deo & Patri per eum.

Tubarum Allegoria quadruplex.

Nec inconveniens hîc piè & jucundè observare *Allegoriam Tubarum quadruplicem*, ex vario earundem usu & mentione passim in sacris literis, desumtam.

1. Significatur officium Sacerdotum, quorum est *clangere Buccinâ, Ezech. 33. v. 3. & 6.* hoc est: Auditores terrere, juxta etiam solari. Iubentur enim buccinatores isti inflare Tubas, sive minatrices illas & castigatrices scelerum, de quibus *Esai. 58. v. 1. Clama, ne cesses, exalta vocem tuam quasi* Tubam, *annuncia populo meo sua scelera. Sophon. 1. cap. v. 16. Dies* Tubæ *& vociferationis super civitates munitas, & super terras excelsas: & angustijs afficiam homines, & ambulabunt ut coeci, quia Iehovæ peccaverunt:* sive consolatrices & Evangelicas, de quibus *Esai. 27. v. 13. Et in die illa clangetur* Tubâ *magnâ, & venient, qui perierant in terra Assur, & expulsi fuerant in terram AEgypti: & incurvabunt se Iehovæ in monte sanctitatis Hierusalem.*

Ita

Ita Augustinus *tom. 10. serm. 106. de tempore: Sacerdotales illius temporis* Tubas *quid aliud præfigurasse credimus, quàm hujus temporis Sacerdotum prædicationes, per quas non cessant peccatoribus terribili sono austerum judicium nunciare, tristem Gehennæ interitum prædicare, & quodam comminationis strepitu aures delinquentium verberare? &c*

Et in promulgatione Legis, Clangor Buccinæ *Exod. 19. v. 16.* sive ministeria Angelorum significat, quorum dispositione Lex data est, *Actor. 7. Galat. 3*; sive Legis vim animos omnium penetrantis; etjam quando *Exod. 20. v. 18.* populus sub montis fumantis radice inter tonitrua & lampades ad clangorem *Tubæ* consternatus deprecatur, ut Deum loquentem deinceps non audiat coràm, nisi interventore & mediatore Mose; inde non solùm terror hominum ad divinæ majestatis conspectum, & voluntatis divinæ severitatem proditus est, Legis officium, quod terrorem metumq; animis incutiat, patefactum; sed anagogicè insuper indicatum est, in communi Redemptionis opere, μεσίτην tantò magis requiri, quanto major offensi DEi erat indignatio. Quapropter probi Pastoris munere fungens Moses oratione consolatoria perterrefactos erigit.

Caveant quibus canunt buccinatores surda eos aure præterire; ne redarguantur Proverbio, quo Christus perversitatem Iudæorum accusat *Matth. 11. v. 16.* & *17: Cui assimilabo gentem istam? Similis est puerulis, qui sedent in foris, & clamant sodalibus ac dicunt:* Tibijs *cecinimus vobis & non saltastis, lamentati sumus vobis, & non planxistis.*

Allusio est ad Iudæorum liberos, qui sæpius in foro vel plateis sub dio ludentes, *Zach. 8. v. 5.* modò sacra nuptialia, modò pompas funebres imitabantur. Vt autem singula tantò majore frequentia instituerentur, plerumque coævos ad ejusdem ludi societatem provocabant: sin horum quidam ita morosi essent, ut ad ludendnm persuaderi non possent, vel certè eundem levibus de causis inciderent, aut dissolverent, ijs μισανθρωπίαν & inhumanitatem suam exprobrabant hoc cantico: *Cecinimus vobis, & non saltastis; lamentati sumus, & non planxistis.*

Accommodatur ad pertinaciam Iudæorum, qui nec Baptistæ doctrinâ, & vitâ severiore, nec Christi humanitate permoveri poterant, ut Evangelio crederent: sed in altero gravitatem morum desiderabant: Nonnulli etjam illius solitudinem ac temperantiam obsessionis Diabolicæ; ac vicissim, hujus φιλανθρωπίαν, & familiariorem cum alijs conversationem ebriositatis vel temulentiæ nomine traducebant, ut nimirum ubiq; haberent, quod carperent, & obstinationi suę prętexerent. Eodem adagio nostrates auditores redarguendi sunt, qui nec benignis, nec asperioribus, nec duris, nec mollibus verbis flecti possunt. Vbi Synecdochicè accipiuntur *Naniæ funebres* pro asperâ & tristi oratione, quæ animum mœrore afficiat; *Cantus Tibiæ* pro dictis lenibus, quæ animi clementis indicia sunt, & auditorum corda exhilarant. Frustra itaq; buccinantes, qui neque Legis, neque Evangelij clangore animos movere possunt, solentur sese cùm Iohannis, tùm Christi optimorum buccinatorum exemplis.

2. *Verbum Evangelij* efficax quasi *Tuba* est. Hieronymus *in 7. cap. Ezechielis. Ejus sonus exit in omnem terrarum orbem, Psal. 18. Rom. 10.* Ita Clemens Alexandrinus in protreptico suo: σάλπιγξ ἐστὶ χριστοῦ τὸ εὐαγγέλιον: ὁ μὲν ἐσάλπισεν, ἡμεῖς δὲ ἠκούσαμεν. Tuba *est Christi Evangelium &c.*

Et sub festo TUBARUM proposita fuit imago prædicationis Evangelicæ, cujus clangor instar *Tubæ, Zach. 9. v. 14*; quæ exaltatur ut *Tuba, Esa. 58. v. 1*; quam prodromus Christi, vox illa clamantis, inflavit ante Expiationis magnæ festum in Novo Testamento. Rectè igitur figuram lætitiæ in conversione gentium fuisse dicit Rodolphus *in 1. cap. Levit:* Solennitatis, inquit, nostræ principium, quasi prima dies septimi mensis, temporibus Apostolorum fuit, quando prima gentium facta est vocatio clangentibus *Tubis*, mundum scilicet perlustrante tonitruo divinæ prædicationis.

Sic Origenes *homil. 23. in Num.* allegoricè transfert ad eum, qui ex sacrarum literarum sono interiore lætitiam percipit. Quis est, inquit,

inquit, qui festivitatem gerat memoriæ *Tubarum*, nisi potest Scripturas Propheticas & Evangelicas, atque Apostolicas, quæ velut cœlestis quædam personant *Tuba*, mandare memoriæ, & intra thesaurum cordis sui recondere? qui ergo hæc facit, & in Lege Dei meditatur die ac nocte, iste festivitatem gerit memoriæ *Tubarum, &c.*

Iubilæi etiam anni denunciatio *Tubarum* clangore, quid mysticè voluit aliud, quàm ut adventus Christi, cujus ministerium in 30. *Iubilæum* Mosaicum incidit, quibusdam quasi notis exprimeretur; atque ut *Iubilæus* Evangelij verus adumbraretur, in quo læta & sonora voce annunciatur remissio, libertas, reditusq; ad amissa quondam cœli bona? *Actor. 3. 38. Iohan. 8. 36. Galat. 3. 3.*

Iosuæ libro cap. 6. Sacerdotes septem, portantes septem *buccinas* arietinas, ante arcam IEHOVAE clangunt *buccinis*, donec septima vice ad auditum *Buccinæ* sonum, & populi vociferationem muri Ierichuntis corruebant, & civitas capiebatur: Sic etiam per Apostolorum non tantùm 12; Sed discipulorum quoque 70. prædicationem sonoram CHRISTuS, cum DEo fœderis autor, toti mundo obviam importatus, innotuit, cujus quiete septimo die, regnum mundi collapsum, & portæ Inferni dirutæ sunt.

Iudic. libro cap. 7. leguntur Midianitarum castra discurrentia sese mutuis lanienis confecisse, ubi principio vigiliæ mediæ cum Gideone trecenti, qui lamberant, in tria agmina distincti, *Buccinis* in dextra clanxerunt, simul comminuendo hydrias vacuas, & faces sinistrâ tenuerunt. Ita quoque ex ore infirmorum sonantis in exili Ecclesia Evangelij clangor de Messia, mane è mortis tenebris in vitam emergente, in quo fax Deitatis eluxit splendidè, stygios hostes in fugam convertit miraculosè.

Cumq; statim à Christi Ascensione & Sessione ad dextram Patris, Spiritu Sancto effuso, Evangelij clangor per Apostolos, Evangelistas, Doctores & Pastores datos *Ephes. 4.* toti mundo insonuerit; omnes jubentur populi *Psal. 46.* manibus plaudere, & voce orationis congratulari Deo, qui elegit nobis hæreditatem nostram, quandoquidem a-

 scendit

ſcendit DEuS in jubilo, *Dominus* in voce *Tubæ*. Vt enim in ſolenni ritu, quo David arcam fœderis in urbem Hieroſolymam adduxit, *2. Samuel. 6. Tibicines* & *Tubarum* ſtrepitus, omnisque generis organa Muſica adhibebantur: Sic impertitâ Diſcipulis benedictione, inter panegyrica, *ἐπινίκια* Angelorum, non ſine Diſcipulorum votis & præconijs, imò cum precibus & gratulationibus Eccleſiæ, & militantis in terra, & triumphantis in cœlo, veluti *Tubæ* jubilo manifeſtata & glorificata eſt perruptoris prævij Chriſti in cœleſtem arcem aſcenſio, *Actor. 1. Epheſ. 1. & 4. 2. Corinth. 15.*

Interea cum ad *Tubam* Evangelij clangentem, ſub Chriſti vexillo, vita hominis Chriſtiani nihil aliud ſit quàm militia, *Iob. 7.* aſſiduè velut è ſpeculis & turribus Templorum proſpiciendum & animadvertendum eſt in *Tubas ſeptem*, ſeptem Angelis à Deo datas, *Apoc. cap. 8. Tubarum* cantu ſecuturas in Eccleſia hæreſes, & veræ doctrinæ corruptelas, & certamina graviſſima impiorum Doctorum ſignificari præmonemur, ut cauti periculo imminenti opponamus fidos ſpeculatores, qui verbi ſinceritate, & ardenti invocatione veritatem propugnent.

In accommodatione ſeptem *Tubarum* ad ſingulas hæreſes diſſenſio eſt.

Lutherus annotat, primæ *Tubæ* ſonitu *Tatianum* & *Encratitas* prænunciari; ſecundæ *Tubæ* aſcripſit *Marcionem*; tertiam *Origeni* accommodat; quartæ *Tubæ Novatum*, & ab eo ortos *Catharos* attribuit. *in præfatione Apocalypſeos Germanica:* Alij, temporum & hiſtoriæ ſeriem ſecuti, ad *Nazaræorum* & *Ebionitarum*, vel *Mineorum*, ut Hieronymus *tomo 3.* appellat, primam *Tubam* accommodant; Secundam ad *Gnoſticorum* furores; Tertiæ *Tubæ Samoſatenum* & *Arium* deputant; Quartæ *Pelagium* attribuunt; Quintæ *Tubæ Abbadon*, filius perditionis, Romanus AntiChriſtus confertur *cap. 9.* Sexta *Tuba* ibidem *Mahometis*, & *Saracenorum* ac *Turcarum* exercitus & blaſphemias depingit. De *Tuba* ſeptimi Angeli *cap 10. Apoc.* mox ſub 4. Allegoria Tubarum.

3. *Tuba* vel *Buccinator* etiam dici poteſt fidelis quiſque, Dei laudes grato ſonans ore, & fidei conſtantiam atteſtans. Noſtrum quippe

Cideo-

(NB. Diese Tabel gehöret ad fol. 126)

UNIVERSAL TABEL,

Darinnen der Vnterscheyd vnd Namen / Wo nicht aller / doch der meisten Stimmen / so dieser zeit in Orgeln gefunden werden / begriffen.

(NB. Wo das M. vnd P. am rande verzeichnet befunden wird; muß man es also verstehen / daß eine solche Stimme / beydes im Manual alleine / so wol im Pedal auch alleine / do es dann / Principal-Baß oder Gedact-&c. Baß genennet wird; Vnd dann auch im Manual vnd Pedal zugleich mit einem / oder zweyen absonderlichen Registern gebraucht werden könne.)

(Fußzahlen: am Thon / Fuß)

Pfeiffen in der Orgel.

- **Schnarrwerck oder Rohrwerck.**
  - Schnarr Werck oder Rohrwerck.
    - **VII. Offen**
      - P. Posaunen Baß. — 16
      - M. Trommeten. — 8
      - P. Trommeten Baß. — 8
      - M.P. Schallmeyen — 8
      - P. Klein Schallmeyen. — 4
      - P. Groß Krumbhorn Baß. — 16
      - M.P. Krumbhörner. — 8
      - P. Klein Krumbhorn Baß. — 4
      - M. Groß Regal. — 8
      - M. P. Kleingeigend- oder Jungfraw Regal. — 4
      - M. Zimbel Regal. — 1
      - M. Zincken Discant. — 8
      - P. Cornett Baß. — 4 / 2
    - **IIX. Zugedächt.**
      - M.P. Sorduen. — 16
      - M.P. Groß Rancket. — 16
      - M.P. Rancket. — 8
      - P. Groß Baerpipen. — 16
      - M.P. Baerpipen. — 8
      - M.P. Groß Bombart. — 16
      - M.P. Bombart. — 8
      - M. Fagott. — 8
      - P. Dulcian Baß. — 8
      - M. Apffel- oder Knopff Regal. — 8
      - M. Köpfflin Regal. — 4
- **Flöit Werck**
  - **Offen**
    - So gleich aus proportionirer, vnd gleich weitte Corpora haben.
      - **I. Lang / Enge vnd schmal: Als Principal Mensur.**
        - Principaln.
          - P. Groß Sub Princip. Bass. — 32
          - M. Groß Principal. — 16
          - P. G. Pri. oder Pri. vntersatz. — 16
          - M. P. Princ. oder Prestant. — 8
          - M. P. Klein Principal. — 4
          - M. Klein Princ. Discant. — 4
        - Octaven.
          - M. P. Groß Octava. — 8
          - M. P. Octava — 4
          - M. P. Klein Octava. — 2
          - M. Super Octävlin. Sedetz. — 1
        - Quinten.
          - M. P. Groß Quinta. — 16
          - M. P. Quinta. — 3
          - M. Klein Quinta. — 1½
        - Rauschpfeiff. oder Rausch Quint, Von — 3 / 2
        - Schweitzer-Pfeiffen.
          - M. P. Groß Schweitz. Pfeiff. — 8
          - M. Klein Schweitzer Pfeiff. — 4
          - M. Klein Schw. Pfei. Disc. — 4
          - P. Klein Schw. Pf. Bass. — 1
        - Mixturen.
          - M. P. Grosse Mixtur. — 4
          - M. P. Mixtur 2. oder 1. fach.
          - M. P. K. Mixtur oder Scharp.
        - Zimbeln.
          - M. P. Grober Zimbel.
          - M. P. Klingend Zimbel.
          - M. P. Zimbel.
          - M. Kleiner Zimbel.
          - M. Repetirende Zimbel.
          - P. – Zimbel Bass.
      - **Kurtz vnd weit: Als II. Holflöiten allerley Art.**
        - M. P. Groß Holflöiten. — 8
        - M. P. Holflöiten. — 4
        - M. Holpfeiffen Discant. — 4
        - M. P. Hol Quint. — 3
        - M. P. Kleine Holflöit. — 2
        - M. K. Hol Qu. oder Qu. flöit. — 1½
        - M. Swifflöitlin / oder Siefflit. — 1
        - M. Waldflöitlin. — 1 / 2
        - P. Klein Flöitlin Bass. — 1
        - M. P. Groß Schwiegel — 8
        - M. P. Klein Schwiegel. — 4
    - **III. So nicht gleich aus weit proportionirer.**
      - Vnten weit vnd oben eng
        - Gemßhörner oder Spillflöiten.
          - M. P. Groß Gembßhorn. — 16
          - M. P. Gemßhorn. — 8
          - M. P. Octaven Gembßhorn. — 4
          - M. P. Gembs Quinta. — 3
          - M. P. Klein- oder Super Gembßhörnlin. — 2
          - M. Klein Gembß Quinta. Nasat. — 1½
          - Spillflöiten. — 4
        - Spitzflöiten.
          - M. Spitzflöit. — 4
          - M. P. Klein Spitzflöit — 2
          - M. Spitz Quintlein. — 1½
          - Blockflöiten / oder Plockpfeiffen. — 4
        - Flachflöiten.
          - M. P. Grosse Flachflöit. — 8
          - M. P. Flachflö ten — 4
          - M. P. Klein Flachflöit — 2
          - M. Klein Flachflöit Discant. — 2
      - Oben weit: vnd vnten eng: als / der Dulzaen. — 8
  - **Zugedäckt.**
    - Die gantz zugedäckt seyn:
      - **IV. Quintadeenen Mensur.**
        - Quintadeen.
          - M. P. Groß Quintadeen. — 16
          - M. P. Quintadeen. — 8
          - M. P. Klein Quintadeen. — 4
        - Nachthorn.
          - M. P. Nachthorn. — 4
          - P. Klein Nachthorn Bass. — 2
        - Querflöit.
          - M. P. Groß Querflöit. — 8
          - M. P. Querflöit. — 4
      - **V. Gedacten: allerley Art.**
        - P. Groß Gedacter Sub Bass. — 32
        - M Groß Gedact. — 16
        - P. Gr Gedact Bass, oder Gedact Vntersatz. — 16
        - M. P. Gedact — 8
        - M. P. Klein Gedact. — 4
        - M. Gedacte Quinta. — 3
        - M. Super Gedäctlin. — 2
        - P. Bawerflöit Bass. — 1
    - Die zwar gedäckt / aber oben wiederumb in etwas eröffnet sind.
      - **VI. Rohrflöiten: allerley Art.**
        - M. P. Grosse Rohrflöiten. — 16
        - M. P. Rohrflöiten. — 8
        - M. P. Kleine Rohrflöite. — 4
        - M. Super Rohrflö tlin. — 2
        - P. Bawer Rohrflöitlin Bass- oder Rohrschell. — 1

Dieser aller Abriß / ist in Sciagraphia, oder Theatro Instrumentorum Col. XXXV. vnd XXXVI. zufinden.

Gideonem, Ducem prævium ſequentes, & reſpicientes, Chriſtianos in militante Eccleſia decet *Buccinâ* apertæ confeſſionis clangere, & grato corde tot tantaq; beneficia Dei prædicare, donec fractâ hujus corporis mole, facem fidei ardentis, & ſpem beatæ immortalitatis præferentes perruinpamus ac penetremus mortem, & hoſtes ſibi ipſis mortiferos. Origenes oſtendit, *homil. 23. in Num:* quomodo quiſque celebrare poſ-ſit feſtum *Tubarum.* Et ſi quis poteſt, inquit, in gratias illas Sancti Spiritus promoveri, quibus inſpirati ſunt Prophetæ, & pſallens dicere: *Canite initio menſis Tuba, in ſolennitatibus ejus, Pſal. 80.* & qui ſcit in Pſalmis jubilare ei, dignè agit ſolennitatem *Tubarum.*

Huc ſpectat alluſio *Pſal. 97:* ψάλατε ἐν σάλπιγξιν ἐλαταῖς, *Pſallite in Tubis ductilibus.* Sic enim Ambroſ. *in lib. de fide Reſurrectionis, tomo 3.* Faciat, inquit, amicus Dei rationabiles *Tubas* duas ductiles; argento probato h. e. precioſo verbo compoſitas, & ornatas, quibus non raucum increpans terribili ſonitu murmur interſtrepat, ſed *ſublimes gratiæ* DEo continuâ jubilatione fundantur. Et Auguſt. *8. tomo in Pſal. 97.* per *Tubam* Ductilem animum putat ſignificari tribulatum. *Ductiles Tubæ* tundendo producuntur; ſi tundendo, ergo vapulando eritis *Tubæ ductiles,* ad laudem Dei productæ. Si cum tribulamini proficiatis, tribulatio tunſio, profectus productio eſt. *Tuba ductilis* erat *Iob*, quando repente percuſſus tantis damnis, & orbitate filiorum, tunſione illa tantæ tribulationis factus *Tuba ductilis* ſonuit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, &c.* Vide *Gregor. Mag. lib. 30. Moral. cap. 4.* Etiam cavent fideles, ne per hypocriſin in gloriæ popularis aucupium *Tubâ* Phariſaicâ *buccinantes Matth. 6.* oſtentent ac venditent Eleemoſynas, aliaq; opera, quibus præſtandis, Legis *Tubâ* provocante, omnino aſtricta eſt Fidei obedientia.

4. Præmonet *Tuba* impijs horribilem & tremendum, pijs triumphalem & exoptandum diem judicij, quo Filius hominis venturus in nubibus cœli, cum poteſtate & gloria multa, miſſurusq; eſt Angelos ſuos *cum voce Tubæ magna, Matth. 24.* Et *1. Theſſal. 4.* Ipſe Dominus

cum

cum hortationis clamore & voce Archangeli & *Tuba* Dei descendet de cœlo. Et *1. Corinth. 15.* momento & jctu oculi ad *ultimam Tubam* ἐν τῇ ἐσχάτῃ σάλπιγγι (σαλπίσει γὰρ canet enim) & mortui suscitabuntur incorrupti, & nos commutabimur. Tunc certè Hierichuntis instar, *Ios. 6.* hic Orbis ruinam trahet, ad *Tubas* septem, h. e. infinitorum Angelorum, arcâ fœderis se gloriosè exhibente in terra promissâ conspiciendam, ubi periodi septimus gyrus revertetur. ut ferè emersi 6000. annorum, tandem Sabbathum æternum *Tubarum* festum & *Iubilæum* annum celebremus festivitate perenni.

Huc Chrysostomi expositio *homil. 47.* ad populum Antiochenum, & *homil. 77. in Matthæum* Καὶ τί βούλονται αἱ σάλπιγγες, καὶ ἡ ἠχή; πρὸς διανάστασιν, πρὸς εὐφροσύνην πρὸς παράστασιν τῆς τῶν γινομένων ἐκπλήξεως. Quid *Tubarum* ille sonus vult? ad exuscitationem, ad gaudium, ad exprimendum rerum futurarum stuporem.

Nec frustra *Tubæ* formam in cœlo apparuisse aliquando contigit, prodigijq; loco habitum narrat Niceph. *lib. 15. cap. 20.* Nubes, inquit, *Tubæ* specie ad dies quadraginta visa est. Et certè olim in exequijs, veluti ad filiam Iairi terræ mandandam, *Matth. 9.* adhibitæ fuerunt & *Tubæ*, & *Tibiæ*, non tantùm ob lugentium dolorem, & mœrorem mitigandum; sed etiam gratiâ excitandi animositatem, qua in militante Ecclesia Stygios Midianitas, ad Gideonis Christi clangentem *Tubam*, sive lætam Evangelij vocem, fractâ corporis hujus mole, face fidei ardente, *Iudic. 7.* perrumpamus, eluctati spe resurrectionis ex morte ad vitam æternam, ubi in novissimo Christi reditu, clangorem edente *Tubâ* extremâ, capitibus elevatis triumphaturi sunt pij. *Tuba* illa qualis sit futura, videatur *Chrysolog. serm. 103.*

Caveant autem tunc Epicuræi subsannatores, qui cum *Tibicinibus illis* ad Iairi defunctam filiam, Christo Duci vitæ, resuscitandi mortuos tam facilem, ac è sopore dormientes evocandi virtutem ac efficaciam

caciam planè derogarint; ij sanè ex illustrati & creduli *Iairi* ædibus, h. e. credentium Ecclesia expulsi, æternis involventur tenebris, ubi *va va* ejulabunt, plenis sine fine buccis.

XII. CAPUT.

De Tintinnabulis, Nolis & Campanis.

NVnc *Tintinnabulum, Nola, & Campana*, quid sonent in Ecclesia attendamus.

TINTINNABULUM Instrumentum est æneum; πεποιημένον sive factitium nomen, à voce quam facit *Tin-tin*: ὁ κώδων Græcè; Hebræis פַּעֲמֹן *Exod. 28. v. 33. 34. cap. 39. v. 26.* à Percussione vocatum: פָּעַם enim est percutere, pulsare vel conteri, & quasi tinnitum facere.

Tintinnabulorum USUS sacratissimus fuit in Veteris Testamenti Ecclesia: Vbi summi Pontificis pallium, sive Ephod, sive tunica superhumeralis, ut Hieronymus reddidit, ornabatur ex *malogranatis* trium præcipuè colorum, & ex *Tintinnabulis* aureis, quibus in ingressu & egressu Sacerdos sonum cieret. De quo *Exodi cap. 28. v. 33. 34. 35.* sic legitur in delineatione Ecclesiastici operis, Mosi præscripta: *v. 33. Facies & in fimbrijs ejus* (Ephod) malogranata *ex hyacintho & purpura & vermiculo cocci: in fimbrijs, inquam, ejus per circuitum*; Tintinnabula *aurea in medio illorum per circuitum. v.* 34. Tintinnabulum *aureum unum &* malogranatum; tintinnabulum *aureum alterum*, & malogranatum *in fimbrijs pallij per circuitum. v. 35. Erit autem super* Aharon *ad ministrandum, & audietur sonus ejus, quando ingredietur Sanctuarium coram* Iehovah, *& quando egredietur; & non morietur.*

Et delineationi respondens effectio extat *Exodi cap. 39. v. 24. 25. 26. V. 24. Feceruntq; in Fimbrijs pallij* malogranata *ex hyacintho, & purpura, & vermiculo cocci, & bysso retorta. V. 25. Feceruntq; &* Tintinnabula *ex auro puro, posueruntq;* Tintinnabula *illa in medio* malogranatorum *in*

S *fimbrijs*

fimbrijs pallij per circuitum, in medio, inquam, malogranatorum. V. 26. Tintinnabulum *&* malogranatum *in fimbrijs pallij in circuitu ad ministrandum, quemadmodum praeceperat Iehovah ipsi* Mosi.

Idem iteratur in Ecclesiastico *cap. 45. v. 11. Qui globulis, inquit, aureis succinxit eum, crebrisq; circum circa* Tintinnabulis, *quae sonos ederent, ipso incedente, atq; in Templo tinnitum ederent, in memoriam filiis Israël, & populi sui.*

Fimbrijs appensa *Malogranata* notant εὐωδίαν, quâ per Christum Deo accepti reddimur: *Tintinnabula* prædicationem Verbi cœlestis, longè lateq; sonantem. Vtq; *malogranata*, quæ grana plura uno cortice continent, & tegunt, hîc *Tintinnabulis* juncta sunt; Sic in Ecclesiæ Catholicæ cœtu mentes ὁμοθυμαδὸν collectæ, unius cordis & oris concentu unam fidem & confessionem de uno eodemq; Deo, deq; unius Sacerdotis beneficijs conjungunt.

Quod autem *Aaroni*, non hac veste in conspectum suum prodeunti, Deus interminetur mortem; sic interpretatur Gregorius Magnus *part. 2. Curæ Pastoral. cap. 4. & lib. 1. Epist. 24. Sacerdos,* inquit, ingrediens, vel egrediens moritur, si de eo sonus non audiatur, qui iram contra se occulti judicis exigit, si sine sonitu prædicationis incedit. Vestimentis *Tintinnabula* inhærent, ut vitæ viam cum linguæ sonitu congruere, ipsa quoque bona opera clament *Sacerdotis.*

Memorabile quoque est, *Salomonis Templum* super tectum *Tintinnabula* habuisse, quibus absterritæ aves abigerentur, eorumq; fuisse quadraginta memorat *Euseb. Præpar. Evang. lib. 9. cap. 4.*

In recentiori Ecclesia, quod hîc inserere libeat, ut *Tintinnabula* censerentur *Nolæ* & *Campanæ* vocabulis, obtinuit consuetudo á *Campaniæ Nola. Paulinus* enim, *Nolæ* urbis Campaniæ Episcopus, primus in sua Ecclesia CAMPANAE majoris fusionem & usum invenisse proditur, & ad pia munia transtulisse, ut nimirum ejus sono exciri possent remotiùs habitantes, ad conciones, precationesq;: *Gilbertus Cognatus lib. 3. Narrat. Petr. Hisp. fil. p. 2. cap. 9.*

Etiam *Campanulæ* nomen reperitur in literis Cyrilli Hierosolymitani,

mitani, inter Beati Augustini *epistolas 206.* quo loco, in S. Magnæ usum *Campanulæ* tum invaluisse, convocandis ad rem divinam Sanctimonialibus, autor meminit. Quanquam eam Cyrilli Epistolam esse non pauci dubitant, putatur tamen, si alterius sit, non illo admodum inferior esse autor. Manifestum est, usum *Tubarum*, quibus concio Iudæis indicebatur *Num. 10. Matth. 9.* post occupasse *Campanas:* quarum publicum signum ad Dei cultus, vel ritus publicos cogendi populum, ne Eleusinius censeatur congressus in Christi Ecclesia, εὐταξίας ἕνεκα, non duntaxat toleratur, verùm etiam conservatur. *Rup. Abb. Tuijecens. de divin. offic. lib. 1. cap. 16.*

Callistus III. Pontifex mandavit, ut assiduo rogatu Deus flecteretur, in meridie *Campanis* signum dari fidelibus omnibus, ut orationibus eos juvarent, qui contra Turcos continuò dimicabant. Crediderim tum ego precibus omnium, Christianos, ad Bellogradum contra Turcos dimicantes, duce *Ioanne Vaivoda,* astante etiam *Ioanne Capistrano* ordinis Minorum, crucemque pro vexillo hostibus inferente, eos Bellogradum oppugnantes ingenti clade superasse, *scribit Platina.*

Atque hîc non piget inserere, quæ Ecclesiarum Brunsvicensium constitutio pia, à Christianissimo IULIO Duce p. m. præscripta, de Campanæ pulsu PRO PACE, præcipit & admonet. *Fol. 50. sub titulo.*

Kirchen Ordnung auff den Dörffern.

Weil auch gebreuchlich/daß die BetGlocken Abends/Morgends vnd zu Mittage geleutet werden/so sol das Volck vermanet werden / wenn solches geschicht/ daß sie jhr Gebet zu Gott dem HErrn für Frieden vnd alle zeitliche vnd ewige Wolfahrt thun/ vnd jhr Gesinde auch darzu halten/ sie seyn im Hause/ im Felde/ oder wo einer ist/ vnd daß sie sich des nicht schemen/ Denn es ist Gott ein gefellig/ vnd jhnen selbst ein nützlich Werck.

Von der BeteGlocken/ oder pro pace leuten.

Man helt im Bapstumb Morgens/Mittags vnd Abends einen sonderlichen Glockenschlag / dadurch das Volck vermahnet sol werden / die

Jungfraw Mariam anzuruffen. Weil aber die hochgelobte Jungfraw Maria solche Ehre/die Gott allein gebüret/ nicht haben wil/vnd auch wieder Gottes Wort ist/ sol davon das Volck vnterrichtet werden.

Es kan aber der Glockenschlag an jhm selber/wie auch in den benachbarten reformirten Kirchen behalten werden / vnterscheid der Morgends-Mittags- vnd Abendstunde/dem Volck damit anzuzeigen/vnd daß dadurch das Volck erinnert vnd vermanet werde / daß sie Morgends/ Mittags vnd Abends für gemeinen Frieden vnd gut Regiment bitten sollen: In welchem Gebet man gleich für die Obrigkeit/ vnd wieder alle Feinde / des gemeinen Christlichen Friedens / bittet. Daher man es in den benachbarten reformirten Kirchen sehr fein nennet: die BeteGlocke / oder/pro pace leuten: Vnd ist Christlich/gut vnd nützlich/daß das gemeine Volck darzu gewehnet werde / daß sie solches nötigen Gebets nicht vergessen. Weil es aber gar offte vergessen wird/kan der Glockenschlag dazu erinnerung geben/daß sie an solch Gebet zuthun gedencken / wenn sie hören pro pace leuten / sie seyn im Hause/im Garten/auff der Gassen/oder auff dem Felde. Vnd man mag alßdann die Kinder im Hause auch singen lassen: Erhalt vns HErr bey deinem Wort/etc. Item: Verley vns Frieden gnediglich. Solch Gebet ist in diesen letzten gefehrlichen Zeiten hoch von nöhten.

Religio ſanè læta fuit *Campanarum* donatio; quarum ereptio mœſta fuit rebellionis ultio; tranſlatio earundem mira Naturæ in metallo, ſi placet credere, evaſit indignatio.

VRSUS *Particiacus* Venetorum Dux, *anno ſal. 865.* Saracenos claſſe vicit prope Gradum, auxilio Baſilij Imp. Græci, cujus eſt poſtea Protoſpatharius factus. Gratitudine proinde animi, & officio cum Baſilio certans, duodenas magni ponderis, artificijque haud vulgaris dono ei miſit Campanas, ſuntq; Venetorum munere tùm primùm Græci *Campano* ære uſi. *Sabel. lib. 1. Enn. 9. & lib. 3. Dec. 1. Bergamas in Nicolao I. Pontifice.* BONIFACIUS VIII. Anagninus anno 1300. Baſilicam Petri *Tintinnabulis* æreis ſuaviſſimis exornavit. *Volat. lib. 22.*

Viciſſim BURDEGALENSIBUS, qui ob ſalinas & vectigalia adverſus *Henricum II. Francorum Regem* rebellarunt, *anno 1547.* ob ſeditio-

ſeditionem *Campanæ* omnes ſunt ereptæ. *Sleidan. lib. 25.* Contendunt nonnulli Autores inſigni miraculo fidem facere, quod in amolitione vel tranſlatione *Campanæ*, Gallorum Rege Clothario, viſum tradunt. *Sanctus* enim *Lupus*, Senonenſis Epiſcopus, egregiam quandam, eximijque ſonitus *Campanam* in æde Sancti Stephani collocârat: Vbi eam gratiſſimi ſonitus eſſe accepit Clotharius Rex, Pariſios, velut in Regiam urbem, deferendam mandaverat: *loco mota*, ut referunt ſcilicet, *ſonum* mox amiſit, quandoquidem *Lupus* Epiſcopus ei rei non fuerat aſſenſus. Id cum Rex animadvertiſſet, reddendam priſtino loco juſſit. Cum igitur referretur, à ſeptimo milliario conſuetum ſonitum edidit, obviante populo, miraculi gratia. Propterea jure etiam ſacris ritibus Eccleſiarum *Campanæ* dedicari conſueverunt. *Incertus autor apud Surium, tomo 5. menſe Septembri.*

Quod ſuperſtitione non caret, *Gregorius* IX. Pp. *Campanas* ad Euchariſtiæ confectionem adhiberi juſſit. *Cranz. lib. 8. Saxon. cap. 9.* Et *Iohannes* XIIII. Pp. primus idololatrico cultu baptizatis *Campanis* nomina dedit, & Lateranenſis Eccleſiæ *Campanæ* ſuum communicavit: *Balæus, Centuriâ ſecundâ Scriptorum Britanniæ.*

Apertam inſuper redolet idololatriam, & ſacrilegas repræſentat ineptias, vis illa Satanam clangore abigendi, *Campanis* baptizatis collata. Vnde planum eſt, eos, qui fulmine Excommunicationis erant Satanæ traditi, *Campanarum* etiam uſu tinnituq; interdictos fuiſſe, quò Leoni in miſeros excluſos iſtos ferociendi major eſſet libido &c: Bonifac. VIII. *in C. alma mat.* § *adjecimus, de ſententia Excommunicationis.*

At *Maximilianus* I. Imp. Aug. publico edicto hujuſmodi profanationem blaſphemam ex Eccleſiæ ſacris, verbi divini præſcripto id ſic poſtulante, exturbavit. *Petr. Mart. in cap. 18. lib. 1. Reg.*

Fides denique penes autores ſit facilis, de illius *Campanulæ* virtute abdita, quæ *furta* & *mortem* non aliter atq; ſi animata res fuiſſet, prodere conſueverat. Tradunt enim Divo Medardo quendam furto ſurripuiſſe taurum, cujus collo *tintinnabulum* ſuſpenſum erat. Vbi domo in tuto fuit taurus, fur tintinnabulum abdidit, ne illius ſonitu furtum

proderetur. Mirum accidit; in cubiculo, in ſcrinio, in arca, ubiq; ſemper quibuſlibet latebris ſponte tintinnabulum ſuum edebat ſonum, admirantibús eam rem etiam vicinis, qui ſonitum animadverterent, abſque ullo alterius motu. Cum igitur nemini hominis furtum innotuiſſet, eâ re conſcientiæ ſtimulis exagitatus, rem amicis aperuit: quorum ſuaſu ad Medardum accedens, taurum reddidit, etiam veniâ impetratâ: Fortunatus Preſbyter *in vita S. Medardi apud Surium Tom. 3.*

Tradunt præterea in Budicenſi monaſterio Saxoniæ æneam quandam *Campanulam* extitiſſe, ſonoram quidem, & eo nomine prærevverenter aſſervatam, quæ, cum ex earum numero Sanctimonialis quæpiam è ſeculo migratura eſſet, præter ullum humanum opus auxiliumúe ſpontè ingentem reddebat ſonum. *Gobillinus Perſona in vita Sancti Meinulfi Diaconi. Surius tomo 5. Octobri.*

In χαλκηχωδικῇ Caſparis Hembergij Vezlarienſis, veluti deteſtabilis reijcitur uſurpatio *Campanarum*, adverſus tonitruum horribilem fragorem & nubium conflictationem. Phyſici, citra impietatis notam, ſuas ſervent rationes, ſonitu nubes diſſipandi, & tempeſtates diſcutiendi; de quibus in Parte II. de *Muſica profana &c.* Quin pulſui *Campanarum* non ſuperſtitiosè aſſuetæ Eccleſiæ, ingruente fulminis & fulguris periculo, pium ſpectent ſtudium eliciendi preces, quibus nubes tranſeuntibus, *Eccleſ. 35, 19.* ritè pulſanti certò aperietur, *Matth. 7. Luc. 11.* ubi lingua precantis non fuerit χαλκὸς ἠχῶν, ἢ κύμβαλον ἀλαλάζον, æs reſonans & Cymbalum tinniens, *1. Corinth. 13, v. 1.* h. e. ſonus ſine mente, quæ fidei in Deum, & caritatis erga proximum vacua, inani & obſtreperâ loquacitate ſonum edat, Deo non acceptum: veluti *Campana* alios ad cultum provocans, ſeipſam ad eundem, quem non intelligit, provocare neſcit.

Cæterùm memorabiles ſunt, quæ ob amplitudinem eximiam celebrantur *Campanæ, Parmenſis, Mediolanenſis, Lauretana,* & quæ per omnem Germaniam celeberrima eſt, *Erfordienſis,* de qua *Ortelius in Thuringia.*

Memo-

Memorabiliorem tradunt, qui orbem perlustrârunt, compertam in Orientalis Indiæ regno Pega, æneam *Campanam*, ambitu patentem ad palmos supra quadraginta quinque, diametro, septemdecim; quæ omnes, quæ in Europa sunt, *Campanas* amplitudine superare censetur. *Ferdinandus Mendez Iesuita, anno Domini 1554.*

Ad calcem annectatur mirum illud, quòd in AEthiopia non tantùm templa, sacella, altaria, scabella, januas, claustra, ac quicquid supernè infernè spectatur, uno è saxo excavetur, ut tradit *Franciscus Alvarez. rerum AEthiopicarum cap. 44. & 55:* Verùm etiam *Campanas*, quas nos ære conficimus, illi lapidibus excavari peragunt, quod præcipuè in Barra contingit, *Alvar. c. 29. & 44. Et Ortellius in Altissimis:* vixque ferreæ reperiuntur in Argote regione, *eodem autore cap. 52.*

Tantum de *Tintinnabulis*, in Veteri Testamento mysticè usurpatis; itemq; de *Nolis* & *Campanis* in recentiori Ecclesia; atque de harum signis cùm pio, tùm superstitioso, vel juxta opinionem mirando, & quasi divino modo adhibitis.

VSUM *Tintinnabulorum & Campanarum* horologicum, reservabit sibi Organica profana & politica sive Liberalis enarrandum.

XIII. CAPUT.

Transitio ad Instrumentalem Musicam, quæ in Novo Testamento à patribus asserta est.

THeoria, quæ Veteris Testamenti Instrumentis conspectis, cęperat etiam in recentioris seculi turribus & Templis Campanas contemplari, nunc porro sese convertit ad ἔργον ORGANICES MUSICAE, quæ in Ecclesia *Novi Testamenti*, Veterum etiam ætate, non fuit ignorata, nec inusitata. Quod etiam non tantùm humana voce; (*de quo in Tractatu Choralis Musicæ*) sed *Instrumentis* etiam *Musicis* Psalmos ac Hymnos modulati sunt Veteres; Eum, inquam, usum attestantur antiquissimum monumenta Scriptorum, qui cùm doctam discretionem Musices, tùm ejusdem

dem & privatam & publicam exercitationem, non aliunde quàm ex usu Ecclesiæ desumserunt, & introduxerunt. Namque accuratè distinguunt Patres inter *Psalmum*, *Canticum* seu *Oden*, *Hymnum*, *Canticum Psalmi*, *Psalmum Cantici*. Quæ differentiæ Carminum à modulatione sunt desumtæ.

Quod enim canit *Organon* & Instrumenti solùm Musici modulamine editur Carmen, à Veteribus appellatur PSALMuS.

Quod voce solùm humana canitur, & remoto Organo personat, alijs ODE PRACTICA, alijs CANTICuM, alijs HYMNuS dicitur, *(de quo in Leturgodia Matutina & Vespertina.)*

Quod verò carmen, voce *humana* ad Musicum *Organon* accedente concinitur, aliâs PSALMuS ODES vel CANTICI, aliâs ODE vel CANTICuM PSALMI, pro præcinendi vel succinendi modo vocatur. *Basilius Magnus in expositione Psalmi 29. ita recenset ac definit:* Ὁ ψαλμὸς λόγος ἐστὶ μουσικὸς, ὅταν εὐρύθμως κατὰ τοὺς ἁρμονικοὺς λόγους πρὸς τὸ ὄργανον κρούηται. h. e. PSALMuS est Oratio Musica, quando concinnè juxta rationes metricas ad *Instrumentum* pulsatur. ODES duas facit species, unam quidem *Theoricam*, alteram *Practicam*. Priorem ita definit: ΩΔΗ δέ ἐστι, ὅσα θεωρίας ἔχεται ψιλῆς, καὶ θεολογίας. id est: ODE est, quæ succinctam complectitur contemplationem, & de DEO sermonem. Quodcunque igitur siletur carmen, & compositione absoluta servatur, ODEN THEORICAM à Basilio dictum intelligimus.

PRACTICAM hoc definit modo: ΩΔΗ ἡ φωνὴ ἐμμελὴς ἀποδιδομένη ἀναρμονίως, χωρὶς τῆς συνηχήσεως τοῦ ὀργάνου: id est: ODE seu *Canticum* est vox concinna, ad numeros edita absque *Instrumenti* concentu. Cujus formulare, & primum Musices Canticum in gloriam & laudem sempiternam DEO liberatori ex AEgypto canit atque describit Moses, *Exod. 15.* his verbis: Tunc CECINIT (יָשִׁיר futurum pro præterito, LXX. *ᾖσαν*) Moses & filij Israël

ſraël *Canticum* (אֶת־הַשִּׁירָה LXX. τὴν ᾠδὴν) hoc Domino, & dixerunt ad dicendum; *Cantabo* (אָשִׁירָה LXX. ἄσαμεν) Domino, quia magnificando magnificatus eſt. Vnde latinum vocabulum *Gaudium* à גָּאָה. Deniq; ΨΑΛΜΟΝ ΩΔΗΣ, id eſt, PSALMuM CANTICI arbitramur, inquit, τὴν ἀκόλουθον πρᾶξιν τῇ θεωρίᾳ h. e quando Carmen, ad numeros compoſitum, adhibito Inſtrumento, viva voce concinitur.

Hæc in prologo Pſalmorum ita reddidit *Hilarius*: *Pſalmus* eſt, cum ceſſante voce, pulſus tantùm *Organi* concinentis auditur.

Canticum eſt, cum cantantium chorus libertate ſua utens, neq; in conſonum Organi aſtrictus obſequium, hymno canoræ tantùm vocis exultat.

Canticum autem *Pſalmi* eſt, cum Organo præcinente ſubſequens & æmula Organo vox Chori canentis auditur, modum Pſalterij modulis vocis imitata.

Pſalmus verò *Cantici* eſt, cum *Choro antecanente* humanæ cantationis hymnos, ars Organi conſonantis aptatur, vociſq; modulis præcinentis, pari Pſalterium ſuavitate modulatur.

Inde illud, ut placet quibuſdam Theologis, colligere licet, quod Hilarij & Baſilij Magni ætate, quâ hæc introducta diſcretio, non inuſitatum fuerit, ſuppreſſa voce, Inſtrumento Muſico Pſalmos & Hymnos in Eccleſia concinere; cùm hæc non aliunde, quàm ex uſu Eccleſiæ, potuerint depromi.

Atque ut Apoſtoli monitu, *Coloſſ. 3.* Verbum Domini habitaret inter eos copiosè in φιλοφροσύνῃ Conviviorum, privatis Pſalmodijs (*de quibus in Chorali Muſica*) *Inſtrumenta* quoque *Muſica* à Chriſtianis licitâ & piâ exercitatione fuiſſe addita & uſurpata, *Clemens Alexandrinus*, qui circa annum Chriſti 200. floruit, *lib. 2. Pædagog: cap. 4.* diſertè *memorat*: Et ſi ad *Lyram*, inquit, vel *Citharam* canere & pſallere noveris, nulla in te cadet reprehenſio, Hebræum juſtum Regem imitaberis, qui Deo eſt gratus & acceptus: Exultate juſti in Domino,

T

no, rectos decet laudatio (*dicit Propheta Psalm. 32.*) *Confitemini Domino in* CITHARA, *in* PSALTERIO DECACHORDO *ei psallite*.

Et, quam privatim adhibere licuit, *Instrumentalis* Musica publicis Ecclesiæ congressibus non fuit apud Veteres exclusa. Neque enim hîc obstat, quod scribit *Iustinus Martyr*, in quæstionibus ad Orthodoxos, *quæstione 107*. de Instrumentis Musicis, deque psallendi consuetudine hoc pacto: Cum ab infidelibus ad deceptionem inventa sint carmina, iis verò qui erant sub Lege injuncta fuerint propter mentis stoliditatem; cur illi, qui doctrinam perfectam gratiæ, & à moribus modò dictis alienam susceperunt, in Ecclesiis utuntur *Cantilenis* ad consuetudinem infantium sub Lege? *Respondet autem Iustinus*: Ipsum canere non simpliciter conveniens est iis qui erant sub lege, sed adhibitis Instrumentis canere & cum saltatione & crepitaculis. Proinde in Ecclesiis tollitur è Cantilenis usus talium Instrumentorum & aliorum, quæ stolidis conveniunt, & relictum est solum canere.

Nam licèt verba ista id quidem innuere ac inferre videantur, quod tum temporis in publicis Ecclesiæ congressibus *Instrumentalis Musica* non fuerit in usu: Tamen hoc de abrogatis crepitaculis & saltatione dictum, futilia tantummodo & ad lasciviam comparata Organa, qualia in Bacchi Orgiis usitata fuerunt; non omnia indiscretè Musicorum Instrumenta concernit.

Etenim Ecclesiam nec tunc quidem Organico concentu caruisse, ostendunt quæ subjungit Iustinus ibidem inter pulcherrimos fructus Psalmodiarum (ἡδύνει γὰρ ψαλμῳδία τὴν ψυχὴν &c:) hæc interserens verba: Ῥῆμα γὰρ ἐστι θεοῦ τὸ καὶ ἐνθυμούμενον καὶ ᾀδόμενον καὶ ἀνακρουόμενον. h. e. Nam Verbum Dei est, sive mente cogitetur, sive canatur, sive *pulsu edatur*.

Hîc evidenter a Iustino indicata est triplex ratio expromendi verbum. Una fit κατὰ τὴν ἐνθύμησιν, quando ratione concipitur, &

oratio-

oratione profertur; altera δι' ἀσμάτων, per cantilenas humana voce expressas: Tertia deniq; δι' ἀνάκρουσιν, per *Instrumentorum Musicorum impulsionem.* Hoc enim propriè ista vox denotat, & maximè præsenti in loco; cum illi *τὰ ἄσματα* Cantilenæ opponantur; nisi cæcam velis statuere partitionem, ab Autore institutam. Atque ita *Musicam Instrumentalem* non omnino rejectam, sed potiùs introductam & usitatam fuisse apud Veteres, ex Basilio, Hilario, Clemente Alexandrino & Iustino Martyre expresſè demonstratum est.

XIV. CAPUT.

De ORGANO Ecclesiastico nostri seculi.

AD hodierni denique seculi Organa Ecclesiastica directè decurrit instituta Musices Instrumentalis contemplatio.

ORGANO ὀργάνων, sive Instrumentorm Principi admirandam excellentiam, & venerandam autoritatem in Ecclesijs quæ concilient, plurima in structura ejus concurrunt. Nam certè plùs, quàm in reliquis Instrumentis, versata fuit Majorum industria, in *Organis* artificiosè condendis, & fundendis, non tantùm ex ærea, argentea, aurea, verùm etiam ex ejusmodi materia admirabili, quam Natura ad opus Organicum Arti negasse videtur. Id verò ubi & quando. vel quorum memoriâ olim factum sit, mox referetur.

Singulorum etiam membrorum, quæ ad integrum Organi corpus requiruntur, tam aptè & firmè disposita conspicitur constructio, ut præter id, quod nihil, tam ad externam speciem, quàm ad interiora & vivifica quasi viscera desit, etiam singulæ cicutarum imparium ad clavium harmonicum tactum, & Registrorum, ut vocant, tractum convenientem modò clariùs, modò pressiùs, perpetuo tamen & longè fortiori possint animari spiritu per follium sufflationem, quàm Instru-

menta ea, quæ humano anhelitu (qui ob fragilitatem, & respirationem inflantis crebro intermissus est) flatum hauriunt.

Quid, quod *Syrinx* illa multisona, genus Diatonicum & Chromaticum in se continens, plurium hominum choros, variasq; modulationes & voces pueriles virilesq; personante vento suaviter exhibeat, & sonos Instrumentorum omnium referat sola? seu Tympanum velis & Cymbalum, seu Cornua & Bombyces, seu Dolzainas, & Rackettas, ut vocant, seu Lituos & Sordunos, seu Tubas & Buccinas, seu Tibias & Transversas, seu Lyras & Violas; quæ cuncta aliaq; plurima artificiosissimum illud opus systematum dulcissimorum, quæ & pedibus & manibus reguntur, mirabili exprimit suavitate: ut qui solum hoc Instrumentum habet vel audit, audire & habere cætera cuncta videatur. Taceo, quod in ijs pulsandis, vel mediocriter eruditus, eximios aliorum Instrumentorum Magistros facile vicerit: quippe cui ad negotium capessendum manus pedesq; sunt instructi.

Etiam hac arte organica latiùs sese nullam effudisse scientiam certum est: siquidem humana industria eò progressa est, ut in summo hujus artis *Organicæ* gradu subsistat necesse sit, & vix aut ne vix quidem vel acutissimi ingenij apice solertissimo indagare audeat quid amplius, perfectius, artificiosius, quod in artificiosissimo, perfectissimo, amplissimo *Organi* opere adhuc desideretur.

Quod si ipse summus *Organi* artifex & excultor Regius Psaltes, quale hoc tempore ab excellentissimis extruitur Magistris, spectasset, auscultasset, contrectasset; non dubium est, quin ingenti affectus artificij stupore, ardentiq; accensus fervore Spiritus, hoc illis sui seculi laudatissimis longè anteposuisset *Organis*.

Quam excellentis etenim ac multisoni sit operis vivum divini *Organi* Instrumentum, ob oculos & aures conspiciendum & auscultandum statuit *Hieronymus Diruta Italus* in libelli sui Musici præfatione. Nec piguit hîc verba Autoris ex Italico Idiomate in latinum transferre.

Omnes artes (inquit) & scientiæ, quæ humana ratione & intelligentia percipiuntur ac cognoscuntur, per providentiæ divinæ profundam bonitatem, ad prin-

principale intelligens, quasi ad suum doctorem, se referunt, quod ob eminentiæ fastigium ab omnibus intelligitur & celebratur. Vnde est, cum absolutè in Philosophia mentio fit Philosophi, Aristoteles *intelligatur; in Medicina cum Medici,* Hippocrates; *In Poësi, ex Latinis* Virgilius *Poëtæ titulo decoratur, in Italico Idiomate* Petrarcha; *In Theologicis, cum absolutè Propheta citatur plerumque* David *intelligendus venit; & Apostoli nomine* Paulum *commendant. Siquidem jam dicti viri, quilibet in suo munere, omnes in eodem genere præclaros superavit; quapropter ob excellentiam nomen professionis, in qua excelluerunt, sibi soli vindicârunt.*

Quod olim etiam in arte Musica obtinuit, ubi titulus eminentiæ Orpheo *&* Amphioni *ascriptus est. Idem videre est hoc tempore in titulis* Instrumentorum musicorum *evenire, adeò ut illud ab excellentia* Organum *appelletur, quod omnia reliqua Chori Musici Organica quasi complexu suo continet, quandoquidem omnes eas qualitates includit, per quas genuina indoles & dignitas Musicæ, in sonorum & tonorum dulcedine agnoscatur. Propterea modo denominatum* Organum, *veluti* Rex omnium Instrumentorum, *quo majestas divina in congregatione fidelium celebrari & honore affici solet, meritò habetur.*

Eandem ob causam manus *in humano Corpore Organum aut Instrumentum Instrumentorum nominatur, scilicet ejusmodi Organum, quod in operando omnibus alijs munijs, quæ ad rem perficiendam requiruntur, officio suo praeest atq; succurrit.*

Vocem autem Organi *vera sua significatione ab omnibus non percipi, nullus dubito, qui hac opinione feruntur, hanc vocem tantum denotare* Organum pneumaticum, *quod in templis & Choro præter alias Voces in usu est, de quo in Psalmo extat 150:* Laudate Dominum in Citharis & Organo. *Quemadmodum verò* Testudo, Cithara, Lyra *&* reliqua Instrumenta, *quæ pennis concitantur, nomen* Instrumenti *assumunt, cùm qui arte ea contrectat, eum in finem facit, ut canendi & pulsandi artificium excolat: ita* Organum *summo in apice eminentiæ constitutum, suo complexu omnia* Instrumenta *quasi includit.*

Nobilitatis autem & excellentiæ decus præ reliquis canendi Instrumentis

meretur, quia ad vocem hominis, per Spiritus & manus opificium, quàm proximè accedit; fistulæ etiam, quæcunque ex materia fabrefactæ asperam arteriam hominis repræsentant, per quas Spiritus defertur, ac tonum atq; Vocem format. Quin ea re dici posset Organum *esse* artificiosum animal, *quod beneficio artis & manus hominis quasi loquatur, sonet & moduletur, hancq; ob causam tantis sumptibus exornatum in templis collocari, ut honori & laudibus tantùm destinatum vocibus ac tono, magnifica & admirabilia divinæ potentiæ opera concelebret.*

Non inconcinnè itaque ab excellentia denominatum Organum, *humano corpori, quod ad actiones perficiendas, ab anima animatur & dirigitur, assimilatur. Etenim ut tum demum summa cum delectatione ad se oculos allicit, cum dulci suo sono aures demulcet; ita etiam tum homo oculos aliorum in se convertit, cum suaviloquentia sua aures auditorum occupat, exprimens internam dispositionem & Spiritus effigiem, quæ Organi veluti anima est: porrò* folles *ad unguem* pulmones *referunt*; fistulę asperam arteriã; claviculæ *affabre* dentibus *conveniunt*; *qui verò* tonos *Organi arte efficit, est loco* linguę, *cùm* manuum *artificiosa agilitate efficit suavem consonantiam, quodammodo cum dulcedine loquitur.*

Propterea huic qui se studio dedit, omnem movere lapidem debet, ut exquisita diligentia ad exactam Organi pneumatici tractandi scientiam perveniat. Sin secus fiat, dignitas hujus præstantissimi Instrumenti *vilescet, ac perinde erit ac homo, toto quidem corpore venustus, sed blæsa balbutientiq; lingua præditus, quo modo cætera quoque deformantur.*

Cæterum ut pulchræ & affabrè pictæ imagines spectantium oculos alliciunt; ita suavitas dulcis harmoniæ tacitas cogitationes & recessus affectuum penetrat, audientium aures cum illabitur.

Quamobrem suo quasi merito in templis *sedem suam* Organum *occupat, ut ejus beneficio pia & devota pectora invitentur, ac dulci ejus resonantia ad laudes, quæ Deo optimo Max. decantantur, audiendas alliciantur.*

Atque certum est, inter omnia illa, quæ Instrumenti nomen merentur, primatum tenere Organum; *cùm omnem dulcedinem & suavitatem, quæ ex concentu reliquorum Instrumentorum conficitur, sibi soli vendicet, eumq; emi-*

nentiæ

nentiæ gradum consequatur, quod nullum sit canendi Organon in hisce terris, quo proprius sanctorum Angelorum suavis harmonia & cantus ad laudem Dei repræsentetur. Idipsum in Organo ad D. Petrum in Perusio expressum hoc versiculo: Hæc si contingunt terris, quæ gaudia cœlo? *quasi dicat: si in hisce terris ea est concentus & harmoniæ dulcedo, quantum gaudium & lætitia erit Angelici Chori & beatorum spirituum supernè in cœlestibus?*

Et hactenus ille.

Quis igitur non videt, quòd ex Instrumentis, solum hoc admirandum *Organon* (reliquis in usum humanum aptatis) publico Dei præconio, ac Religionis excolendæ attentioni devovendum, conservandumque jure optimo duxerit Ecclesia?

At, qui optandus esset sciri, *Autor* nostri tàm concinni *Organi* nusquam proditur, cum magna nominis ejus jactura. Id quod hisce *lib. 1. cap. 15.* & iterum sequentibus, *lib. 3. cap. 18.* valde conqueritur Polydorus: Multa, inquiens, novissimis temporibus Instrumenta Musica inventa sunt, quorum auctores jam in oblivionem venerunt; ex quibus propter suavitatem concentus, omni admiratione & laude digna sunt illa, quæ *Organa* nuncupant, valde quidem ab illis dissimilia, quæ DAVID Iudæorum Rex fecerat, quibus Levitæ sacros Hymnos concinerent, sicut nos his pariter canimus. Item alia id genus sunt, quæ *Monochordia, ClaviCymbala,* varieq; nominantur: eorum tamen æquè inventores, magno quidem gloriæ suæ damno, in nocte densissima delitescunt. *Hæc ex Polydoro.*

Quando autem *Organorum* usus in Ecclesia primùm receptus fuerit, discrepant annales.

Vitellianus Pp. Constantino III. regnante, cantum & *Naula,* quæ *Organa* appellant, in Templis instituisse legitur apud *Volat. lib. 22. Anno DCLIII.* Et *Polyd. lib. 6. cap. 2.* de Inventione, & *Crantz lib 2. Metrop.* referunt: *Vitalianus I. Pontif.* regulam Ecclesiasticam composuit, & cantum ordinavit, adhibitis ad consonantiam, (ut quidam volunt) *Organis.* Vel quod etiam Guil Perkinsus Anglicus Theologus Academiæ Cantabrigiensis, in problemate de Catholicismo consignavit, habuerunt

buerunt ortum *Instrumenta pneumatica* circa annum Domini DCLX. (*Platina in Vitaliano:*) vel anno DCCCXX. (*Aimonius de gestis Franc. lib.* 4. *cap.* 114.) Navarrus *in lib. de Oration. & Horis Canon. cap.* 16. ait, temporibus Aquinatis usum *Organorum* nondum receptum fuisse. Obijt autem Thomas de Aquino anno Christi 1274. supputante Chytræo.

Quo verò tempore & quorum memoriâ in Galliam & Germaniam introducta fuerint, & in Italia & alibi *Organa* admirandi artificij extiterint, ex fide dignis historiographis collustrare & colligere licet.

Aventinus in annalibus Boiorum *lib.* 3. annotavit, *Constantinum V I.* Copronymum, *Leonis* Filium, qui circa annum Domini 742, imperium Constantinopolit. tenuit, *Pipino* Regi Francorum, *Caroli Magni* Imperatoris patri per legatos, quorum princeps Stephanus Episcopus Rom. fuit, misisse Instrumentum Musicæ maximum, rem usque ad id tempus Germanis & Gallis incognitam, & ait, cicutis ex alto plumbo compactum, simulque follibus inflatum, manuumq; pedumque digitis pulsatum, *Organonq;* appellatum & primum in Francia visum fuisse. (*Lambert. Schafnab. eum Mariano Scoto l.* 3. *factum hoc, An.* 758. *annotavit.*)

Vnde liquet, genus id Musicæ Instrumentalis, quod hodie κατ' ἐξοχὴν ΟΡΓΑΝΙΚΗΝ nuncupamus, non usque adeo vetus esse in Gallicis, Germanicisq; Ecclesijs.

Vt autem fides habeatur & Aventino, qui tempore Pipini *Organa* incognita Gallis, & Platinæ, qui trecentis ante Pipinum annis à Vitaliano *Organa* templis imposita esse asserit; tenendum est, quod Platina intelligere videatur informe illud Instrumentum Musicum, cujus quindecim Cicutæ inflabantur, vento duodecim Sufflatorijs emisso; cujusmodi Hierosolymis in Oliveto ad tonitru sonitum crepabat: vel, quod innuat *Instrumentum Hydraulicum* antiquissimum, *Organon* nomine peculiariter appellatum: *Vitruvius lib.* 10. *A chitect. cap.* 13.)

Quamvis autem externa forma parum differant, ita tamen inter sese *discernenda* sunt *Hydraulicum* & *Organum* nostrum. *Illius* quippe corpus unà cum Cicutis ex ære fusum unico Cicutarum ordine constabat.

bat, & ſonum per aquam infuſam diverſimodè reddebat. *Hujus* verò corpus ex ligno compactum receptaculis plurimos Cicutarum ordines continet, & ſonum flatu follibus immiſſo diſpargit antico, poſtico, pectorali, laterali, & pedali, ceu vocant & diſtinguunt Corpora; Clavium item ordine vel duplici, vel triplici, vel quadruplici digitis pedibusq; tacto.

Venetijs Leander, referente quoque Majolo, *colloq. 23.* valdè ſonora *ex Vitro* confecta *Organa* ſeſe vidiſſe teſtatur. Sed & ex *Alabaſtride* lapide non modò *Organa* ipſa, verùm etiam tactilia omnia, unde Organa vim ſpiritumq; ſuſcipiunt, conficta viſa ſunt. Neapolitanus etenim artifex cum ea conſtruxiſſet, magnumq; in modum ſonora reddidiſſet, ad *Federicum* Mantuæ Ducem detulit, donoq; obtulit: ſeſe opus illud valde mirandum ſpectaſſe affirmat Leander in Thuſcia, quandoquidem lapis ejuſmodi in Volaterrano agro naſcitur.

Auctores novarum rerum in Muſicis fuêre inter Chriſtianos memorabiles.

Georgius Sacerdos Venetijs oriundus, à Baldrico, comite Pannoniæ Ludovico Pio commendatus Muſicæ Hydraulicum Inſtrumentum, quod *Organon* vocant, ad Aquas Graneas conflavit: (*Aimonius lib. 4. cap. 113. de Francis. Aventinus lib. 4. Annalium.*

Gilbertus, Rhemenſis præſul, qui poſtea *Silveſter* Secundus nuncupatus eſt, Romanus Pontifex, *Organa* ſuæ ſummæ Mathematices beneficio conſtruxit, quæ calefactæ aquæ violentiâ modulatos emittebant ſonos; anno Domini 997. ut Erfordienſis & Genebrandus teſtantur.

Quid quod *Boethius* ille Martyr, ſimul Mathematicus, Philoſophus, inſignisq; Poëta *Chiterini* Muſici inſtrumenti inventor traditur? ut Bergomas & Genebrandus recolunt, anno Domini 515.

Et, quod omittendum non erat, *Sabellicus l. 8. Enn. 10.* refert, circa an. ſal. 1470. Venetijs fuiſſe virum, in Muſica arte prꝯſtantiſſimum, *Bernardum*, cognomento *Teutonem*, argumento gentis, in qua ortus eſſet: qui *Primus* ibi in *Organis* auxerit numeros, ut & *Pedes* quoque juvarent concentum, funiculorum attractu.

Atqui utrum in Græcis, Italicis, Asiaticis, Aphricanis Ecclesijs antiquius sit *Organon*, sic dictum κατ' ἐξοχὴν; affirmari ac certò sciri vix potest.

XV. CAPUT.

Epilogus παραινετικὸς *sive Exhortatorius ad Musicæ fautores, & artifices, pro Organis in Ecclesia non abolendis, sed piè asservandis, & in Dei cultum ritè exercendis.*

AD extremum, ut ἐπίλογος non ματαιόλογος, sed χρηστόλογος, non cum vaniloquentiâ, sed cum utilitate disertâ conjunctus adsciscatur; quam præter Biblia fide digni Theologi veteres & recentiores, alijq; Antiquitatis scriptores commonstrarunt, & suppeditarunt, *Theoriâ Organices* hac qualicunq; benevolè fruatur quisque optimus Organicæ Musices fautor & amator, sive is arte & scientia Organorum destitutus, sive instructus fuerit.

Si quis enim arte pulsandi *Citharas* & inflandi *Tubas* aut *Buccinas* destituitur, ille corde ac spiritu canat, ut Paulus jubet *Ephes. 5.* & Regula Theodoreti monet: Efficiamus, dicentis, nos nostra corpora *Citharas*, rationis compotes, & utamur pro *Chordis* quidem *dentibus*, & pro *are labijs*: *Lingua* verò agitata concinnum pulset *sonum*; mens autem linguam moveat. Hæc *Cithara* gratior est Deo, quàm illa, quæ animâ caret, & quando fides sine fide pulsantur; sicut ipse testis est ad Iudæos, per Vatem exclamans: Averte à me sonum concionum tuarum, & vocem *Organorum* tuorum non audiam, *Amos 5.*

Quicunq; verò Instrumentis canendi studio deditus fuerit, quod *Organicinis* officium est, laudi ac honori *Musices Organicæ* ex animo faveat & cupiat, ut tam in ædibus privatis honestè, quam in æde sacra piè occupetur & exerceatur.

Etenim honestis quoq; convivijs & colloquijs non invidet Deus lætitiam oblectandi, cùm *naturali*, tùm *artificiali* & *Instrumentali Musica*, modò

modò in Domino fiat, *Psal. 33, v. 1.* Id quod & superiùs de usu Instrumentorum in Convivijs demonstratum est. Sicut enim Carbunculus fulget in auro fabrefacto; Ita Carmina ornant Symposion, *Syr. 32.* Atq; vinum & Musica exhilarant cor, *Syr. 41.* præsertim ubi hilaritatem ferunt tempora lætiora, quibus locum habet Paulinum: Gaudete cum gaudentibus, *Rom. 12.* & *Ecclesiastæ* illud. In die bona fruere bonis. *Eccles. cap. 7.*

Maximè autem danda est opera, ut, quæ nonnulli amoliri & Templis extrudere non erubescunt μισόμουσοι & ἄμουσοι *Organa*, ad Ecclesię devotionem publicam posita retineantur, & ritè usurpentur.

Quanquam enim quibusdam harmonica ea Musica reijcitur, tanquam confragosa, qua ita detineantur astantes, ut verba percipere non queant; & quæ saltem delectet, aures titillet, & inanibus sonis mulceat: *P. Mar. class. 3. cap. 15. B. Coll. Maul.:* Negari tamen non potest, quòd veluti clangore *Buccinæ* ad arma animantur milites, ita in Ecclesiæ hîc militantis congressu, & spirituali militia, ipsa vocum varietas, & *Organorum harmonia* pias mentes vehementer exstimulet, ad serias preces & gratiarum actionem. Neque frustra ipse Spiritus Sanctus Instrumentali concentu utitur, quando Citharæ Davidis malignus Spiritus in Saule cessit. *1. Samuel. 16.* Et Elisæus, vocatus à Ioramo & Iosaphato Regibus, ut de eventu belli contra Moabitas vaticinaretur, Psalten, qui Instrumentum Musicum pulsaret, accersivit, quo insonante Spiritus Sancti numine & instinctu repletus est: *2. Reg. 3.* Et quod Deus in sui nominis cultum, *Instrumentalem Musicam* potiùs ambiat, quàm renuat, attestantur plures numero *Psalmi 33. 98. 144. 149. 150. &c:*

Ac tametsi ceremoniæ Levitarum & Cantuum abrogatæ sunt: nihilominus *Organorum* clangor, & elegans *Instrumentorum concentus*, qui in Veteri erat mandatus, in Novo Testamento, quippe ἀδιάφορος, qui nec mandatur nec prohibetur, Christianis concessus est, tanquam res, quæ pertinet ad externam εὐσχημοσύνην & σωματικὴν γυμνασίαν, *1. Corinth. 14. 1. Tim. 4.*

Id autem præcipuè ſpectandum & obſervandum *Organicis Muſicis*, ut eò intendant nervos, quò Muſica *Chordis* ſonans *non ſine corde* conſonet, vel, út Theodoreti verbis utar, fides ſine fide non pulſentur. Vanum enim eſt, *fides* intendere, & *fidem* remittere. Tunc ſonant fides in auribus Dei, cum clamat fides in cordibus noſtris. Quomodo autem fides eſſe poterit in animis, niſi fidei inſtitutionem perceperimus auribus? Ex auditu enim fides eſt, *Rom. 10.* Vt igitur fides formetur intus in pectore, & fides rectè tangatur plectro, Pſalterij Davidici & Inſtrumentorum uſum, tam literalem, quàm myſticum omnes ſupplicationum & divinarum laudum amatores contemplentur, meditentur, ſectentur. Pulſate & aperietur vobis, inquit Chriſtus, *Matth. 10.* Pulſandum omnino eſt *Davidis Citharâ, Davidis plectro*; quod fit, quando LAUDAMUS Dominum in ſono Tubæ, Deum CELEBRAMUS in Pſalterio, LAUDAMUS in Tympano & Choro, in Chordis & Organo, LAUDAMUS in Cymbalis bene ſonantibus, LAUDAMUS in Cymbalis jubilationis.

Crebra certè repetitio ejuſdem exhortationis ad laudandum Dominum, & tot Inſtrumentorum conjunctorum coacervatio in tot Pſalmis, quid aliud vult, quàm ne ſegniter & oſcitanter, ſed alacriter, ardenterq; ſpe & fiduciâ Majeſtatem Chriſti celebremus? Et D. Paulus nos vult eſſe πνεύματι ζέοντας, fervere Spiritu, *Rom. 12:* Idq; non ſaltem animo & viva voce, ſed etiam *Inſtrumentis Muſicis* declarandum eſt. Atque ut Domino & in conſpectu Domini, *Pſal. 98.* rectè canatur, cum *voce* & *Inſtrumentis*, Fidei quoque bonorumque operum conjuncta ſit harmonia. Cùm enim Paulus *1. Corinth. 13*, omnia alia præclara opera *æri ſonanti* & Cymbalo tinnienti comparet, ſi charitate & dilectione proximi careant, meminerimus, Chriſtianis *Tubam* ingenuæ confeſſionis, *Nablum* & *Citharam*, *Tympanum* & *Pſalterium* fraternæ dilectionis inprimis commendari.

Proinde, quod reſtat, junctis votis impetrandum eſt, ut quæ ipsâ carent animâ, animas pias animent, & moveant ORGANA, per apicem

picem devotæ fidei ἔντονα καὶ σύμφωνα, atque acri & ſuavi intenſione & ſono aures penetrent, mentes afficiant, & cum fide vitæ harmoniam excitent.

Ideoque precibus clemens annuat vivificator ille DIGITUS DEI, Spiritus Patris, Chriſtiq; noſtri; is noſtras cum DIGITIS MANUS PEDESQUE, SENSUS, MENTESQUE, & cum CHORDIS CORDA, cumq; FIDIBUS FIDEM vitamque, donec Angelorum Choro cœleſti inſeramur, hîc benignè regat ac dirigat, agitet ac vegetet, in lætitiam Sioniæ Eccleſiæ ſalutiferam, atq; in gloriam Nominis ac Numinis TRINUNIUS æviternam, AMEN.

PRÆTERMISSA

Ad cap. IV. Membri Primi, de Psalmodia.

Quando supra de Hebræorum accentibus egimus, strictiùs eam rem attigimus: ne tamen & curiosiori deessem, fusiùs hæc ex MUNSTERO, AVENARIO & SCHINDLERO collecta (qui pluribus & ex professo hoc agunt) hic subnectere quasi corollarij vice placuit.

Et sanè accuratam olim Iudæis fuisse Melodiæ *observationem, etiam in lectione & pronunciatione textus Biblici, indicat cùm accentuum Grammatici, Rhetorici & Musici doctrina, tùm quorundam accentuum nomina & notationes. Quandoquidem enim Musicâ modulatione solent Iudæi lectiones Bibliorum sabbathinas secundum multiplices formas accentuum in Synagogis cantillare, Musicus accentus inde* נְגִינָה Modulatio *sive* Melodia *vocatur, Græco vocabulo* Tropus: *Vtuntur enim eo pro Notulis cantionum suarum.*

Et scitè Grammaticus *accentus dicitur* טַעַם *Taam,* Gustus, *qui lectionem, vel cujuslibet dictionis prolationem, reddit suaviorem, acuendo syllabas, & sapidiorem, distinguendo dictiones ab alijs, quò vox sonet eminentior.*

Rhetoricus *verò alius dicitur vel* מֶתֶג *Meteg,* Retinaculum *sive* Frenum; *seu* רֶסֶן *id est,* capistrum. *Nam ut Equus freno & capistro dirigitur & retinetur ingressu suo; ita quoq; retinet Lectorem virgula recta descendens, sinistram versus apposita puncto vocali, cujus pronunciationem instar freni remoratur, ne præcipitet syllabas in dictione. Alius vocatur* מַקַּף *Maccaph,* Connexio, *videlicet virgula supernè interposita duabus dictionibus, quas ita connectit, ut efferantur uno accentu quasi composita.*

Grammatici accentus *non habent aliquam propriam figuram vel signum in Biblijs, sed eorum loco successerunt* Accentus Musici. *Vnde ubicunq; in dictione videres syllabam aliquam Tropo Musico signatam, ibi Grammaticum accentum scias habere locum. Et satis quidem esset, si ille solâ erectâ virgulâ infra vel supra signatâ exprimeretur, nisi Musicorũ cantillatio accessisset.*

Præter alios autem accentus, qui versus vel periodi vel finem, vel cum respiratione Colon, vel Commata notant, plurimæ accentuum species à vocis varietate, quam signant, denominationem sortitæ sunt:

Hinc ex REGIBUS *nominantur.*

טִפְחָא *Tiphcha,* Palma *sive palma similis; vel* טַרְחָא *Tarcha,* Labor; *id est voce defessa & submissa canendus.*

זַרְקָא *Zarka*, Sparsor, *seu voce sparsa canendus.*

גֶּרֶשׁ *Geresch*, Expulsio, *seu impulsa voce cantandus.*

פַּשְׁטָא *Pasta*, Extensio, *seu extensa voce canendus.*

פָּזֵר קָטֹן *Pazer Katon*, Dispersor parvus, *seu sparsa ac tremula voce canendus.*

פָּזֵר גָּדוֹל *Pazer gadol*, Dispersor magnus, *quia geminus est.*

Ex MINISTRIS:

מֵירְכָא *Mercha*, Productio, *seu producta voce canendus: & Mercha Cephula* כְּפוּלָה *sive* geminum.

מְכַרְבֵּל *Mecharbel*, Involutor vocis.

עִלּוּי *Illui*, Exaltatus, *seu altiori voce canendus.*

Qua autem figura, & quibus in syllabis ac locis scribantur hi & alij accentus, cùm ex Grammaticis addiscendum, tùm ex Bibliorum Typis Hebrais observandum est. Musicus *itaque* accentuum usus *in eo consistit, quòd Iudai in Synagogis suis juxta illos, tanquam Musicas intervallorum Notas, cantillant Lectiones Mosis & Prophetarum sabbathinas: Et propter Harmonia varietatem etiam varia & multiplices sunt Accentuum Hebræorum figura, ut qualibet dictio sicut Melodiam ita & accentum peculiarem habeat.*

Ac licet cum Poësi Iudæorum etiam Musica interciderit: notandum tamen, triginta accentus duntaxat in 21. Biblicis libris inveniri; in Iob vero, Proverbijs & Psalterio non omnes inveniuntur, ob versiculorum brevitatem.

Quo autem autore *cum officijs accentuum, & figurarum numerus multiplicatus sit, incertum est; nisi quod multi putant, puncta vocalia & notulas accentuum ab eisdem Magistris inventa. Elias enim (qui putat Biblia distincta fuisse accentibus, antequam puncta vocalia accesserunt) totum hoc negocium, cum antea, Cabalistis testibus, tota lex quasi* Paiuc *seu sententia una esset & omnia sine versuum distinctione, cohærerent, tribuit* Iudæis Tiberitis, *qui dicti sunt* בַּעֲלֵי הַמָּסוֹרֶת Magistri *Masoreth h. e.* Traditionis, *& habitabant in* Moësia Paphlagoniæ, *ijdem omnia castigata in Biblicum etiam redegerunt corpus, & surrexerunt anno post destructum templum secundum 436. qui est annus Christi 476.*

Et hæc de accentibus Hebræorum hoc loco sufficiant.

SYNTAGMATIS MUSICI

TOMO PRIMO.

Conjuncta

PARS ALTERA:

videlicet,

HISTORIA

De

MUSICA extra ECCLESIAM,

Quæ

Profana, Liberalis, Ingenua, Humana, Genialis, &c. dici poteſt.

DUOBUS MEMBRIS COMPREHENSA:

QUORUM

PRIUS

DE VOCALI MUSICA, atque generaliore Muſices cognitione, quæ tàm Vocali, quàm Inſtrumentali ferè Communis:

POSTERIUS

DE MUSICA INSTRUMENTALI, ſive Polyorganodiâ.

VIRIS

GENEROSIS MAGNIFICIS

NOBILISSIMIS AMPLISSIMIS

DNN.

SAXONICÆ Electoralis } *Aulæ*
BRUNSVICENSIS Ducalis }

Secretioribus alijsq; Consiliarijs Universis & singulis,

Mæcenatibus Musicæ sincerissimis.

Hanc Partem Alteram Syntagmatis Musici,
Tomum Primum continuantem,

fido animo
serio voto
grato studio

destinat
consecrat
dedicat

Michaël Prætorius C.

GENEROSI, MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI VIRI, MOECENATES devotè colendi.

AUreolum eſt & cedro dignum, quod θεοδίδακτος ille gentium Doctor à nobis exigit 1. Theſſ. 4, 11, quando præcipit, quemq; ἡσυχάζειν καὶ πράττειν τὰ ἴδια, id eſt, quieſcere vel agere res proprias. Opponit invicem Quieſcere & Agere: illud in alienis obſervari vult, hoc in proprijs.

Idem ferè videtur innuere πολυθρύλλητον illud, ἀνέχου καὶ ἀπέχου: Suſtinere quippe propria concernit, Abſtinere aliena. In illis vult Tolerantiam & aſsiduitatem; in his Abſtinentiam & tranquillitatem.

Propria agere Juſtitiæ eſt, quæ à Platone vinculum humanæ ſocietatis, & anima rerum publ. audit, conſiſtitq; ἐν τῷ τὰ αὑτοῦ πράττειν, καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν, in eo videlicet, ut quisq;, quod ſui officij eſt, faciat, & aliena ne appetat. lib. 4. de repub. Nimirum in omni republica, velut in domo quadam perampla multa ſunt, eáq; diverſa officia, quæ ut non uni omnia, ita nec cuivis quodvis demandari, & quaſi per ſortem diſtribui debet, ſed pro natura, ingenio & induſtria, alijs atq;

alijs hæc illáve danda & commendanda ſunt. Commiſſum munus quilibet, quâ poteſt, & par eſt, diligẽtiâ obire debet, & intra ejusdem carceres ſe continere, de alijs neutiquam ſollicitus, multò minùs ijs ſeſe immiſcens. Quod ſi fiat, ſemotis procul turbationum fluctibus & factionum procellis, Resp. in tuto navigat, & ad portum pertingit quàm proſperrimè.

Aliena mittere, Sapientiæ eſt. Sic enim Rex ille omnium, qui ſunt, qui fuerunt, quiq; futuri ſunt, mortalium ſapientiſsimus Salomon, in libro ſuo, quem Egeſippus & Irenæus πανάϱετον σοφίας nuncupant, inquit cap. 12, v. 11.

וּמְרַדֵּף רֵיקִים חֲסַר לֵב

juxta interpretationem LXX.

οἱ δὲ διώκοντες μάταια, ἐνδεεῖς φρενῶν:

vel ut Symmachus tranſtulit:

ὁ δὲ ἐπισπεύδων εἰς ἀπραγίαν.

Aquil. & Theod: *εἰς κενά.*

vulg. Qui ſectatur otium, ſtultiſsimus eſt.

Lutherus ad Hebræam veritatem, cum Græcis Interpretibus reddidit:

Wer vnnötigen Sachen nachgehet / der iſt ein Narr.

Hac Parœmia Theologus, linguarum non ignarus, reprehendi attendit vacuitates, רֵיקִים, vel ut Græca habet verſio, Vanitates; Germanica, **Vnnötige Sachen.**

Quo nomine non tantum comprehenduntur & reprehendũtur; 1. *ἀτεχνία*, Inertia, quãdo vitæ artis expers & laborib.

vacua transſigitur turpi otio: 2. Item *Ματαιοτεχνία*, quæ Quintiliano lib. 2. cap. 21. ſupervacua artis imitatio eſt: 3. nec non *περιεργία*, quæ, quod ſeriò tractandum eſt, levi brachio tranſilit, & è diverſo ei, quod perfunctoriè agendũ erat, immoratur: quam perverſitatem Clemens Alexandrinus lib. 5. ſtromat. & Athenæus lib. 5. c. 1. diſticho Agathonis accuſant ejuſmodi:

Τὰ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα;
τὸ δ᾽ ἔργον, ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα.

Talemq; diligentiam improbat Nazianzenus his verſibus:

ἔργον πάρεργον οὐδαμῶς ἔργον λέγω,
τῶν γὰρ παρέργον δὴ καταφρονητέον.
Laborem non neceſſarium nequaquam laborem voco,
Nam non neceſſaria negligenda ſunt.

Verumetiam ſub vanitatis & vacuitatis nomine *φρενήσεως* & inſipientiæ damnat omnem *ἀλλοτριοπραγμοσύνην* & *πολυπραγμοσύνην*. Eſt autem *ἀλλοτριοπραγμοσύνη*, ſe alienis immiſcens, propriis neglectis, Temeritas; *πολυπραγμοσύνη* autem ad multas res aggreſsio, earumq; omnium actio, quod vitii nomen fœdiſsimi elegantiſsimè exponit Gellius lib. 11. cap. 16. Eam in rebus Curioſitatem ex Plutarchi Pericle *καινοπραγίαν*, & cum eodem *πολυπραγμ. πλῆθος πραγμάτων καὶ καινότητας καὶ μεταβολὰς* nominare licet: quoties delicatuli, ſucceſſu rerum ſuarum deſperato, artem conſuetam deſerentes, inſueta inexpertaq; negotia aggrediuntur, quorum multitudine obruti, ex alio ad aliud vitæ genus, ſubinde mutatum, levi & inconſidera-

to pede transiliunt infelicissimè, ut Salomonis margini asscriptum innuit Lutheri proverbium Germanicum: **Vierzehn Handwerck/ funfftzehn Vnglück.**

Vulgò fertur hic versus, vero non absonus:

Τῆς πολυπραγμοσύνης ȣ̓δὲν κενεώτερον ἄλλο:
Nil curiositate vanius extitit.

Et dignum notatu grave illud Tetrastichon, quo tragicum vitæ exitum finiit ille in Borussia:

Quid juvat innumeros mundi cognoscere casus
Si fugienda facis, si facienda fugis?
Disce meo exemplo mandato munere fungi.
Et fuge ceu pestem τὴν πολυπραγμοσύνην.

Hæc & hujusmodi alia ego etiam in ista mea tenuitate perpendens, Mœcenates colendi, cùm ante aliquot annos præter spem & expectationem Choro aulico *dirigendo* à Reverendissimo & Illustrissimo Principe ac Domino Dn. *HENRICO JULIO* Episcop. Halberst. & Ducæ Brunsv. & Luneburg. Domino meo olim clementissimo, laudatæ ac beatæ recordationis, ex clementia singulari præfectus essem; in hanc curam mihi incumbendum esse duxi, ut Musicam, officii demandati partem potissimam, respicerem, eamq;, quâ possem fide & diligentia, in scholarum & Ecclesiarum emolumentum, excolerem exornaremq;. Quare à Pietate exorsus non tantùm Divi Lutheri & aliorum cantiones germanicas, item Leiturgiæ Ecclesiasticæ Latinas, ex chorali harmonicè concinnavi; verùm etiam sano optimorum amicorum instinctu studium & conatum suscipere non dubitavi, ex autoribus cùm vetustioribus, tùm recentioribus eruendi con-

ſtruendiq; *Syntagma muſicum* quo Eccleſiaſticæ & Ethnicæ, ſacræ & profanæ, vocalis & inſtrumentalis Muſicæ, rationem & uſum proponerem, atq; in theatrum literarium exponerẽ.

Utinam verò ſtudio nunquam interrupto meis mihi perlitare Muſis licuiſſet, multò profectò limatius hoc præſens, multò expeditus cætera, multò cumulatiùs plura prodiiſſent in publicum *Opera* Muſica. At verò, quia perinvito (veritatem teſtor) animo ad alias quoq; functiones aulicas pertractus fui, non potui, quin cognatorum & amicorum quorundam operam adhibere adminiculantem & ſubſidiariam mihi ſũmſerim. Ita videlicet diſtrictum me habuerunt itinerũ difficultates, ſupplicum efferendæ quærelæ, fluctuantes pauperum cauſæ, literæ exarandæ, moleſtiæ domi natæ, valetudo corporis adverſa, cùm id genus aliis: Ita, inquam, æquitatis amor, afflictorum commiſeratio, Chriſtiana Charitas, à multis capitis, à multis famæ, à multis deniq; fortunæ diſcrimen abigere me compulit. Quis miretur, ſi à ſtudio Muſico vel dudũ excidiſſem? Nihilominus cum ſacroſanctâ Muſicâ nil prius mihi ſit aut antiquius, eã excolere pro virili & exornare, quoad ejus licuit, alloboravi quàm ſtudioſiſsimè. Quodipſum præter alia Muſices opera plurima, aſpirante gratia Divina & accedente Spiritus Sancti auxilio, à me pro ingenii mei tenuitate quondam nata, & juris uſuſq; publici facta, hoc etiam teſtatum reddet Syntagma Muſicum.

Poſteaquam enim Syntagmatis iſtius tomum primum incepi, præmiſsâ primâ parte de *Muſica ſacra ſive Eccleſiaſtica*, quam *Pſalmodia*, *Miſſodia Leiturgodia*, *Organodia* abſolvit, nunc eundem conficiendum

duxi

duxi hac secunda ex Antiquitatis monumentis asserta Parte; quæ continet Historiam, cùm de Musica veterum Ethnica, tum Politica, in usu & lusu extra Ecclesiæ limites ingenuo & liberali: Cujus partis duo sunt distincta membra, quorum prius de Musica vocali & generaliori Musices cognitione, atque usus frequentatione tàm vocali, quàm instrumentali ferè communi; posterius de Musica veterum organica & Instrumentis agit.

Nullus autem puto, me ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα (quod dicitur) πηδᾶν, limitem transilire, aut falcem in alienam messem immittere si Musicé, etiã extra Ecclesiã apud Ethnicos, in Deorum gentilium cultibus, & sacrificiorũ ritibus, conviviorumq; & humanitatis societatibus receptã & usurpatã, ex testimoniis Antiquitatis, Philosophorũ, Poëtarũ, ac Philologorũ, in prosceniũ publicũ produxero. Plurimum inde lucis hodiernæ afferetur Musicæ, non tãtum Ecclesiasticæ, quæ illam idololatricam piè & sanctè abominatur, & majestate sua πολλοῖς παρασάγγαις post se relinquit: sed etiam Politicæ liberaliori, quæ illam licitè & honeste imitatur, jucundá gravitate, graviq; jucunditate ei vix ac ne vix quidem cedit.

Illud ipsum Opusculum, Generosi, Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi Viri, Mæcenates plurimùm colendi, vestrarum nominum auspicio spectabili in lucem prodire adeoq; vestræ omnium Autoritati clarissimæ humiliter dedicare & consecrare, videlicet debui, ita volui; mihi persuasissimum habens, me sub patrocinio & tutela V.V. &c. M.M. adversus quorumvis obstrigillatorum impetus tutum fore, omnesq; eorum virulentos morsus facilè evitaturum.

Nec V.V.M.M.&c. dedecori erit Musices patrocinium suscepisse. Quamvis enim ea ferè voluptatibus tantummodo inserviat,& propterea à σκυθρώποις quibusdam Scythis, quibus hinnitus equorum;& cur non rudentis sibilus pecoris Arcadici,quavis harmonica modulatione dulcior est, in nullo habeatur precio,attamen Vosmetipsos,Viri Generosi,Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi, Vos, inquam, hac προσφωνήσει modestâ in testimonium voco,certus equidem Vestrum neminem inficias iturum;sed fassuros omnes: *Vitam humanam voluptatibus carere non posse.* Quæ enim hæc vita esset,quæ,omni oblectamento omniq; lœtitiâ destitutâ, in perpetuâ degeretur anxietate & tristitia? Quo fit, cùm ad voluptates feramur omnes; honestas autem sinceras & tempestivas pauci intelligant, ut inconcessas, turpes & intempestivas pleriq; persequentes, in flagitijs & sceleribus vitam omnem miserrimè transigant, & tamen interea nunquam in solidis sint gaudijs Xerxes Persarũ Rex præmium fertur proposuisse ijs,qui novum aliquod excogitassent Voluptatis genus. O miserum illum, ô infelicem Regem, qui in opibus tantis,& tanta rerum omnium copia & abundantia non reperiebat,quo se oblectare posset, sed per totum suum regnũ, quod erat amplissimum, per totam Asiam omnium deliciarum feracissimam, fugientes persequebatur voluptates Quod Xerxi dare non poterat quicquid in terrarum orbe jucundum & amœnum vel ad fruendum,vel ad spectandum erat;id nobis largissimè præbet Musicæ voluptas,pariter & suavitas,quâ sive magistrâ,sive ministrâ, nunquam molestia no-

bis aut tœdium ullum obrepere, quin potiùs gaudium honestissimũ inde redundare & resilire nullo non tempore potest.

In Ecclesiâ quàm suaviter demulceat mentẽ verè devotã, quanto spiritus vigore cor animet, soletur, roboret, quãtosq; pietatis affectus moveat, Syntagmatis Musici διάνοια de Psalmodia; ὑπομνήματα de Missodia, ἐξήγημα de Leiturgodia, θεωρία de Instrumentis, satis (ita nullus ambigo) demonstrãt.

In societate civili, & vita privata quos cieat animi simul ac corporis motus, quàm vegetè relaxet restauretq; vires, gravioribus prostratas negotijs, & quàm varios secum domi militiæq; trahat affectus & effectus ingenua Musica demonstrabit, opinor, Musica Syntagmatis hæc pars altera. Ecquid enim jucundius veterum Sacrificia, Convivia, Funera & Studia, cantu musico & organis instructa, aspectare coràm; & velut impræsentiarum auscultare?

Quocirca hujus Partis nuncupationẽ non alijs magis convenire arbitratus fui, quàm Vobis, Musices Fautores & Censores æquissimi; quos certum est, quoties post arduas Principum occupationes, & grandia consiliorũ mométa delassatos animos sentiatis, musicis chordis, instrumentis sonoris, & vocibus decoris, pectora permulcere adeoq; seria animi cogitata humanioris Musices jucũditate attemperare, id quod Philosophi, Oratores & Poëtæ se fecisse contestantur.

Μεταβολὴ πάντων γλυκύ, inquit ille. Et cùm homo ad negotium sit natus, otio voluptatis licitæ, ceu medicamento, utitur, ut ita vicissitudine quietis ad consueta munia alacrior revertatur. Hinc tota hominis vita, si Aristoteli in 7. polit. credimus, in πόνον καὶ ἀνάπαυσιν dividitur: Latini vocant Nego-

gotium

gotium & Otium, sive intermissionē. Necessariò proinde in viris occupatis requirit præcedens πόνος & exercitatio suam ἀνάπαυσιν & quietem, veluti paratissimū laboris condimentum. Sic in corporis motu statio sessionis quies est, stationis decubitus, decubitus deambulatio. Et quemadmodū in longis peregrinationibus planiciem minùs odiosam montis facit acclivitas, & collium asperitatē subjectæ valles minuunt: Ita labores in quocunq; disciplinæ genere præter alia studia practica refocillare Musica solet: quemadmodū in hac Syntagmatis parte pleniùs suo loco cōmonstrant exempla Poëtarū, Oratorū, Philosophorum & aliorū, in vita tàm togata, quàm bellica. Eos ipsos, Colendi Mœcenates, æmulo Musices amore licitè & honestè sectamini, quotiescunq; res arduas & serias harmoniæ Nectare & Ambrosia suaviter dulcoratis, & gnaviter graviterq; attemperatis, Musica non ut cibo, sed ut obsonio utentes.

Proinde cùm Pindari illud verum sit: ὅσσα δὲ μὴ πεφίληκε ζεὺς, ἀτύζονται βοὰν πιερίδων ἀΐοντα, id est, *Quæcunque Iupiter non amat, ea consternantur, si vocem Pieridum audiant*; Vos certè Apolline natos Musicæ fautores & assertores agnosco lectissimos, & veneror dignissimos, quorum nominum patrociniјs hanc Syntagmatis musici partem Antiquitatis cantu & instrumentis stipatam, fido destinem animo, merito consecrem voto, grato dedicem studio.

Fretus itaq; Vestrâ erga alios etiam Musarum alumnos Magnificâ Humanitate, orare & obsecrare non desino, ut hoc vile & exile opusculum, è penore musico depromtum, promtis excipiatis manibus, serenis aspiciatis frontibus, benevolis pervolvatis mentibus, & Vobis istiusmodi mea studia commendata habere dignemini.

Hoc si expertus cognovero, additur mihi animus, ut propitio DEO, quæ subinde succurrent Musices Paraleipomena, quæq; diligens porrò observabit lectio, in medium proferã, & juris publici faciam. Quoipso sicubi fortè per meam tenuitatem Musica evadet comtior & ornatior, non tantùm eam Vobis, sed & omnes ejusdem cultores, obstringetis plus quàm arctissimè. Ita valete

VIRI
Generosi, Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Mœcenates devotè colendi.

Dresdæ,

MensIs febrVarII DIe qVInCto,
Anni Christi
eCCe VenIo CItò CItò; ô nVnC MI ChrIste.

MEMBRUM PRIMUM PARTIS SECUNDÆ,

Tomo Primo

Conjuncta:

De

MUSICA VOCALI, ATQUE GENERALIORE MUSICES COGNITIONE.

CAPUT I.

De MUSICA extra ECCLESIAM, ab Ecclesiastica, generaliter nominibus distincta, ejusdemq; primis ac generalioribus principiis.

VSque hac dictum fuit de Chorali sive veterum Psalmodia, Missodia, Leturgia Matutina & Vespertina, & Organica Musica, intra pomœria limitesque Ecclesiæ Dei Christianis recepta & piè usitata. Nunc ad Musicam, etiam extra septa Ecclesiæ, viæ ac Methodi excursum instituere & dirigere, operæ precium erit, ab antiquis decantatam & excultam. Musices enim suavitas non tantum ad sinceræ Religionis cultum & veri Dei invocationem coarctata est in Templis ædibusque Christianorum privatis; Verùm extra usum verè sacrum & divinum, ad Ethnicos quoque emanavit & profana superstitione atque superstitiosa profanatione sese diffudit in Ethnicorum Deorum, Heroumque celebrationem. Unde hujusmodi à vera Religione remotam lubet nominare *profanam* vel Ethnicè sacram, sive Ethnicè divinam Musicam. Quandoquidem etiam homines artibus ac moribus emollitos vel emolliendos in studio & consuetudine vitæ tam civili quàm agresti sua dulcedine occupatos detinet, nunc *Liberalis* & *ingenua*, nunc *Politica & Humana* la-

tiori nomine, dici potest. Quia denique solatium ad oblivionem molestiarum humanarum affert, atq; ipsa etiam bruta animadvertitur voluptate mirificè perfundere, *Genialis* non inconvenienti nuncupetur appellatione.

Cæterùm Tria nonnulli statuunt genera, ex quibus Musica constet. Unum genus est, quod Instrumentis agitur; alterum, quod fingit carmina, ex quo ut Poësis pars sit Musices, necesse est: tertium, quod Instrumentorum opus Carmenq; dijudicat. Ex quo rectè ait Cic. de Oratore lib. 1. Musicam versari in numeris & vocibus & modis. *Polyd. de inv. lib. 1. cap. 14.* Extra omnem autem dubitationis aleam situm hoc est, quod Musica ante *Jubalem*, priusquàm artificio sonoq; Instrumentorum Musicorum eam industriè exprimeret & redderet, quam *Instrumentalem* vocamus, antea naturæ beneficio inventa, & humano vivæ vocis usu culta fuerit, quæ *Vocalis* dicitur: Cujus ortum & initium ante progressum in primo limine ritè inquirit hujus membri ingressus. Omnium autem fermè rerum initium infirmum & informe est, ut Tempus meritò vocari possit Lex & Linea rerum, cujus progressu quæ parvis surgunt principiis, immensa capiunt incrementa: quod non tantum in proceritate arborum, maturitate frugum, stata statura hominum, sed in omnibus rebus videre est. Idipsum de Musices studio affirmandum esse quis neget, cujus perexigua fuerunt principia?

Opinio non falsa est, *Musicam* ex articulatæ vocis usu *ortum* traxisse. Sermonis enim communicatione mutua, quæ homines à brutis differre facit, sylvis & solitudinibus relictis congregati, usum sermocinandi excoluerunt in dimensione Rythmorum, quos auriū mensura & similiter decurrentium spatiorum observatione, Quintiliano teste, generatos protulerint ad modulationis formam vocis sono variato: qualis videtur Poësis fuisse in illis (de quibus Ennius loquitur) versibus;

Quos Fauni vatesq; canebant,

Atque hoc ipso simul per imitationem conati fuerunt repræsentare Cantillationes avicularum, quæ suavi modulatione minurizan-

tes, exercendi cantus suavitate auribus instillata, mentibus cupiditatem & desiderium reliquerunt.

Huic opinioni fidem facit Poëta Lucretius:

> *At* liquidas avium *voces imitarier ore*
> *Ante fuit multò, quàm lenia Carmina cantu*
> *Concelebrare omnes possent, auresq́; juvare.*

Et Ponticus Chamæleon Musicam ab antiquis excogitatam scribit *avium* imitatione in solitudinibus canentium, referente Athenæo *lib. 9. cap. 13.* Unde & Scaligero videtur modulatio in pastionibus inventa primùm vel Naturæ impulsu, vel avicularum imitatione, vel arborum sibilis. *Scal lib. 1. c. 4.*

Et certè *Natura*, quæ rerum omnium mater & omnium artium prima Magistra est, ab initio Musicam docuit, & mortalibus veluti muneri dedisse videtur. Siquidem homo statim natus cum in cunabulis vagire incipit, continuò nutriculæ cantitantis voce sopitus dormitat. Etjam animantibus, quibus ad sonum quempiam vox apta est, suus insitus est concentus, quo omnis ager suo tempore resonat. Ecquis docuit *Lusciniam* varios canendi modos? hæc enim avicula sonum edit perfecta Musicæ scientia modulatum, qui nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur, revocatur, infuscatur ex inopinato: interdum & secum ipsa murmurat: plenus, gravis, acutus, creber, extentus: & breviter, audire licet omnia tàm parvulis in faucibus concini, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis, ut ait Plinius, ars hominum excogitavit. *Polyd. lib. 1. cap. 14. de invent.*

Est omninò in Musicis etiam εὐφυΐα, & ut Platoni dicuntur, Igniculi naturales & seminaria artis, & ἐπιτηδειότητες, ut Aristoteles nominat, propensiones & proclivitates.

Ab aliis verò Tria *Principia* depræhensa sunt: *Mæror, voluptas* & *Enthusiasmus* sive Numinis afflatus. *1. Dolores* etenim mirabili quodam ductu & flexu lubrico vocem ad modulos flectunt lachrymosam & luctuosam. Principium hoc confirmant etiam infantes qui statim plo-

rant,

rant, quod crurum brachiorumq; rectè producendorum causa fasciis colligantur, ac ita à supplicio miseram vitam vivere incipiunt. *Polyd l.1.cap.14.* 2. Effervescens autem & ebulliens *gaudium* vocem reddit uberius effusam. 3. *Afflatos* autem *spiritu* (de quo Poëta Sulmonensis:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Sedibus æthereis Spiritus ille venit) eò rapi spectamus, ut etiam futura ratione pandant metricâ & harmonicâ. Quod si quoque Amoris vis ad solem producatur, patebit clariore luce, nullam prorsus affectionem acutiorem & accuratiorem ad harmonicos sonos addere stimulum atque jucunditatem. Unde tritum illud Græcorum apud Plutarch. 1. Sympos. μουσικὴν δ᾽ ἄρα ἔρως διδάσκει: quæ jucunditas, qui amor Platoni παντὸς ἐπιχειρητὴς, ut qui nihil prætereat intentatum, sed omnibus sese inserat & insinuet rebus.

Denique *Ocium*, voluptatis & lasciviæ pater, & *æmulatio*, alma artium nutrix & auctrix, effecerunt, ut natæ sint variæ species cantiuncularum. Alterum, cum singuli sub æstivam reducti umbram saturi canerent amores: Monoprosopos hæc. Altera, cum aut fortè aut consilio convenissent ii, quos inter vel amor vel odium excitatum fuisset; aut esset æmulatio obtrectatiové propter vel cantum, vel gregem, vel amicam. Cujus cantus duo modi: Unus cum sine numero certo, sine lege versus funderent; cui non est idcircò nomen impositum, quia vulgaris esset ac liber & naturalis, neque tàm quæsitus arte, quàm oblatus ultrò: Alter in quo sententias æmulas, versus & similes & pari modo reponerent; quod iccirco appellarunt ἀμοιβαῖο. *Scal. lib.1.c.4.*

CAPUT II.

De artis Musicæ Inventoribus, ex inventione Calamorum, Chordarum, malleorum, sonorum & proportionum auscultatione.

NOn minus in Musica, atque in aliis artibus, φύσιν sive Naturam adjuvat & perficit μάθησις καὶ ἄσκησις, institutio & exercitatio, ἐμπειρία, ἱστορία, καὶ ἐπαγωγή (quæ tria artium communia sunt primordia & *adminicula*) hoc est, Experientiâ, observatione & inductione, adhibitâ ab Ingeniis, Genio divino ad illam artem excitatis.

Verissimum est enim, de Ethnica quoque, illud Plutarchi de Musica: Σεμνὴ οὖν κατὰ πάντα ἡ μουσικὴ, θεῶν εὕρημα; *Omnibus modis veneranda est Musica, cùm Deorum inventum sit.*

Est autem Ethnica Musica non ita vetusta, & Musicæ sacræ Ecclesiasticæ, quæ vocis usu & arte *Jubalem* auctorem habet, & pòst Patriarchis, atq; Israëlitis statim ab Ægyptiacâ emigratione usitata & frequens fuit, longè cedit antiquitate. Siquidem nullam (cum Græcorum gestis omnibus ante Olympiades, Censorino teste, fabulosis & incertis) fidem merentur, & incertissima illa, quæ de primo Musicorum seculo à Græcis non nisi per ambitionem antiquitatis ficta sunt.

Nemo est, qui credat, apud Græcos Musicam fuisse prius inventam, literis in Græciam primùm advectis à *Cadmo.* Eum, (licèt idem ab Herodoto, seculo ante Abrahamum Anno mundi 1948. natum, ducentis videlicet amplius post diluvium, (An. mundi 1636.) annis insera tur) Eusebius Josuæ (circiter 2493. Annum mundi) Duci σύγχρονον computat, & Abrahamo amplius quadringentis annis juniorem statuit. MANETHO centum præterea annis posteriorem facit.

Omnium primi apud Ethnicos censentur Musicæ Inventores, *Mercurius*, & *Apollo*; Ille inventa Testudine ex nervis trium chordarum

inſtar trium anni temporum, auctore Diodoro Siculo *lib. 1. cap. 2.* tres inſtituit voces; *Acutam* ab æſtate, *Gravem* ab Hyeme, *Mediam* à Vere. *Jul. Scal. lib. 1. Poët. cap. 43. & 48.* Effecit deinde Tetrachordum, linum pro chordis, tum non inventis, intendens, quod Lyra Mercurii dictum fuit. Inſuper teſtudine mortua, ad ripas Nili inventâ, Calamos agglutinans, ac novem deinde chordas ſuper calamis, tanquam anſulis, intendens, jucundum quid modulatus eſt. *Lucian. in dial Apoll. & Vulc: Pauſan. in Arcad. Nicander in Alexi-pharm. Homerus in Hymno Mercurii, ubi Lyræ ſeptem Chordas attribuit. Nat. Com. lib. 5. cap 5.* Hic verò, videlicet Apollo, Citharâ ad boves Admeti inventâ, *Muſicæ Deus* habitus fuit. *Pauſan. in prioribus Eliacis, Ovid. Metam. 1. Apollinem hunc* vetus Hiſtoriographus Manetho, ætate Cadmi ſuperiùs ſupputata, natum adſtruit. Et colligunt Chronologi, pleroſque cum Apolline Muſicæ cultores floruiſſe circa ſeculum Gedeonis Judicis Iſraëlitici, Anno mundi 2671. ex calculo Chytræi, plus annis centum ante captam Trojam, cujus everſio facta eſt Anno mundi 2782. Apollinis *Filius Orpheus*, circa Tholæ & Jairi Judicum tempora, habuit *Herculem* & *Muſæum*, Evmolpi filium, condiſcipulos, ſub præceptore Lino, Apollinis & Terpſichores Filio.

Idem ſeculum celebravit *Amphionem, Hyagnin, Phrygem*, ejusque ſucceſſorem *Marſyam. Euſeb. lib. 10.* de præpar. Evang. *Zethum* & *Amphionem* fratres, qui Cadmi temporibus vixerunt, Muſicæ autores indigitat.

Pòſt Eſaiæ ſeculo circiter annos centum ante exilium Babylonicum vixit *Terpander*, auctor Muſicæ artis eximius, Homeri abnepos, vel, ut alij, Heſiodi Filius.

Et Arion, Herodoti, Ovidij & Gellij hiſtoriâ celebris, ſeptem ſapientibus in Græcia σύγχρονος fuit, vivo Jeremia, ac Nabuchodonoſore Judæos Babylonem abducente captivos.

Porrò *Solinus* Muſicæ artis ſtudium ex Creta manaſſe putat, cum *Idæi Dactyli, Jovis vagitum* crepitu ac tonitru æris occultando, obſervatos inde modulos in verſificum ordinem tranſtuliſſent. Bero-

sus ſcri-

ſus ſcripſit *Bardum*, Gallorum Regem, Muſicam inveniſſe, indeq; Gallis Philoſophos & Poëtas Bardos vocari. Laërtius & Boëthius *lib. 1. cap. 10 & 11*. apud Græcos aſſerit, *Pythagoram* Muſices invẽtorem fuiſſe per malleorum, ferientium inæqualia pondera, & per chordarum inæqualitatem vel inæqualem extenſionem, & per Calamorũ inæqualem longitudinem. Vixit autem *Pythagoras Cambyſis II. Monarchæ Perſarum* ſeculo, Anno mundi 3434. Tarquinio ſuperbo, ultimo Romanorum Rege, rerũ potito, ante Chriſtum (quippe Anno mundi 3962.) natum 528. annis. Is primus, quam pepererat proportionum ignorantia, imperfectionem Muſicæ animadvertit, cujus certitudo ſolo dijudicabatur auditu, maximè fallaci ſenſu, nec ſatis acuto & minus apto ad ſonorum diſcrimina, in minoribus intervallis ſubtiliter dignoſcenda. Certam itaq; intervallorum Muſicorum diſtantiam certis proportionibus contineri, eamque non auditui ſubjacere, animadvertens, intervalla certiſſimis rationibus ad oculos evidentiſsimè demõſtravit Demonſtrationũ inventionem à fabris ferrariis tali deſumſit occaſione, Boëthio teſte: *Pythagoras* (*ait*) *cum certam intervallorum diſtantiam inquireret, relicto aurium judicio ad regularum momenta migravit. Nec enim credidit humanis auribus, quæ partim natura, partim etiam extrinſecus accidentibus permutantur, partim ipſis variantur ætatibus. Nullis etiam deditus inſtrumentis fuit, penes quæ ſæpe multa varietas ac inconſtantia naſcitur, dum nunc quidem, ſi chordas velis aſpicere, vel aër humidior pulſus obtundat, vel ſiccior exſiccet, vel alio quopiam modo ſtatum prioris conſtantiæ permutet. Et cum idem eſſet in cæteris Inſtrumentis, omnia hæc inconſulta, minimaq́ æſtimans fidei, diuq́ æſtuans inquirebat, quanam ratione firmiter & conſtanter conſonantiarum momenta perdiſceret. Cum interea divino quodam motu, prætериens fabrorum officinas*, pulſus malleorum *exaudivit, & diverſis ſonis unam quodammodo concinentiam perſonare: ita igitur ad id, quod diu inquirebat, attonitus, acceſsit ad opus: diuq́ conſiderans, arbitratus eſt, vires ferientium efficere diverſitatem ſonorum, idq́ ut apertiùs liqueret, imperavit, ut malleos inter ſe permutarent. Sed ſonorum proprietas non in hominum lacertis hærebat: ſed mutatos malleos comitabatur. Ubi igitur id animadvertit,*

malleorum pondera examinat. Et cùm quinque fortè essent mallei, dupli reperti sunt pondere, qui sibi secundùm diapason consonantiam respondebant. Et ex his eum, qui duplus erat ad minimum, comprehendit esse sesquitertium alterius, ad quem diatessaron sonabat. Et rursus eundem duplum reperit esse sesquialterum ad eum, cum quo in diapente consonantia jungebatur. Duo vero hi, ad quos superior duplus, sesquitertius & sesquialter esse, probatus est, ad se invicem sesquioctavam proportionem perpensi sunt custodire. Quintus verò malleus, qui cunctis erat inconsonans, rejectus est. Cùm igitur & ante Pythagoram consonantiæ Musicæ partim Diapason, partim Diapente, partim Diatessaron, quæ omnium minima consonantia putabatur, vocarentur, primus Pythagoras *hoc modo reperit, qua proportione sibimet hæc sonorum diversitas jungeretur. Et ut sit clarius, quod dictum; sint, verbi gratia, malleorum quatuor pondera, quæ subterscriptis numeris contineantur, 12.9.8.6. Hi igitur mallei, qui duodecim & sex ponderibus librabantur, Diapason, sive octavam in duplo consonantiam personabant. Malleus verò duodecim ponderum, ad malleum novem ponderum, & ulterius, malleus octo ponderum ad malleum sex ponderum, secundùm sesquitertiam proportionem, in quarta, sive in diatessaron, consonantia jungebantur. Novem verò ponderum ad sex, & duodecim ponderum ad octo, quintam, sive diapente consonantiam, in sesquialtera proportione permiscebant. Rursus novem ponderum ad octo in sesquioctava proportione resonabant Tonum. Hinc igitur domum reversus, varia examinatione perpendit, an in his proportionibus ratio consonantiarum tota consisteret, atque nunc pondera, quæ recèns inventis proportionibus respondebant, chordis aptans, earum consonantias aure dijudicabat. Nunc verò in longitudine chordarum duplicitatem medietatemque observans, cæterasque proportiones aptans, integerrimam fidem diversa experientia capiebat. Et se nihil diversum à vero invenisse lætabatur. Hæc* Boëthius lib. 1. Musices, cap. 10. & 11.

Et Plutarchus de Musica sic attestatur: *Pythagoras, inquiens, judicium Musicæ per sensum rejecit, quòd tenuem ejus virtutem prædicaret. Quocirca non auditu, sed harmoniæ convenientia, judicium de ea faciebat, atque ad diapason usque sistere Musicæ cognitionem esse satis censebat.*

Placitis Pythagoræ multo tempore receptis approbatisq; qui contradiceret, & tanta autoritate Philosophi theoremata impugnare auderet, nemo extitit præter *Aristoxenum* ex Italia oriundum, Tarentinum patria, Aristotelis auditorem. Hic circiter annum mundi 3620. cognomen *Musici*, ex peritia artis quod adeptus fuerat, explevit, & demonstrationẽ statuit stabilivitq; à Pythagoræa diversam. Ex sonis enim Musicis, qui tanquam naturales res auditui subjecti sunt, argumentatus est, cûm sensus circa proprium objectum falli nesciat, organo probè affecto, intervallo non nimium distante, & medio non turbato, aut impedito, dijudicationem ac pronunciationem de intervallorum consonantiis elici ac convinci non ratione proportionum, sed beneficio & officio auditus, qui perceptioni sonorum propriè est destinatus sensus. Immò sublato auditu, omnem tolli de sonis disputationem addidit; Et licèt aliquid rationi & proportioni detur, auditum tamen in sonorum dijudicatione non modò non seponendum, sed omnino præponendum esse; cùm vulgato axiomate, quod prius non fuerit in sensu, in intellectu sit nihil. Et propterea per alias etiam, præter multiplicem & superparticularem, proportionum species, auditus exploratione formari consonantias, pronunciavit. Id quod verissimum ipse usus legitimus, à quo artificiosa suavitas & elegantia harmoniæ pendet, etiam extra Pythagoræ proportiones (multiplices & superparticulares) formandis harmoniis convenientes, maximè probat in Consonantia, quæ sexta, veteribus Tonus, sive Semitonium cum diapente, similiter in Undecima, quæ veteribus est Diapason cum Diatessaron. Atq; hinc Musices studiosi in diversas sunt divisi sectas, *Canonicorum & Harmonicorum*. *Canonici* adhærebant Pythagoræ, & in sonorum dijudicatione rigidè persequebantur rationis examen, & proportionum *Canones*. *Harmonici* sectabantur Aristoxenum, & in harmonia judicanda plus autoritatis ac fidei tribuebant auribus, quàm rationi.

Dissidentium Musicorum litem, 481. annos gliscentem, pòst, Antonino Pio, circiter annum Christi 139. (juxta annales Pantaleonis Candidi) imperante, composuit ac sopivit *Claudius Ptolemæus Pelusius*, ex-

cellens ille Mathematicus. Is media incedens via tantundem cum Aristoxenicis sensui, cum Pythagoræis tantundem rationi attribuit. Etenim tum demum judicium enasci putavit sincerum, ubi sensus & ratio consono nituntur conspiratu: Quod ipsum & in Astronomia comprobavit, quum rationis libra ab oculis non abit diversa. *Cælius lib.15 cap.11 A L.*

A Ptolemæo, ubi anni 400. nôdum completi effluxerant, seculum arti Musicæ donavit (quem invidit mors violenta anno 527.) *Anitium Manlium Severinum Boëthium*, ex stirpe patricia nobilissimum, Romæ Consularem, Philosophum & Theologum eximium, qui hinc inde de Musica apud Græcos dispersa congessit, & latino sermone translata posteris per manum tradidit, ac post se laudabilem & fructuosum nitorem artis, ex profunda caligine emergentis, reliquit.

Nostræ deniq; memoriæ seculum *Josepho Zarlino Clodiensi Italo*, Chori Musici apud Duces Venetos Magistro, acceptum refert, non tantùm indagatam esse veram & legitimam proportionem novarum consonantiarum, utpote Ditoni & Semiditoni, Sextæ item minoris & majoris, quæ ante ducentos vel circiter annos per Organa Ecclesiastica Harmoniis inseri cœperunt: verumetiam quòd multorum aliorum intervallorum forma, in veris & justis proportionibus ab illo inventa, fruamur. Verùm de his *Sethus Calvisius* in Exercitatione 2. plura annotavit.

CAPUT III.

De Doctoribus, Scriptoribus, Cultoribus, Discipulisq; Musicæ eximiis.

EXimiæ artis scholam & disciplinam commendant, exornant & stipant autoritate eximii viri; quos inter eminent primo loco Doctores & Scriptores non vulgares.

ALCIDAMAS Eleates Philosophus, Musicus clarissimus, discipulus Gorgiæ Leontini, de Musica elegantissimos libros scripsit. *Suid.*

ANTISTHENES Athenienſis, Socratis auditor, de Muſica commentatus eſt. *Laërt. lib. 6.*

ARISTOXENUS Tarentinus, ex ſuperiori mentione notus, qui animam dixit eſſe Harmoniam, ut tradit *Cicero* in Tuſc. ſcripſit in omni genere libros, de Muſica præſertim. *Suid.*

DEMOCRITUS Abderites librum edidit de concentu & harmonia. *Laërt. lib. 9.*

DIONYSIUS HALICARNASSÆUS, ſub Adriano Cæſare Sophiſta, cognomento Muſicus, quòd in ea arte plurimùm ſe exerceret, ſcripſit rhythmicorum commentariorum libros 24, hiſtoriæ Muſicæ libros 36, in quibus Tibicinum & Citharædorum & poëmatum omnis generis meminit, Muſicæ diſciplinæ, ſive diſputationum lib. 22. Quæ in Platonis Repub. Muſicè dicta ſunt. *Suid.*

EPICURUS Athenienſis ſcripſit Ariſtobulum, ſive de Muſica. *Laërt. lib. 10.*

HERACLIDES Ponticus, Speuſippi auditor, libros duos Muſices de his, quæ apud Euripidem & Sophoclem reperiuntur, ſcripſit: item de Muſica duos. *Laërt. lib. 5.*

LASUS Herminæus Achæus, (qui floruit principante Dario, Olymp. 58.) primus de Muſica ſcripſit, & dithyramborum certamen primus protulit. *Suid.*

SOTERIDAS Epidaurius ſcripſit Muſicæ libros tres, ut ait *Dionyſius*, & Volaterr. *lib. 19. Anthrop.*

THEOPHRASTUS Ereſius Harmoniακῶν librum unum, de Muſicis librum unum, de Muſica libros tres edidit. *Laërt.*

TIMOTHEUS ſcripſit verſus de Muſica lib. 19. *Suid. & Cic. 2. de Legib.* Et inter alios, qui Muſicam exemplis & præceptis docuerunt, celebris eſt *Timotheus.* Is cum in arte Muſica omnium præſtantiſsimus eſſet, duplicem mercedem exigebat ab iis, quos ab aliis Magiſtris malè inſtitutos acciperet: quòd hi priùs dedocendi, quàm erudiendi erant; à rudioribus autem & ignaris ſimplicem. *Alex. ab Alex. lib. 2. c. 25.*

Porrò

Porrò eximia diſcipulorum claſsis, ex Populis junioribus & ſenibus, Philoſophis, Imperatoribus deniq; & Ducibus collecta, palæſtram Muſicam nobilitat eximiè, & plures invitando frequentiorem reddit.

LACEDÆMONII Muſicam diſcebant, non tamen exercebant, ut ſaltem judicare poſſent artem, quam deperditam ter apud illos conſervatam ajunt. *Athen. lib. 14. c. 11.*

HYBERNI agriculturam cæterasq; artes non magnoperè exercent, præter Muſicam, cujus peritiſsimi ſunt, & voce elegantiſsimi ac velociſsimi. *Polyd. & Balæus cent. 13. Script. Britanniæ.*

ARCADES omnem vitam cantionibus, & id genus ſtudiis impendunt. Cæteras artes apud eos ignoraſſe, nulla prorſus ignominia eſt; Muſicam neſcire nemo poteſt, quia neceſſariò diſcitur: ejus imperitiam fateri, illic turpiſsimum eſt. Idcirco vates Mantuanus in Bucolico ludicro ſubinde in cantilenæ mentione *Arcadas* plurimis efferre laudibus non deſinit:

——————— *Soli cantare periti*
Arcades.

Nec modò pueros, ſed & adoleſcentes ad XXX. uſq; ætatis annum Muſica imbuendos curabant. *Cælius* lib. 9. A. L. ex Athenæi lib. 14. c. 11. & Polybio. & *Sabellicus* lib. 2. Ennead. 2.

Et ARISTOTELES 8. polit. *juvenes* Muſica erudiri vult, inter alias cauſas ob eam, ut *ſenes* facti de ea poſsint judicare. Etenim inter ingenua exercitia connumerans, præcipit omnino cives ſuæ Reipub. in ea inſtitui & exerceri, dum *juvenes* ſunt; *Seniores* verò juvenu concentibus intereſſe, tanquam cenſores & judices.

TILESIAS THEBANUS adoleſcens, in optima veterum Lyricorum Muſica eximius, cùm ad ſcenicam & picturatam Muſicam *Philoxeni & Timothei* poëmatum animum adjeciſſet, contuliſſetq; ſe ad modulos condendos, nihil tamen in Philoxeneo genere præſtare laude dignum potuit, propter optimam inſtitutionem à teneris, quam eluere nequibat. *Plut.* de Muſica.

SOCRATES in ſenectute didicit Muſicam à *Conno* fidicine, quem

ob idi-

ob idipſum, quia præceptore eo uſus fuerat Socrates, pueri, ὡς γεροντοδιδάσκαλον, irridebant. Cum autem Socrati dicebatur; Nunquid non verecundaris in ſenectute his operam dare ſtudiis? Majorem reſpondit verecundiam eſſe, in ſenectute ignorantes eſſe, quàm in ſenectute ſtudere. *Plato.*

PYTHAGORAS *Samius* non vulgare ſtudium Muſicæ impendit, adeò, ut univerſi machinam ex Muſicis rationibus compoſitam eſſe diceret. *Athen.* lib. 14. c. 13.

Quin & divinus *Plato* multum ſtudii in arte Muſica collocavit, & auditor fuit *Draconis* Athenienſis, & Metelli Agrigentini. *Plut. de Muſica.*

SCYLAX Cariandæus Mathematicus, claruit arte Muſica.

SIMON MAGNESIUS, inſignis Muſicus, neglecto ſuperiorum Muſicorum more, *Simodiam* introduxit, ſicut & *Lyſis Lyſodiam. Volat.* lib. 19. ex Strabone.

Cujuſmodi cultores Muſicæ ex Philoſophis, Oratoribus & Poetis paſsim, & præcipuè in Inſtrumentali Muſica occurrent.

Imperatores & Duces producantur.

OSYRIS inſignis Muſicus fuit, quemq; Muſicorum multitudo ſemper ſequebatur, inter quos & novem Muſæ fuiſſe dicuntur. *Diodor. Sic.* lib. 1. c. 3.

Scriptum reliquit *Pauſanias* in Atticis, *Cygnum Ligurum* fuiſſe Regem eorum, qui habitarunt in Gallia Tranſpodana, laude Muſicæ artis clarum. Mortuus ab Apolline in avem ſui nominis mutatus fingitur. *Lucian.* in Dialogo, qui cygnus inſcribitur. *Natal. Comes* lib. 7. Mythol. c. 9.

C. CALIGULA canendo ne publicis quidem ſpectaculis temperavit, quò minùs & Tragædo concineret: Totum enim eum canendi voluptati deditum fuiſſe, uſus Muſices hiſtrionicus evicit. *Suet.* in Caligula.

NERO puer inter cæteras diſciplinas etiam Muſica imbutus fuit: pòſt imperium adeptus, *Terpnum* Citharœdum vigentem tum præter

alios accersivit, diebusq; continuis post cœnam canenti in multam noctem assedit, donec paulatim & ipse meditari exerceriq; cœpit, inq; ea arte Musica tantum profecit & excelluit, ut etiam jactitare non dubitaverit morti vicinus: Quantus artifex perit. *Sueton.* & *Fulg.* l. 8. c. 7. *Erasm.* in adagiis.

ALEXANDER, facundiâ Græcâ excellens, ad Musicam pronus cecinit, sed nunquam alio conscio, nisi pueris suis testibus. *Cuspinianus.*

JOH. PICUS MIRANDULA primis adolescentiæ annis genus omne Musicæ artis adeò excoluit, ut excogitata per ipsum modulamina, notatæq; debitis concentibus harmoniæ celebres haberentur. *Ioan. Franciscus* in ejus vita.

Et plures alios heroas variis Instrumentis modulatos fuisse, convenienti audiemus loco.

Ut finem imponam huic capitulo, ob singularem admirationem aliis Musicis annumerandus est *Ioan. Fernandus*, qui, licèt cœcus, ita insignis evasit Musicus, ut solus memoriter quatuor vocum carmen componeret, id quod vix alii scribendo consequi possent. *Fulgosus.*

CAPUT IV.

De inventione in Harmoniæ generibus in Tetrachordis; h. e. de Chordarum, sive clavium, sive vocum numero aucto, & ad δὶς διὰ πασῶν apud veteres, hodie plus ultra, constituto.

TEtrachordum, MERCURII inventum, quod certo modo ac ordine dispositum fuit, ut Diapason, Diapente, & Diatessaron consonantias comprehenderet, passim apud Scriptores celebratur. Veteres enim ante Pythagoram, & post eum, & ad nostra usq; tempora, reverenter Musicâ usi, simpli-

ciores modos approbarunt. Cujus rei argumento ſunt LACONES, qui non connivebant, ſed graviter animadvertebant in eos, qui priſcæ Muſicæ tranſiliiſſent limites. *Terpandro* enim Lesbio, ex Heſiodi vel Homeri nepotibus, ubi primus Septichordam lyram, h. e. ex *Tetrachordo* heptachordum conſtituit, mulctam *Ephori* dixêre. *Plut.* in Lacon. inſtitutis. Et *Artemon* ſcribit, *Timotheum Mileſium* uſum fuiſſe compoſitione, quæ plures habebat chordas, quàm *Magadis*; quare reprehenſus fuit apud *Laconas*, quòd Muſicam antiquam corrumperet. *Athen.* lib.14. cap. 4.

Idem, cum novitatis ſtudio (cujus humana natura perquàm avida) Leges Muſicæ tranſcenderet, non modò ſibilo ſed etiam convitio exploſus fuit.

Quomodo autem veteres, qui ſimpliciorẽ Muſicam amaverunt, in Tetrachordis conſtituendis intervalla diſpoſuerunt, & inde *Harmoniarum genera tria*, nim: *Diatonicum*, *Chromaticum* & *Enharmonicum* conſtituerint: quiq; poſtremorum duorum Inventores ſint; de iis legatur *Sethus Calviſius* in Exercitat.2.pag.94.usq; ad 99.

Quomodo item ad *Mercurij* Tetrachordum plures ab aliis atq; aliis ſubinde adjectæ ſint chordæ, quas veteres pro *Clavibus* aut Vocibus Muſicalibus (quarum inventionem Choralis Pſalmodia.c.4.attigit) uſurparunt; quia poſt *Macrobium* commentario in Somn. Scipionis, & *Boëthium* lib. 1. de Muſica & in prooemio, in jam dicta Exercitat 2. S. C. pag. 100. ad 104. diligenter annotata reperiuntur, ubi & earum nomina & numerus refertur pag.105 106.107. hîc recenſere nolui.

Quæ etiam apud *Vitruvium* lib. 5. de Architectura cap. 4 de Harmonia ſecundum *Ariſtoxeni* traditionem traduntur, *Philander* ibidem annotavit, cùm ad veterem tantummodo Muſicam faciant, hîc lubens volens prætermiſi: Quemadmodum & ea, quæ de Inventione vocum Muſicalium ex Tetrachordis, adjectis & recens in Belgio innovatis, apud *Calviſium*, ſæpius citata Exercitatione 2. pag 119. ad 123. leguntur.

Harmoniæ rationem primus extulit in lucem *Aristoxenus*, repertis etiam instrumentis: deinde *Ptolemæus*, *Nicephorus*, & *Gregoras*. Commentatores in ea fuerunt *Pappus*, *Theon*, *Alypius*, *Gaudentius*, *Isacius*, *Apuleius*, *Boëtius*.

Exhibet etiam de vocum affectionibus & Tetrachordis Synopses cum brevi declaratione elegantissimas *Thomas Freigius*, in Methodo sua de Musica.

Verùm & ista, quia tantùm ad veteris, non novæ nostræ, Musicæ descriptionem pertinent, sciens omisi, & lectorem benevolum illuc remissum volui.

Hoc tamen non omittendum esse putavi, quod *Ambrosius Leo Nolanus* duplicem causam, ob quam antiquitas in δὶς διὰ πασῶν consistendum duxerit, assignat:

I. Quòd ipsa Natura videatur hanc Symphoniarum veluti metam præstituisse; quippe quæ modum hunc humanæ tribuerit voci, ut ad decimum quintum duntaxat gradum intendatur: Ultra quem si quis conetur progredi, nō jam illa vox genuina, sed coacta factitiaq;, & *gannitus* magis, quàm vox videatur: Rursus si altius nitaris eam deprimere, protinus à ratione vocis in *Screatum* quempiam degeneret. Proinde cùm ubiq; conveniat *Artem*, quoad licet, *Naturæ* respondere, non abs re Veteres iisdem cancellis circumscripserunt rationem artis, quibus Natura vocem humanam circumscripserat.

II. Adhæc (quæ dissertatio etiam superiori capite, sed alia meditatione ac intentione, commemorata est) *Boëthius* lib. 4. de Musica, Harmoniam Musices non ratione tantùm, verùm & sensu perpendi oportere scribit. Et *Ptolemæus* Pythagoræorum quorundam sententiam rejicit, qui in dijudicādis Harmoniis plurimùm tribuerint rationi, minimum sensui; cùm dicerent, sensum semina modò quædam cognitionis ministrare: at perfectam scientiam ratione constare. Rursum *Aristoxeni* refellit opinionem, quòd plus satis tribuerit sensibus, perpusillum autem rationi: cùm *Musicam Harmoniam* ita temperatam esse oporteat, ut neq; sensui ratio refragetur, neq; sensus rationi reclamet.

Neq; dissentit à Ptolemæo *Aristoteles* lib. 2. Physicorum, negans Musicam merè Mathematicam esse, sed partim ratione, partim sensibus constare. Quod fieri nequaquam potest, si semel ultra *decimam quintam* intentionem, h. e. δὶς διὰ πασῶν processum fuerit. Nihil autem vetat ratio, quò minùs vel millesimum usq; ad tonum progrediare, recurrentibus subinde videlicet iisdem Harmoniis, quas complectitur διὰ πασῶν. Neq; secùs hîc procedere liceat, quàm fit in Numeris Arithmeticis, ubi non aliter agnoscitur ἡμιόλιος in duodecim millibus, & octo millibus, quàm in quatuor & sex. Cæterùm Harmoniæ sensus ultra decimam quintam vocem velut evanescit, jamq; non magnoperè refert, quæ sit Harmoniæ ratio, quam non approbat sensus: & ideò non approbat sensus, quia non evidenter percipit. Porrò quò minùs percipiat intervallum æquo longius, in causa est: Rationis vis in immensum se porrigit; at ediverso sensus corporis admodum angustis limitibus cohibetur. Quod enim accidit in *Oculorum* sensu, ut, si longiùs semota sint ea, in quæ fertur videndi vis, obtundatur ac deficiat visus, eoq; magis deficiat, quo majore distent intervallo: id multò magis accidit *aurium* sensui, quippe minùs agili, quàm oculorum. Jam verò quod usu venit sensibus in percipiendis iis, quæ objiciuntur; idem usu venit animo, per sensum dijudicanti; Si *Colorem colori* propiùs admoveas, &, quemadmodum Græci dicunt, πορφύραν παρὰ τὴν πορφύραν, nonne protinus dignoscit ex collatione sensus, quantum alter ab altero discrepet, aut alteri cum altero conveniat? Itidem si *vocem voci* vicinam exhibeas, incunctanter dijudicant, quæ sit alterius cum altera vel concordia, vel discordia: sin plùs justo disitas intervallo, mox incipit anceps esse judicium. Porrò quemadmodum citiùs hebetatur *aurium* sensus, quàm *oculorum*: itidem citiùs obtunditur illarum, quàm horum judicium: propterea quòd altera res ex altera pendeat. Id ipsa Experientia docet. Pulsa Chordam quandam in Organo, simulq; tange eam, quæ sit ab hac octava, statim rationi suffragans sensus plenè percipiet Harmoniam, & absolutissimam esse judicabit. Rursus pulsatâ quâpiam, simul move aliam, quæ sit ab illa decima quinta; statim & perci-

piet & approbabit ſenſus Symphoniã, agnoſcens eam, quam paulò antè ſenſerat in διὰ πασῶν. At verò, ſi tacta ima, moveris ab hac decimam nonam, nihil quidem obſtrepit ratio, quò minùs ſit Harmonia, quæ fuerat in διὰ πασῶν cum διὰ πέντε: verum auris, acceptis vocibus, non perinde percipit Harmoniæ rationem. Quòd niſi ſenſus certos quoſdam terminos haberet, intra quos certum illius & exploratum judicium ſopiretur, nihil vetuerit, ſi libeat vel uſq; ad χιλιάκις διὰ πασῶν Symphoniam procedere. Neq; enim ratio quicquam offenditur numero, modò eandem agnoſcat analogiam. Verùm corporis ſenſibus Natura ſuos quoſdam limites præſcripſit, ultra quos progreſſi, ſenſim jam incipiunt quaſi caligare, hallucinarique; neq; jã certò, ſicuti ſolent, ſed ceu per nebulam, ut ajunt, ac per ſomnium judicare. Non conveniebat autem, ut cujus incertum eſſet judicium, id ad artis præcepta traheretur. At quoniam ultra decimum quintum vocis gradum veteres intellexerunt evaneſcere judicium aurium, ibi metam Harmoniarum figendam eſſe judicarunt, ne meritò quis objicere poſſet ἀφανοῦς μουσικῆς οὐδὲν ὄφελος. Jam igitur Neoterici, qui contra veterum autoritatem ultra ſummam chordam τετράχορδον adjecêre, ad imam item adiecta una: non perinde flagitium feciſſent, ſi in decima nona chorda terminaſſent Harmoniarum progreſſum: propterea, quòd hæc ima ad ſummam relata, ſi non auribus, certè rationi perfectam ſymphoniam repræſentant. Atqui in vigeſima neq; ſenſus eſt Harmoniæ, neq; Harmonia perfecta; aſſerente hujus diſſertationis autore, anteà nominato *A. L. Nolano.* Nihilominus *Guido Aretinus* veterum chordis ſive clavibus *quindecim*, inſuper *quinq;*, unam videlicet Gamma inferiori, reliquas nempe bb. cc. dd. ee. ſuperiori loco, addidit.

Hodiernum ſeculũ præter has aſſumſit *Septem*, quæ in magna C incipiunt, & in clave à binis virgulis notatâ deſinunt: ut ita integræ quatuor octavæ (duplum quàm veteribus receptum fuit) his *Viginti Septem* clavibus, excepto Semiditono, comprehendantur: cùm Clavichordia & alia Inſtrumenta Muſica uſq; ad Clavem c̿, imò interdum uſq; ad f̿, tribus virgulis notatam aſcendant.

CAPUT V.

De Inventoribus Melodiarum quarundam apud veteres, quas ipsi Modos seu tonos vel tropos vocabant.

MOdorum apud veteres planè alia fuit ratio, ac nostro hoc tempore; Nam nostrates Modi Musici speciebus Diapason, quas veteres ignorabant, discernuntur: quorum doctrinam plurimi præstantissimi nostro seculo Musici ex *Glareano* & aliis in lucem ediderunt, præsertim multoties citatus *Calvisius* in Exercitat. prima; *Johannes Magirus*, & alij.

Tres autem apud veteres (autoribus *Polymnesto* & *Sacada*) extiterunt *Melodiæ*, seu, ut tùm temporis vocabantur *Modi*, Toni sive Tropi: nim: *Dorius Phrygius* & *Lydius* (als wie man jtzo sagen möchte / diß ist ein Polnischer Tantz / ein Welscher / Frantzösischer / Deutscher Tantz / oder Melodey.) In singulis his Tonis *Sacadas* fecit flexionem & Strophen, docuitq; Chorum cantare *Dorium* primâ, *Phrygium* alterâ, & *Lydium* tertiâ: ob quam varietatem *tripartitum* fuit dictum hoc carmen. Quanquam in commentariis Sicyoniis, in quibus Poëtæ recensentur, *Clonas* hujus tripartiti carminis inventor relatus sit. *Plut.* de Musica.

Pronomus Thebanus quomodo excogitarit Tibiis iisdem omnes modos Dorios, Lydios & Phrygios incinere, attendatur in Polyorganodia.

Dorios etiam legitur excogitasse *Thamiras*, *Polyd.* lib.1 cap.15. Legimus etiam *Linum* Chalcidensem, vel Thebanum, Apollinis & Terpsichores filium, primum ex Phœnicia literas in Græciam intulisse, & primum Lyricos modos & Doricos concinuisse.

Phrygios modos *Marsias Phryx*, *Polyd.* l. 1. cap.15. vel ut alii, *Marsias*

Lydus, Satyrus, Lyricus Poëta, Judicum Hebræorum tempore, effinxit.

Lydiis modis carmen in Pythonis obitum *Olympum* cecinisse Principem, *Aristoxenus* ait, libro primo de Musica.

Sunt, qui *Menalippidem* modulorum horum referant autorem. *Pindarus* in Pæanibus Lydiam harmoniam in Niobes nuptiis vult doceri cœptam. Alii *Torebum* hanc usurpasse harmoniam primùm, ut tradit *Dionysius Jambus*. Sunt, qui *Lydiam* à *Cario*, Jovis & Torrhebiæ filio, primùm repertam velint, qui cùm fortè erraret, incidit in paludem, quam mox de matris nomine Torrhebiam jussit appellari: ubi cùm Nympharum, quas etiam Musas interpretantur *Lydi*, ut autor *Stephanus* est, præsuaves inaudisset cantus, edidicit. *Plinius*. *Cælius*. lib. 8. cap. 3. Antiq. Lect. *Amphionem* Lydios invenisse modos, notat *Valerius Probus* in Alexin Virg. & *Polyd. Verg*. lib. 1 cap. 15.

Laudatam *Lydiam*, quæ Mixolydiæ est adversa, assimilem Jadi, ab Atheniensi inventam, memorant *Damona*.

Jonicos modos sinistros, τὰ μέλη σκαῖα, *Pythernus Tejus* primus protulisse creditur. A *Pindaro* statuitur Modorum Scoliorum inventor *Terpander*.

Idem *Terpander Lesbius* ante Archilochum modos certos & leges instituit, quas ab se & à discipulo vocavit κηπίωνα & τερπάνδριον; à regionibus Doricis duos, Bœotium & Æolium: idcirco quia in Bœotia extitisse creditus est primus Citharædus *Amphion*, Jovis & Antiopes filius: à temporum autem celeritate duos, τροχαῖον & ὀξὺν, quod multis constabat Pyrrhichiis: & septimum τετράοιδον, qui erat ex horum quatuor cōpositus, Æolio, Terpandrio, Cepione & Bœotio. *Scalig*. lib. 1. Poet. cap. 48. ex Plut de Musica.

Mixolydiæ inventricem principem fuisse *Sappho*; apud *Aristoxenum* est dictum; à qua eam acceperunt Tragici, qui mox eandem cum Doria copulaverunt; quorum hæc magnificentiam refert & majestatem, illa affectus ciet. In commentariis harmonicis tibicen *Pythoclides* proditur ejus autor. *Lamproclem Atheniensem*, *Lysis* prædicat.

Hypo-

Hypolydium cùm tonum *Polymnaſto* tribuunt, tùm remiſſionem & digreſſionem longè ab eo factam tradunt majorem. *Plut.* de Muſica.

Ex omnibus his enarratis liquidò patet,quòd non ſatis apud veteres de certis inventoribus modorum conſtet, ſicut & illorum definitio,quid & quales eſſent veterum modi,omnino ignorata vel non ſatis explicata fuit, dum propria & genuina Modorum differentia, quæ ex collocatione ſemitoniorum in qualibet ſpecie Diapaſon definitur, latuit,ad *Claudium Ptolemæum* & *Boëthium* uſq;. Quid, quòd hi ipſi diſpoſitionem illam non tàm diſertè explicare, quàm qualis eſſe debeat, conjecturâ colligendum relinquere videantur? Donec noſtrum ſeculum ab hinc centennio elapſo,*Franchini Gafori* Laudenſis ſchola & profeſſio Brixiæ in Italia, Modorum doctrinam primùm edocuit, illuſtratam ex Boëthio.

A quo *Franchino* ſecundus fato prodiit *Henricus Glareanus* Helvetiâ oriundus,Daduchos ille Chori Muſici,qui felici genii & ingenii ductu duodecim invenit modos, quos firmis & verè Herculeis in ſuo Dodecachordo,quem ſuo operi inſcripſit titulum,aſtruxit rationibus,anno Servatoris ſuper ſeſquimilleſimum quadrageſimo ſeptimo.

CAPUT VI.

De diverſo horum Modorum ſeu potiùs Melodiarum affectu & effectu,& diſcreto eorundem ſelectu.

VT Modorum quilibet,apud veteres, ſuam habebat propriam phraſin,ſuumq́, ambitū; ſic etiam ſuos affectus & effectus. Fuerunt enim peculiares moduli,ad affectus diverſos deſtinati, ut ex *Caſſiodori* Epiſtola, quā *Lilius Gyraldus* de Poëtar. hiſt. Dial. 9. citat,apparet: *Dorius*, inquit, prudentiæ largitor eſt & caſtitatis effector; *Phrygius*,pugnas excitat, votum furoris inflammat; *Æolius*,animi tempeſtates tranquillat, ſomnumq́; jam placatis attribuit; *Aſius* intellectum obtuſum acuit,& terreno deſiderio gravatis cœleſtium appetentiam bonorum operator indulget; *Lydius*,

contra nimias curas animæ tædiaq; repertus, remiſsione reparat, & oblectatione corroborat. Ex *Gyraldo*, quod hic ex Caſsiodoro refert idem *Camerar.* operarum ſucciſ. cent. 1. cap. 18.

Et *Plato* in Modis efficaciam animadvertit diverſam: Is *Lydiam* harmoniam rejicit, quod lamentationibus ea ſit accommodata; *ionicam*, quia mollis; at *Doricam*, ut bellacibus viris & temperantibus congruam, elegit; non quod ignoraret, ut in ſecundo Muſicorum libro tradit *Ariſtoxenus*, referre eas aliquid ad Rempub. circumſpectam. *Plut.* de Muſica. Idipſum de Platone his verbis commemorat *Hadrianus*: Apud priſcos tria Harmoniæ genera numerantur; inter quæ *Lydios* modulos, ut luctui & funeralibus aptiores, reſpuit *Plato*; quemadmodum & *Ionicos*, ut ſolutiores & mollitie infames; *Doricos* laudat, ceu temperatis ingeniis congruos, quibus perſimiles ſunt, quos *Æolios* nominabant. *Hadrian. Iunius* Cent. 1. adag. 48. *Plut.* de Muſica ſic inquit: Τούτων δὴ τῶν ἁρμονικῶν τῆς μὲν θρηνῳδικῆς τινὸς οὔσης, τῆς δ᾽ ἐκλελυμμένης, εἰκότως ὁ Πλάτων παραιτησάμενος αὐτὰς τὴν δωριστὶ ὡς πολεμικοῖς ἀνδράσι καὶ σώφροσι ἁρμόζουσαν εἵλετο.

Varia inſuper rhythmorum genera, quæ apud veteres in uſu fuerunt, adducit *Ariſtoteles* 8. Politicorum; ex quibus *Æolius* modus ſimplex erat, *Aſius* varius, *Lydius* querulus, *Phrygius* religioſus, *Dorius* bellicoſus.

Phrygiis modis excitari impetum ad inſaniam docet *Philoſophus*, quando loco dicto aſſerit, τὴν μιξολυδιστὶ afficere ὀδυρτικωτέρως καὶ συνεστηκότως μᾶλλον, τὴν δὲ δωριστὶ μέσης μᾶλλον καὶ συνεστηκότως: ἤδε φρυγιστὶ ἐνθουσιασμοῦς.

Dorica igitur erat animis componendis commoda harmonia. Idcirco idem *Philoſophus* in eodem ita ſancit; Pueros docendos eſſe τὴν δωριστὶ, quia media, καὶ πρὸς ἀνδρείαν μᾶλλον: & Doricæ tribuit τὸ ἀνδρῶδες, τὸ μεγαλοπρεπὲς, καὶ τὸ σφοδρόν. 8. Polit.

Jonica erat modulatio florida & jucunda:

Dorica honeſta & gravis. Hinc *Lucianus* in Harmonide: Τῆς ἑκάστης ἁρμονίας τὸ ἴδιον: τῆς Φρυγίου τὸ ἔνθεον, τῆς λυδιὰς τὸ βακχικὸν, τῆς δωρίου τὸ σεμνὸν, τῆς ἰωνικῆς τὸ γλαφυρόν. Conſule *Alex. ab Alex.* lib 4. c. 2. *Athen.*

lib. 14. cap. 6. *Jul. Caſ. Scalig.* lib. 1. Poëtices. *Brodeum* in Epigrammatis.

Æolica ſtatuitur commoda exultationibus.

Ionica vetus aſpera; nova mollis.

Phrygia & *Lydia* proximæ, utraq; acuta. Idcirco luctibus adhibebantur: ut alii Lydiis modis concinerent Epicedia, alii Epithalamia. *Scalig.* lib. 1. cap. 19.

Illud etiam animadverſione dignum; quòd omnes *Gallorum cantus* ac moduli, quibus etiamnum ruſtici delectantur ſummoperè, *Ionici* ſint, aut Lydii; (quem Muſici quintũ & ſeptimum appellare poſſent:) à quibus tamen *Ariſtoteles* & *Plato* pueros & fœminas abſtinere; ac Doriis modis exerceri voluerunt: Jonicos enim & Lydios incredibilem vim ad molliendos animos habere putant. Rectiùs in Aſia minore Jonici ac Lydii prohibebãtur: cùm cœlo Aſiatico nihil mollius ſit. Utiles tamen eſſe judicantur populis montanis, & qui ad Aquilonem poſiti ſunt: quorum natura, præter locorum ac cœli temperiem, ferocior & agreſtior eſt. Eam ob rem Eccleſiæ Chriſtianæ Duces olim ac Pontifices in ſacris laudibus cantus Ionicos ac Lydios vetuerunt; Doriosq; ſolùm probaverunt, quibus etiamnum in ſacris precibus ſæpius, quàm reliquis uti ſolemus. Et *quemadmodum* fera animantia ſolent à manſuetariis, unguibus ac dentibus detractis, exarmari: *ſic* Ionici ac Lydii cantus hominum ferocium & crudelium animos, feritate detracta, multò mitiores ac tractabiliores efficiunt. Quod quidem Gallis contigiſſe putatur, qui huius Imperii Leges non tam diu pertuliſſent, niſi mores illorum, quos *Julianus Imp.* feroces, ac ſervitutis impatientiſſimos fuiſſe tradit, flexibiles Muſica reddidiſſet. *Bodinus* lib. 4. de Repub. cap. 2. Cæterum diverſitatem affectuum in his Modis ſeu Melodijs mox etiam hiſtoricè illuſtrabit Muſicæ uſus & efficacia varia.

CAPUT VII.

De voce & pronunciatione in cantu, deq; vocis utili, necessario, decoroq; exercitio, docili imitatione, ac suavi audiendi voluptate ac oblectamento.

IN Organorum diversitate, quibus conceptus harmonicus exprimitur, *vox humana*, quam *Archelaus* Apollodori F. Milesius Anaxagoræ discipulus, primus definivit aëris percussum, tanquam viva cantus anima excellit; non modo quia naturalis est, verumetiam, quia mentis humanæ conceptuum harmonicorum nuncius est & index.

Vocis sanè *modulatio* canenti salubris, necessaria & decora est, cujus suavitate perfusus auscultantis animus mirè afficitur: unde ut cantum voce ritè efforment, exercitium vocis indefessâ operâ excolendum, cantoribus seriò incumbit. Et quidem *cantio*, quæ voce peragitur quotidie, mirifica est palæstra, non ad sanitatem tantùm, sed ad valetudinem, non illam quidem palæstricam, eamq;, quæ vestiat carne, incrustetq;, ædificii more, cute: verùm quæ vitalibus maximè & principibus partibus robur verũ & solidam firmitatem conciliet. Nam vires à spiritu confirmari ostendunt aliptæ, qui athletis mandant, ut renitantur frictionibus, easq; obiter interpellent, atq; animum adhibeant semper eis corporis partibus, quæ emolliuntur & contrectantur. Quippe vox, quæ spiritus motio est, non in superficie, verùm quasi in fontibus invalescens, circa viscera calorem alit, extenuat sanguinem, venam omnem repurgat, omnem arteriam aperit, cogi & coagulari non permittit humorem superfluum, sicut fecem in vasis, quæ alimentum recipiunt & conficiunt.

Est autem cumprimis cavendum, ne lædantur nervi in musculis. Siquidem *Galenus* Medicus ostendit nervos quosdam minutos, &, capillorum instar, subtilissimos, partim à dextro, partim à sinistro latere musculis gutturis immissos, quibus vel laqueo interceptis, vel cultro abscisis, vocis impotens animal redderetur, nihil alioqui, quin cæ-

tera peragat, impeditum: Et eos nervos non tantum *Alexandro Damasceno* Boëthii præceptori, cùm de voce & respiratione controversia incidisset, promittebat *Galenus* se ostensurum; verumetiam insertionem magna cum gloria perfecit, *Gal.* lib. de præcognit: ad posthumum.

Vocis insuper naturæ inservit aspera arteria, fistula seu canna illa, quæ ex ore & faucibus deorsum deducta in pulmonem descendit; per quam aër accipitur & redditur. Ejus arteriæ caput, vocatum *Larynx*, proprium est instrumentum vocis, quæ fit in rimula arteriæ, quæ dicitur γλωττὶς, lingula: Eâ coarctatâ vox & sonus acutior, dilatatâ, gravior editur. Et ultima trium cartilaginum, ex quibus asperæ arteriæ caput compositum est, dicitur *Cymbalaris*, non quòd Cymbali formam præ se ferat, sed quòd ibidem vox sonet, perinde ac si Cymbalum pulsaretur. *Pollux* inquit ἐπιγλωττίδα, sive Laryngis operculum esse simplicis tantùm vocis Instrumentum: sed Linguam Articularis, id est, Sermonis esse Organum immediatum. Γλῶσσα πλῆκτρον dicitur, ὅτι πλήττουσα τὸν ἀέρα, λόγον ἀπεργάζεται, quod aërem feriendo sermonem efficit.

Dentes deniq; non parùm juvant pronunciationem, vocisq; modulationem.

Quanquam Medicorũ professioni vocis argutæ ac sonoræ pharmaca permittimus: jucundum tamen, & vocali Cantori non inconveniens est cognoscere industriam & curam, in voce acquirenda & tuenda olim adhibitam.

DEMETRIUS SCEPSIUS, libro quinto decimo de Troico apparatu, eos bonam inquit habere vocem, qui ficu non utuntur, ac idcirco *Hegesianactem*, Alexandrinum historiarum scriptorem, à principio cùm esset pauper. Tragicum fuisse asserit, & aptum ad fingendum atq; sonorum, quia intra decem & octo annorum spacia ficus non gustasset. *Athen.* lib. 3 c. 3. *Cœl.* lib. 19. c. 14. *A. L.* Et Zamæ in Africa aquam canoras reddere voces testatur *Plin.* lib. 31. c. 1. Turpe omnino esset ad canendum negligere culturam vocis, sine qua omnis deest cantui gratia & lepos; cùm ad dicendum in vocis pronunciatione (sine qua C.

Macer, licèt acutissimus, potiùs veterator, quàm orator est *Ciceroni* in Bruto) multum studii & laboris collocatum esse constet.

ISOCRATES solitus est dicere ad familiares de discipulis suis, se quidem decem minis docere, cæterùm qui ipsum docuisset audaciam & vocalitatem, ei se decem millia daturum. Quæ quoniam naturæ sunt, non artis, à præceptoribus dari non possunt: *Plut*: in vita Isocrat.

DEMOSTHENES cùm sibi non tàm artem, quàm pronuciationem deesse animadverteret, subterraneũ locũ domi suæ ædificavit, in quem singulis diebus descendit, vocis componendæ causâ: sæpe etiam duos aut tres menses continuò ibi egit, rasâ alterâ capitis parte, ut ne, si vellet, quidem egredi inde præ verecundia posset. *Ælianus*, lib. 7. variæ historiæ. Et *Plut*: in Demosthene. Istorum in voce comparanda studium longè superavit Musici cantus amor, in *Nerone* indefessus. Is enim eorum quicquam non omittebat, quæ generis ejus artifices vel conservandæ vocis causâ, vel augendæ factitarent. Etenim ut inter Cantores connumerari posset, & vocalis fieri, semetipsum per vomitũ, & secessum, sive Clysterem, summo studio purgavit, abstinuit pomis, cibisq; officientibus, oleo præterea condito vescebatur, & plumbeam laminam pectori impositam gerebat, & sustinebat supinus: donec blandiente profectu (quanquam exiguæ vocis & fuscæ) prodire in scenam concupivit, subinde inter familiares Græcum proverbium jactans: *Occultæ Musicæ nullum esse respectum. Sueton: & Fulgos.* lib. 8. c. 7. *Plinius* lib. 19. c. 6.

Vocis bonitas optanda quidem nobis est primùm; deinde quæcunq; ea fuerit, tuenda & exercenda, sic ut omnia, quæ proferentur sono vocis, rebus, quæ canuntur, accommodato, proferantur.

Inprimis *vocis decorum* ut observetur, ea non sit gravissima: ne submisso murmure debilitetur omnis intentio, ac cantus modulatio supprimatur ac obscuretur. Sic κυκλοβόρȣ φωνὴ, *Cyclobori vox*, de iis dicebatur, quibus vox esset vitiosa raucaque. Est enim *Cycloborus* Atticæ torrens, ingenti strepitu defluens. *Aristoph.* in Equitib. *Erasm.* in Adag. Nec purum vocalem cantum obfuscant ἄτυποι, qui non ha-

bent

bent in lingua explanatam vocum impressionem, ut qui lingua sunt crassiore. *Hot*. de verb. Juris. Itidem qui φοινιδίζειν & βατταρίζειν dicebantur. Φοινιδίζειν autem, id est, phicidissare dicebātur vulgò, puerorum obscœnis amoribus dediti: Quidam malunt ad eos referre, qui litera ρ immodicè & ad fastidium usq; consueverint uti: Siquidem ea gens literam σ solita est in ρ commutare. Quo quidem vitio notantur & *Eretrienses*, attestante Proverbio, ἐρετριέων ρ, *Eretriensium Rho*. Hodie jocus est vulgi in Picardos, cum Lutetianæ fœminæ, ob linguæ delicias, ρ vertant in σ, Masia sonātes præ Maria. *Erasm*. in adag. Βατταρίζειν dicebantur vulgò, qui balbutirent, quibusq; hæsitans & impedita esset lingua, quod Græci τραυλίζειν appellant. Quod vitium ab humore immodico nasci docet *Hippocrates*: unde in pueris ac temulentis ferè accidit. Fit potissimum in τ & ρ (in qua litera & *Demosthenes* multū laboravit, *Alex*.lib.6.c.14.) pro quibus sonant τ λ. Unde fit, ut ægrè suum ipsorum vitium pronuncient τραύλωσιν.

Aristoteles, Sectionis XI. problemate 30, distinguit τραυλότητα, ψιλλότητα & ἰσχνοφωνίαν. Τραυλότητα definit, cùm quis literam quampiam non potest exprimere, non quamlibet, sed certam aliquam: hanc *Theodorus* vertit blæsitatem. Ψιλλότητα verò, cum litera quæpiam aut syllaba supprimitur, veluti cum πτεύει dicitur, pro πιστεύει: hanc *Theodorus* vertit balbuciem. Ισχνοφωνίαν autem, cum non valent expeditè syllabam syllabæ contexere pronunciando; quam *Theodorus* vertit linguæ hæsitantiam.

Propter huiusmodi linguæ vitium multos cognominarunt, utpote *Battum*, *Bambalionem*, *Balbum*.

Batto, cuidam Thebano, vox fuit exilis, linguaq; parùm articulata: cui *Pythia* dixit: Βάττ' ἐπὶ φωνὴν ἦλθες, Batte ad vocem venisti. *Hisych*. *Erasm*. Et *Herodotus* in Melpomene ait, Battum fuisse appellatum, lib. 4.

M. Fundanium *Cicero* III. Philip scribit cognominatum *Bambalionem*, ab hæsitantia linguæ. Et Græci Grammatici tradunt βαμβαλίζειν valere tremere corpore propter frigus, atq; horrere: hujuscemodiq;

aliquem dentium tremorem ostendere arbitrantur voluisse *Homerum*, cum in χ Iliadis de Dolone jam capto cecinit, ὁ δ' ἄρ' ἔστη ταρβήσεν τε βαμβαίνων, tanquam metu ille impeditam linguam haberet, &, cùm vellet loqui, exprimere verba non posset, sed balbutiret. *Victorius* lib.17. *Valerius* lect. c.14.

Hîc quoq; monendi sunt Cantores, ut studeant sinceræ pronunciationi citra confusionem aut perversam corruptionem literarum: Sic enim, quod canitur, cum intellectu auscultantes afficit. Sit itaq; A non obscurum, sed clarum; cujus literæ genuinum sonum docet *Terentianus*, priscus Grammaticus, hoc Sotadeo:

A (inquit) *prima locum litera sic ab ore sumit:*
Immunia rictu patulo tenere labra,
Linguamq; necesse est ita pendulam reduci,
Ut nisus in illam valeat subire vocis:
Nec partibus ullis ferire dentes.

E sit purum, non ut alicubi EI.
O rotundo ore efferatur, neq; item obscuretur. &c.
S non sit exasperatus sibilus, satis est, si sit sibilus, quem quia spirat, serpertina est habita & dicta litera.
Σ illud, nihil tale meritum, *Athenienses* in perpetuum exilium egerunt; Et ut puellas & amatores molles imitarentur, *Poëta* Atheniensium non solùm minùs frequentandum sibi censuerunt, sed relegandum etiam ultra Scythiam, ut versus universi essent ἄσιγμοι. Etiam Magistrorum dicendi quidam dixisse fertur, ferarum sonum videri vix dignum.

Quin & Musicos ipsum Σ habet minùs faventes, ut ajunt dipnosophistæ. Sic enim apud *Athenæum*: Τὸ δὲ ΣΑΝ ἀντὶ τοῦ Σ δωρικῶς εἰρήκασιν. Οἱ γὰρ Μουσικοὶ καθάπερ Ἀριστόξενός φησι, τὸ σίγμα λέγειν παραιτοῦντο, διὰ τὸ σκληρόστομον εἶναι καὶ ἀνεπιτήδειον αὐλῷ.

Terentianus autem de S non prorsus sinistrè sentire videri possit his versibus:

S promptus in ore est, agiturq; pone dentes

Sic

Sic lævis & unum ciet auribus susurrum.
Neq; enim carpitur lævor, neq; lævis susurrus
Insuavis est.

Relinquamus S Suevicum, sibilum superfluâ aspiratione exasperans, quo & alii & simii quidem utuntur, qui peregrinitatem quoque absq; ratione colunt.

Porrò videndum est, ne vox sit acutissima: canere enim omnia clamosè, insanum est. Siquidem in vociferationibus nimis commotis & asperis efficit spiritus impetus, & contentio inæqualis rupturas & convulsiones. *Plut:* præcept. sal. Auscultantis item aures obtundit, & animum stupore corripit. Ut itaq; æquabili sono correspondeat concentus, moderatione quadam regenda est vox, quam nimis acutam & magnam edit Natura.

Cujusmodi vocem firmam & ferream *Homerus* tribuit Stentori, quâ vincere alios quinquaginta potuit. *Erasm.* in Adag. *Homer.* Iliad. ε. ὃς τόσον αὐδήσας χ' ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα. Et *Carneadem*, Cyrenensem Philosophum & Dialecticum insignem, *Plutarchus* scribit fuisse μεγαλοφωνότατον, id est, maximæ & sonantissimæ vocis, adeò, ut Gymnasii princeps eum monere cogeretur, ne tantoperè clamaret. At ille; Da ergo mihi vocis modum; Respondit Gymnasiarcha: Modum habes auditores tuos. *Plutarch.* de Garrulitate. *Laërt.* lib. 4.

ANTIPATER Stoicus eam vocis magnitudinem cùm nec posset nec vellet assequi, aggressus Antilogiarum concinnare libros, cognominatus est καλαμοβόας Calamo-vociferans. *Cælius* lib. 19. c 15. Etiam inter alia, quibus *Æschines* lapidat Demosthenem, τὸ βοιωτιάζειν objicit, quòd Bœotorum more vociferaretur immodicè, & indecorè, instar bovis (vel quòd Bœotorum partibus faveret) *Erasm.* in Adag.

Faceta est clamosi reprehensio, quando, stentoreâ voce quodam clamante, quædam ex adstantibus fœminis plorare consuevit: Ille mulierem ad se vocatam rogavit, quæ causa esset fletus, num voce sua cōmota lacrymas effunderet? Respondit illa: sibi à marito moriente asellum relictum, inopiæ suæ præsidium: Eo defuncto ægrè se victum tolerare: Itaq; quoties illum audiat, magna voce boantem, videri sibi *asi-*

num ſuum ru·dere, cujus recordatione ad fletum vel invita compellatur. *Poggius* in Facetiis.

Quondam ſervos venales & præcones commendabat vox nimis clara & firma: Unde de *M. Cœlio*, qui clara firmaq; voce valuit, ne miremini, inquit *Cicero:* nam hic unus ex his eſt, qui proclamarunt; ſignificans illum fuiſſe præconē, & hoc uſu contigiſſe, ut eſſet vocalis. *Eraſm.* in Apophth. Sic ludens *Cicero*, vociferantes, dicit, claudis eſſe ſimiles, qui ex imbecillitate ſic ad clamorem, ut illi ad equos, confugerent. *Plutarch.* in Cicer. & in Apophth.

Alioqui vocis magnitudo laudi tribuitur Naturæ Heroum fortiſſimorum, quibus *Homerus* Epitheton apponit; quod ſint βοὴν ἀγαθοί. Nam ubi magna & clara eſt vox, etiam thorax eſt magnus; Ergo (ut Medici docent) cor quoq; calidum, unde animoſitas; & cerebrum robuſtum, unde robur corporis provenit.

THRASYBULUS, Dux claſſis, ſuperavit vocis magnitudine omnes Athenienſes ſua tempeſtate, *Sab.* lib. 8 En. 3.

Hujuſmodi clara voce gaudent, qui pericula in tempore avertenda acclamant. DARIUS Rex cùm è Scythia fugeret, & ad pontem, quem Iones propter Scythas interruperant in Iſtro, nocte intempeſta veniſſet, ſuſpicatus ſe proditum, mox Ægyptium quendam omnium hominum vocaliſſimum, ſupra ripam Iſtri poſitum, juſſit inclamare Hyſtiæum Mileſium Tyrannum: Hic auditus acutiſſimi, illum ſæpius inclamantem ad primam inclamationem exaudivit, & Darium cum exercitu è Scytharum eripuit manibus, cùm ratem in Iſtro cum reliquis Ionibus contra Scythas in Darii gratiam tueretur, eam tamen ſolviſſet, quantum ſcilicet, ne Scytharum ſagittis ſocii infeſtarentur, ſatis erat. *Herodot.* lib. 4.

PESCENNIUM NIGRUM Imp. legimus voce adeò fuiſſe canora, ut in campo loquens per mille paſſus audiretur, ni obniteretur ventus. *Cœlius*, lib. 19. c. 12. *A. L.*

CAROLUS quoq; MAGNUS voce virili & clara fuiſſe legitur, licèt corporis formæ ſeu proceritati non reſpōderet. *Cranz.* lib. 2. Saxon. *c. 7.*

ERICO

ERICO II. Danorum Regi vetuſtiſſimo, & admodum procero, vox tam ſonora fuit, ut non ſolùm à præſentibus, ſed etiam à remotiſſimis liquidò exaudiretur. *Saxo* lib. 12.

At Heroibus ſuam relinquamus laudem, & quæ Cantoribus conveniat vox, quæ minùs, dignoſcatur.

In intermediis inter imum ſub imumq; ſpaciis eſt conſiſtendum. Atq; ad vocem obtinẽdam nihil eſt utilius, quàm crebra mutatio, nihil pernicioſius, quàm effuſa ſine intermiſſione contentio. Solent inepti omnia ſine remiſſione, ſine varietate, vi ſumma vocis, & totius corporis contentione & canere & dicere: quod vitium in ſe, ubi peragratâ Græciâ & Aſiâ rediit, mutatus *Cicero* emendavit.

Et ad vocis moderationem *Grachus* tantam ſcientiam & diligentiam adhibuit, ut ſervum Erycinum, literatum hominem & peritum, poſt ſe occulto loco haberet, qui concionanti inflaret eburneolâ fiſtulâ ſonum, quo illum aut remiſſum excitaret, aut à contentione revocaret.

In omni quippe voce eſt quiddam medium, ſed ſuum cuiq; voci: gradatim aſcendere & intendere vocem, utile & ſuave, & illud idem ad firmandum vocem ſalutare eſt. A principio clamare in cantu, agreſte quiddam eſt. Eſt deinde quiddam contentionis extremum, quod tamen inferius eſt, quàm acutiſſimus clamor. Eſt item contrà quiddam in remiſſione graviſſimum, quo tanquam ſonorum gradibus deſcenditur præcipuè ad finem cantus.

Hæc varietas, & hic per omnes ſonos vocis curſus & ſe tuebitur, & concentui afferet ſuavitatem. Hæc ſiquidẽ ſumma cauſa eſt cantionis, & in ea pronunciationis, ut vox ſit animi interpres & nuncia. Sunt enim voces, ut nervi in fidibus, atq; ita ſonant, ut à motu animi ſunt pulſæ.

Ad *Cantum*, vel Diſcantum exprimendum vox parva & exilis requiritur, & magis puerum decet eſſe ἰσχνόφωνον, quàm Chærephontem. *Cælius*, lib. 13. c. 1. A. L. Ubiq; cum moderatione vox clara & ſonora cantui conciliat venuſtatem, ſi Cantor naturâ fuerit λαμπρόφωνος, h. e.

vocis ſonantioris, qualis *Æſchines Tragœdus* celebratur, teſte *Plutarcho,* in vitis decem Rhet.

In cantu *florido*, (de quo in Tomo IV.) qui Choralem cantum harmonia & conſonantiis, ceu floſculis, eleganter exornat & efflореſcere facit, agilis & flexibilis vocis velocitas ſuam omnino meretur laudẽ; quoties præcipuè ſonos, notulis majoribus deſcriptos, cõvenit diſcerpere, & hinc inde vagabundo vocis velocioris motu exprimere per fuſas & ſemifuſas, quas *Chromata*, id eſt, colores appellant veteres; Unde videtur Germanis aſſumpta dictio Coloriren.

Fictam & alienam ab homine aſſumere vocem & in oratione & in cantione magnũ eſt dedecus, & naturæ violentum. λαρυγγίζειν Græcis dicuntur, qui non loquuntur naturali modo, ſed dilatato gutture effundunt immanem vocem: Quemadmodum & canunt nonnulli. Quod vitiũ *Demoſthenes* objecit Æſchini, quòd non ex animo loquens vocem præter naturam intenderet. *Eraſm.* in Adagiis.

Sunt, qui voces avium, pecorumq; & aliorum quorundam hominum ſic imitantur atq; exprimunt, ut niſi videantur, diſcerni omnino non poſſint. *Auguſtinus*, lib. 4. de civ. Dei, cap. 23. MAGNES ex Icaro urbe Comicus, omnium animantium voces imitatus eſt, & ab iiſdem nomen fabulis ſuis indidit: quemadmodum ARISTOPHANES Ranarum coaxatum, Avium voces, Veſparum bombos imitatus eſt. *Gyrald.*

In quendam vocis abſonæ *Auſonius* ſic ludit:

Latratus Catulorum, hinnitus fingis Equorum,
Caprigenumq; pecus, lanigerosq; greges
Balatu aſſimilas: Aſinos quoq; rudere dicas,
Quamvis Arcadicum fingere turpe pecus.
Gallorum cantus, & ovantes gutture corvos,
Et quicquid vocum bellua ſelis habet.
Omnia cùm ſimules ita verè, ut ficta negentur;
Non potes humanæ vocis habere ſonum.

Democritus tamen oſtendit, Homines ſummis in rebus eſſe beſtia-

rum

rum discipulos, & inter alias oloris & luſciniæ, in cantu & voce fingenda, ſuaviter modulantium. *Plutarch.* de animantium comparatione.

Lectu dignus eſt *Ovidius* in Philomela, de proprietatibus avium. Et Muſicæ quidem ac Poëſi augurio eſt fauſto *Luſcinia*, quãdo in ore *Steſichori* Poëtæ infantis cecinit. *Plinius* lib. 10. c. 29; atq; Tiſiæ, Heſiodi Filii, infantis ori inſediſſe dicitur. Luſcinias, cæteris ſuaviores ac vocaliores, tradunt Thraces circa Orphei ſepulchrũ nidificaſſe. *Pauſan.* in Bœoticis. *Natal. Com.* Mythol. lib. 7. c. 14. CHRYSIPPUS Luſcinias, in quibus elegantiæ ſtudium natura expreſſit, non alendas putat, & eos, qui alunt, graviter increpat. *Plutarch.* in lib. de Republ. Nefandæ itaque ſunt & deteſtabiles *Heliogabali* epulæ, quas inter alias delitias luſciniarum linguis inſtruxit. *Lamprid.*

Cæſares juvenes habuiſſe leguntur Luſcinias, Græco atq; Latino ſermone dociles: præterea meditantes in diem, & aſſiduè nova loquẽtes, longiore etiam contextu: *Plinius* lib. 10. c. 42. Unde apud Romanos olim Luſciniæ immenſo precio vendebantur, ampliore etiam, quàm olim Armigeri: *Plinius* lib. 10. c. 29. Seſtertiis ſex candidam, alioquin, quod eſt propè inuſitatum, veniſſe ſcribit, quæ Agrippinæ, Claudii Principis conjugi, dono daretur. Quanquam meritò deridenda eſt *Laconis inepti ſtoliditas*, qui, cùm aviculæ corpulentiam voci non reſpõndere, ſed vulſis pennis exiguam carnem reperiſſet, Luſciniam abjecit, veriſſimum tamen de ea pronunciavit: *Nil aliud, quàm vox es Luſcinia.*

Et certè, qui Luſciniæ dulciſonæ varias voces, & cantus imitatione reddentem detrectaret, dum ſæpe audiiſſet ipſam, vel alter *Ageſilaus* eſſet. *Plutarchus* in Apophth.

Valde & nimiùm, ſub morbo etiam, & ad obitum uſq;, Luſciniæ cantum amavit ULADISLAUS JAGELLO, Polonorum Rex: Is enim, cùm nocte præcedente, quæ præter temporis rationem frigida fuerat, in ſilvis Luſciniæ cantu ſeſe de more oblectans, cœli intemperiem pertuliſſet, obiit febre correptus: *Cromerus* lib. 20.

Et cùm Patavio, animi gratia, per Oporinas ferias Venetiãs pro-

fecti essemus, scribit *Zuingerus* sub annum salutis 1558. in parte urbis eminentissima & frequentissima, quam Rivum altum vocant, Turcus quidam mercator complures aviculas, quæ ob vocis suavitatem in precio habentur, venales conspicatus, aliquot nummis aureis redemptas, eo solo nomine, ut earum libertati consuleret, spectantibus cunctis & applaudentibus manumisit. *Zuingerus* Theatr. volum. 14. lib. 1. f. 2905.

Ne autem longiùs digrediamur, sed ut vocis circumplexæ & moderatæ observationes, imitationésq; contrahamus & finiamus, operæ pretium est, colophonis loco hoc addere; videlicet in singulis affectibus, quorum pulsum tactumq; voces exprimunt, vivam accommodationem spectandam esse. In alio enim affectu aliud vocis genus requiritur tàm canendo, quàm dicendo: qua de re *Thrasymachus* jam ante Aristotelem ἐν ἐλέοις quædam præcepisse videtur.

In miseratione igitur vox cantus erit flexibilis, plena, interrupta, flebilis, quæ vel lacrymas excutiat.

In iracundiæ textu vox contraria est, acuta, incitata, crebrò incidens.

In voluptatis cantu, tenerum, lene, effusum, hilaratum vocis optatur.

Dolor sine commiseratione grave quiddam & imo pressu ac sono obductum requirit.

In blandiendo, faciendo, satisfaciendo, rogando levis vox & summissa est.

Atq; hæc de vocis moderatione in dictionum & affectuum cantu: ad quam exercendam *Medicina* continuanda est, ut à cœna post Solis occasum frictiones & certorum spaciorum inambulationes teneantur. Recreandæ voculæ causâ necesse est mihi ambulare, scribit jam ætate gravis *Cicero* ad Atticum. *Quintilianus* huc adjungit Unctiones, temperantiam Veneris & victus: ejusmodi diætam à *Nerone* observatam suprà scripsimus.

CAPUT VIII.

De Musices cognatione cum Ethica, Physica, & Mathematica.

VT artes inter se cognationis vinculo connexæ sunt omnes: Sic Musicam etiam certa analogia & ratione cognatam, & cum Naturali & Morali adeoq; Civili, nec non Mathematica Scientia conjunctam esse, certo est certius: Unde à Musico bono bonum Physicum, bonum Ethicum, bonum Jurisconsultum, bonum Politicum, bonum fortemq; Polemicum & Mathematicum non abhorrere colligimus.

Nam *Plato* in 4. Politicorum *Justitiæ Universalis* definitionem, quòd sit obedientia omnium virium erga Deum, declarat ipse ex similitudine de Harmonia. *Ut* enim in cantilenis voces præcipuæ sunt; ὑπάτη Infima, id est, Bassus, ἡ χορδὴ μυσικὴ βαρὺν φθόγγον ἀποτελῦσα, Chorda Musica gravem sonum perficiens: Μέση, Media, id est, Tenor & Altus: καὶ Νήτη, q: νεάτη, seu prima vox, id est, Discantus. *Ita* in anima facit tres partes, quarum Primam & Supremam, in qua est cognitio, ratiocinatio, judicium, & libertas voluntatis, nominat ἡγεμονικὸν, cujus sedem in cerebro esse dicit, & confert cum ὑπάτῃ. Quia ut hæc vox infima gravissima est, ita regit cæteras; ideoque, de *Platonis* sententia, judicium rationis certum est, hoc est, Lex Naturæ, seu Notitiæ naturales sunt veræ & immotæ. Secundam partem animæ, quam in corde collocat, θυμικὸν nominat, quia cor ciet affectus, qui sunt satellites, ministri & executores rationis. Et hanc comparat ad μέσην, quia aliàs affectus obtemperant rationi, aliàs contumaciter repugnant. Infimam deniq; partem animæ nominat τὸ ἐπιθυμητικὸν, quia continet appetitiones vegetativæ potentiæ, quarum sedes est in Epate. Hanc partem, cùm longissimè ea absit à ratione, sicuti sitis & fames, minùs reguntur consilio, transfert ad νήτην, seu νεάτην, h. e. Supremam vocem.

Sicut igitur in Musica, cùm voces aptè & concinnè inter se con-

sonant,

ſonant, ſuavis & dulcis harmonia efficitur: *Ita* cùm inferiores vires, videlicet affectiones & appetitiones in cibo & potu & cæteris voluptatibus, obtemperant rationi, quæ tenet principatum, dulciſsima eſt omnium virium in hominis natura inter ſe conformitas; quam concinnitatem, ſeu harmoniam virium inter ſeſe poſtea *Plato* inquit primam juſtitiam & primam virtutem eſſe.

Porrò Virtutis definitione aſſerta, quòd ſit conſenſus & Harmonia inferiorum virium cum recta ratione, quæ eſt Lex Naturæ, adeoq; cum ipſo Deo: εἴδη ψυχῆς, ſeu, ut cum *Ariſtotele* loquamur, Potentias animæ, τὸ ἐπιθυμητικόν, τὸ θυμοειδὲς, καὶ τὸ λογιστικόν, confert *Plato* ad tres Ordines in optimè conſtituta Repub. qui ſunt τὸ χρηματιστικόν, τὸ ἐπικουρικόν, τὸ βουλευτικόν, & oſtendit ἀναλογίαν inter ſe partium, qua fit, ut eâdem ratione virum juſtum dicamus, ſicuti totam civitatem. Etenim ſi parti, principatum tenenti, reliquæ inferiores ſe ſubjiciant & accommodent, & ſingulæ cum fide faciant officium proprium; effici ſtatuit ſtatum illum, conſentaneum naturæ, tanquam ſanitatem, & pulchritudinem, & optimum habitum totius animi: ſeu tanquam Harmoniam trium chordarum totius ſyſtematis Muſici, νεάτης, ὑπάτης, καὶ μέσης, & cæterarum, quæ his interjectæ ſunt, in unum concentum conſpirantium: Sin contrà fiat, diſceſsione partium factâ, morbum illum exiſtere, ſeu deformitatem, ſive imbecillitatem animi, quæ vitium nominetur, veluti confuſum & abſonum quendam ululatum diſcrepantium ſonorum.

Phyſicæ cognatam vim Muſicæ prodit uſus, qui in omni vita locum habet, ut mox demonſtrabitur infrà, nec modò in ludicris rebus ad remiſsionem & relaxationem animi, verùm etiam in ſeriis. Animus enim noſter concentu & Harmonia mirificè delectatur: Eamq; ob cauſam *Plato* animam harmonicè à primo opifice creatam aſſerere non dubitavit. Quandoquidem *ſimile ſuo ſimili oblectari ſolet.* Rationem horum in numeros transfert *Plato.* Subeſt tamen occulti quid, hoc eſt, divini, quod aliquando corporea mole exuti perfectè cognoſcemus.

Ad *Arithmetica* cum Musica, sacratissima arte, cognationem quod spectat, certum est Musicam subjici Arithmeticæ. Numerus enim, sine complicatione cum alio consideratus, puram ponit Arithmeticam. At si fuerit complicatus cum alio subjecto, & servaverit considerationem Arithmeticam, ut considerari potest cum sono, & consurgit Musica, quæ subjicitur Arithmeticæ, & considerat numerū sonorum. Non inscitè Græci decentem carminis motum εὐρυθμίαν vocant. *Numerus* certè *amussis est*, quæ æquando operi Musico semper est adhibenda, & nihil est uspiam, quod ultra citraq; numerorum præscriptum rectè geri possit. Unde intelligimus, Musicam quandam cognationem habere cum judiciis, in quibus si quid præter præscriptum fiat, æquè dissonant secum pariter, ac dissident omnia. *Themistoclem* propterea ajunt, cùm ab eo Simonides Poëta iniquum judicium efflagitaret, his verbis elusisse hominis petulantiam: *Neq; tu Simonides, bonus Poëta esses, si præter numerum caneres: neq; ego bonus Princeps, si præter legem judicarem.*

Cum *Astronomia* quod commune, vel cognatum habeat Musica munus ac officium, porrò attendatur. Ex cæteris profectò disciplinis Musica & Astronomia non parum conferunt pro recta appetitionum conformitate: Ratio est, quia duo sunt sensus, cum animo summoperè juncti, rectæ nostræ institutioni præsertim destinati, ad quos etiam præcipuè pertinet imitatio, Visus scilicet, & auditus. Visui conducit Astronomia, per quam cœlestia intuentes, ad eorum imitationem internas animi appetitiones rectè componimus: Propterea in Timæo dicit *Plato, homini tributos esse oculos, ut inspicienti regulatissimos cæli motus congruentem modum suis appetitionibus imponeret.* Musica respondet auditui: quæ ob rationes & proportiones, ex quibus constat, miram habet cum anima, rationis compote, antipathiam & sympathiam; ut unusquisq; in seipso manifestissimè experitur. Propterea ut visus & auditus germani sunt sensus, nostræ institutioni inservientes: ita duæ illæ disciplinæ, eis proportione respondentes, germanæ à veteribus denominatæ fuerunt.

Constat inde, quàm salutare censeri debeat Symbolum illud *Pythagoræ*, dum dixit: *Qui congruenter animum à perturbationibus purgare studet, salem adhibeat, cantuq; ad lyram utatur.* Sal sapientiam indicat, quæ cum prudentiæ recta ratione juncta, salutarem in appetitionibus consonantiam parit.

Astronomicam præterea cum Musica cognationem, Jano Dousa Filio, eruditè ad Lectorem de lib. rerum cœlestium scribente, repræsentat *Jopas*, qui apud *Virgilium*, principem Poëtarum, inter regias epulas errantem Lunam Solisq; labores ad citharam canit. Nec ob aliam causam *Orphei Chelyn* in sidera relatam ab antiquis arbitremur, quàm quòd Astrorum cognitionē Musicis Poëticisq; modulis quàm maximè cognatam crederent. Nam & ipse Orpheus in Hymnis cœlum universum Apollinis Citharâ temperari testatur: Et *Pythagoræi*, dum incredibilem Harmoniæ cœlestis suavitatem sibi fingunt, *Sirenas* suas etiam illic evexerunt, quæ molem illam, tot siderum collucentibus oculis contextam, discordi quadam concordia, & acutorũ cum gravibus temperatione modulantur: adeò ut etiam floribus Hymnos assignent iidem, quibus alii Soli, alii Lunæ, plausu quodam cœlestibus Camœnis respondente, accinant & gratulentur.

Hinc clarissimi quidam Mathematicorum, stellarum configurationes, & motus earum in Epicyclis, & longitudinum altitudinumq; differentias, Diatonicis, Harmonicis & Chromaticis rationibus accommodârunt. Hinc apud illos *Saturnus Dorio, Jupiter Phrygio, Mars Lydio, Mercurius Phthongo* movetur.

Adhæc Astrorum positus ad Orientem, vel Occidentem, gravissimis sonis; ubi ad cœli meditullium pervenêre, acutissimis comparantur.

Sed & in Hymnis Deorum *Stropha* extimi cœli conversionem, *Antistropha* septem siderum contrarios motus, *Epodos* terræ quietem indicabat.

Et dierum ordo, ut quidam censent, de septem stellarum vocabu-

lis appellatus, ratione quadam Harmoniæ, quam διαπασῶν nominant, cum cœlestibus illis anfractibus rotationibusq; congruente, distinguitur.

Atq; hæc sanè de Musices cognatione cum Ethica, Physica, Arithmetica & Astronomia, ex aliis retulisse, & obiter tantùm attigisse sufficiat. Si cui libido esset philosophandi, illi amplissimus hîc pateret campus, mihi sanè tantum otii non contigit, neq; adeo operæ-pretium visum fuit.

CAPUT IX.

De Musicæ vi & efficacia, atq; usu παθητικῷ *ad affectus cùm placidè sedandos, tùm rapidè excitandos.*

TAnta profectò est Musicæ δύναμις & ἐνέργεια, ut nec *Platonis* melle tinctâ loquelâ, neq; *Demosthenis* grãdiloquentiâ satis queat prædicari. *Musica* enim perito instructa artificio, ebullientium instar fluctuum maris, Affectuum ac perturbationum vehemens & suscitatrix & domitrix est; quæ modò rationem adeò percellit, penetrat ac obnubilat, ut de sua sede deturbari videatur; modò effervescentes animi motus in placidum & tranquillum collocet portum. Meliorem hunc usum scitè commendat *Dion Chrys.* Orat. 32. ad Alexandrinos, Musicam inventam asserens θεραπείας ἕνεκα τῶν ἀνθρώπων τῶν παθῶν, καὶ μάλιστα δὴ μεταστρέφειν ψυχὰς ἀπηνῶς καὶ ἀγρίως διακειμένας, propter medicinam humanorum affectuum, & potissimùm, ut in rectum possit reducere statum mentes, sævitiâ & feritate affectas. Et Musicã, ait *Plato*, elegantiæ & cõcinnitatis opificem, hominibus à Deo non deliciarũ causâ, aut pruritus auriũ datã, sed cõcessam, ut animi periodos & harmonias turbulẽtas & erraticas in corpore, Musarũ & Gratiarũ penuriâ, sæpenumero

per insolentiam & improbitatem lascivientes, iterum revolvat decenter & reducat: ὅσα δὲ μὴ πεφίληκε ζεύς, ἀτύζονται βοὰν Πιερίδων ἀΐοντα: ut est apud *Pindarum*; Quæ non amavit Jupiter, hæc obstupescunt graviùs, cùm Pieridum audiunt vocem: siquidem efferantur fremantq;. *Plutarchus* de Superstitione.

Ut enim, quando in corpore humano humor aliquis vel quantitate vel qualitate excellit, fit ἀπόστασις, & ex ἀποστάσει στάσις: *Ita* quando in corde & arteriis spiritus, fit perturbatio & commotio.

Similitudinem videntur habere spiritus cum humoribus, nimirum, ut alii sint *Cholerici*, à quibus ira, indignatio, ἐπιχαιρεκακία; alii *Sanguinei*, qui gaudium, amorem, pudorem movent; alii *Pituitosi*, à quibus timor & segnities; alii deniq; *Melancholici*, invidiæ, tristitiæ & similium instrumenta. Sed hi affectus animi Musicâ suaviter leniuntur, quoniam inæqualia adæquantur. PYTHAGORAS quoque censuit repentinos animi motus & mentis perturbationes nulla re magis, quàm vocum concentu emulceri. *Alex.* ab *Alex.* lib.2.c.25. *Seneca* lib.3. de Ira cap.9.

Sententiam hanc, & hîc, & suprà de Modorum affectu assertam, viva exempla & historiæ comprobant.

HOTHERUS, Hodbrodi Suevorum Regis, ab Helgone Danorum Rege cæsi, filius, Musicæ omnigenæ peritissimus, ad quoscunq; volebat motus, variis modorum generibus humanos impellebat animos; gaudio, mœstitiâ, miseratione, vel odio mortales afficere noverat. *Saxo* lib.3.

Et fama est EMPEDOCLEM AGRIGENTINUM cantiunculâ quadam furibundum adolescentem, nudoq; ferro hospitem impetentem suum, compressisse atq; sedasse. *Zuingerus* in theatro vitæ humanæ.

ACHILLES, Chironis Centauri discipulus, in Iliade accinens Citharæ veterum res gestas, furorem & indignationem, contra Agamemnonem conceptam, sopire videtur. *Ælianus* lib.14. de var. hist. & *Athenæus* lib.14.c.10.

ISMENIAS,Choraules peritiſſimus, Antigenidis diſcipulus, teſte Boëthio, multis ægritudine laborantibus omnes animi moleſtias abſterſit.

CLINIAS, Philoſophus Pythagoræus,ſi quando ad iracundiam ſe præcipitem ferri ſenſiſſet, mitigatus eſt animo, Muſicâ & chordis. *Ælianus* lib.14.de variis hiſtor:& *Athenæus* lib.14.c.10. *ex Chameleonte.*

Et GILIMER Vandalorum Rex, obſeſſus in monte Papua à Beliſario, Muſicæ vim & ſolamen in miſeriis intellexit, quando præter panem ad famem ſedandam,& præter Spongiam ad lacrymas abſtergendas,etiam Citharam ad triſtitiam pellendam petiit ab hoſte. *Procop.* lib.4. Vandaliæ, & *Cedrenus.* Et *Joach. Garcæus* D. in Aſylo, h. eſt. in exegeſi Pſal. 90.

In quinto dogmatum Hippocratis & Platonis ſcripſit GALENUS verba *Poſidonii Philoſophi.* Damon, inquit, Mileſius, cùm ad Tibicinam acceſsiſſet, quæ Phrygiis modis adoleſcentes quoſdam temulentos ad furorem uſq; incenderat,juſsit ad Doricas leges tonum demittere: quo illi demulſi quievêre.

Boëthius in præfatione Muſicæ hoc tribuit Pythagoræ, quòd incentione modi Phrygii incitatum adoleſcentem, patriâ barbarum,vino temulentum,irâ furentem,quum jam ædibus amicæ, quæ rivalem admiſerat,ignem admovere tentaret,tibicinâ juſsâ Spondæos ſuccinere,ad ſobriam mentem revocarit.

TIMOTHEUS,cùm ad Alexandri menſam caneret Orthium modulum,Regem repentè,velut inſanum, ſtatuit in pedes, coëgitq; in arma proſilire: rurſus remittente cantu, continuò & Regis remiſit affectus. *Sabellicus* lib. 10. c. 8. ex Plutarcho.

ALEXANDER quoq; Antigenide tibicine aliquando carmen modulante Harmatium,uſq; adeò velut lymphatico impetu permotus eſt & exarſit, ut concuſsis armis proripiens, è mediis epulis manus propè accumbentibus injecerit; illectus bellico ſono, verum oſtendens illud Laconicum : *Urget enim ferrum ſcitè fidibus canere,* ſuffragiumq; adjiciens Spartiatis cantantibus:

In ferrum ſerpit, Citharam pulſare peritè.

Nec ita multò poſt molliori ſono & mitiori Cithararum ictu ab armis ad epulas fuit revocatus; referente *Henrico Salmuth*, in lib. 1. de rebus memorab. *Gvidonis Pancirolli*, tit. de Muſica ex Plut. Orat. 2. de Alexandri fortuna & virtute.

Nec raró videmus, Heroës concentuum ſuavitate impetus ſuos intempeſtivos veluti fregiſſe. Allegari poſſet exemplum D. Lazari Suendii, noſtri ſeculi excellentis & militaris herois, qui ſæpenumero Turcarum impreſsiones magna cum laude tàm ſuorum, quàm hoſtium fregit, quem ſcimus, & ipſemet vidi & audivi, inquit *Camerarius*, Muſica Inſtrumenta mitiora ad refrenandos & demulcendos generoſos impetus, intempeſtivè occurrentes, adhibere ſolitum fuiſſe. *Camer. Centur. 2. cap. 81.*

Quid quòd & Muſicus modus picturæ, quæ dignoſcenda exponitur, ritè adhibitus, oculos & animum contemplantis mirificè adficiat?

THEON, cùm pinxiſſet virum armatum, qui excurſionem ex urbe repentè faceret, & furore quodam correptus in hoſtes irrueret; non tamen priùs exhibuit picturam, quàm Tibicinem juxta collocaſſet, quem juſsit carmen Orthium canere, penetrans & clamoſum, quàm fieri poſſet maximè, & quod ad prælium animaret. Simul ac igitur auditum eſt carmen aſperum & horrendum, atq; tubâ quaſi armatorum expeditionem ſonante, picturam oſtendit, & miles conſpectus eſt, cum efficaciorem cogitationem de excurrente in animis hominum cantus excitaret. *Ælianus* lib. 2. var. hiſt.

Apud ERICUM II. cognomine BONUM, Daniæ Regem, Citharœdus quidam de ſua arte diſſerere cœpit, ſuo cantu homines ad furorem, amentiamq; pertrahi poſſe jactitans. Rex novitate rei motus, ſpecimen profeſsionis edere juſsit. Annuit ille: at ne qua nocendi hominibus anſa daretur, juſsit priùs omnis generis arma efferri, & certis in locis collocari cuſtodes, qui cognito veſanorum ſtrepitu irrumperent, ereptamq; Citharam capiti illiderent, ne & ipſi in rabiem agerentur, reliquos à mutuis verberibus arcerent. Primò quidem inuſitatæ ſe-

verita-

veritatis concentum edidit, quo auditores in mœrorem ſtuporemq; ſunt everſi: Deinde adeò ſuavem & jucundam harmoniam, ut mutato animo gaudium etiam externis geſtibus, & motu totius corporis proderent: Tandem verò acrioribus modulis concitati, vociferari & tumultuari cœperunt. Cuſtodes irrumpunt, ut Regem cum aliis furentem contineant. Sed ille effractis atrii foribus arrepto enſe quatuor transfodit. Vix tandem pulvinarium mole, undiq; congeſtorum, obrutus, contineri potuit. Menti reſtitutus, Hieroſolymam expiandorum homicidiorum cauſa petens, Haraldo filio Regni procuratore relicto, in Cypro defunctus eſt, atq; ibidem cum conjuge ſepultus, uti *Saxo* lib. 12. Daniæ teſtatur.

Ad hanc hiſtoriam reſpicit citatio *Camerarii*; Sic enim adducit in Centur. 1. c. 18. Lyſius Gyraldus refert hiſtoriam Danicam de Muſico, qui tanta modulandi vi excelluit, ut ſe audientes mente alienare, id eſt, modò lætos, modò triſtes, imò furioſos efficere poſſe, gloriari ſolitus ſit: idq; eum in præſentia Regis præſtitiſſe. Et addit, ſe propè paria non ſemel apud Leonem X. ſpectaſſe. *Et in Cent. 2. c. 81.* Et noſtra ætate Inſtrumenta Muſica habemus, quæ ſimilem (nempe Timothei Mileſii modulis) vim habere cernimus; & in Danica hiſtoria, nec non & in Cornelii Agrippæ libro legimus; Muſicum quendam tanta modulandi vi gloriari ſolitum, ut ſe audientes mente diceret abalienare poſſe, cumq; id Regis Daniæ juſſu facere cogeretur, adſtantium animos ſoni varietate flectere eſt aggreſſus. Itaq; inuſitatæ ſeveritatis concentu edito, quadam veluti mœſticia & ſtupore omnes complevit, ut extra ſe poſiti viderentur: Dein mutata modulorum ratione in plauſum, læticiamq; deflexit, ut & corporis motu geſtirent: poſtremò acrioribus modis ad tantum amentiæ adſtantium animos concitavit, ut in furorem ac rabiem quandam præcipites traherentur. *Hæc Camer.* Quis non ſtupeſcat ex tam varia vi Muſicæ, qua animum hominis in tantas perturbationes è rationis ſede præcipitari, & extra ſe rapi videmus?

Et cùm Bachum Tyrrheni navicularii transvecturi, & Nymphis nutricibus reddituri, spe prædæ perdere voluissent, ipse hoc intelligẽs, jussit comitibus, ut symphoniacè canerent. Quo cantu adeò oblectatos Tyrrhenos ferunt, ut saltare etiam ceperint, & animis lasciviendo sese in mare projecerint. *Olaus* lib. 15. cap. 29.

Huc referendum est illud *de Corybanteo furore*, in Cybeles Sacerdotibus, qui ita correpti fuerunt, dum ad Cymbalorum pulsum cantando & saltando sacra faciebant, ut & ipsi capita jactarent, & alios in similem agerent rabiem. Hinc dicti sunt *Corybantia æra*; & ipsi Sacerdotes Corybantes, vel à *κορύπτειν*, quod est caput jactare, vel à pupillis oculorum & genis, quas *κορας* Græci vocant: quòd isti Jovis custodes cogerentur non tantum excubare, sed etiam apertis oculis dormire. More enim leporum dormire, est *κορυβαντιᾶν*, & tantundem quod insanire, & *κακοδαιμονιᾶν*, malo agi genio. Alii volunt dictos à galero, quæ Græcis *κόρυς* dicitur, quòd galero quodam capita tecti, insaniendo luderent. A *Natali Comite* attingitur hic furor, lib. 9. Mythol. c. 5. de Rhea. Hujusce Deæ, inquit, famuli & Curetes, & Corybantes vocati sunt: nam cùm insaniam & beluinam quandam rabiem imitarentur, vocati sunt Corybantes, à jaciendis capitibus, insanorum more. *Et cap. 7. ejusdem lib. 9:* Hos, inquit, Curetas memorant spiritu afflatos Bacchico, & valdè tumultuosa armorum agitatione cum strepitu, fragore, cymbalis, tympanis, tibiis, vociferatione inter sacrificia uti solitos, ut præsentes perterrefacerent, deæq; reverentia & metu adimplerent. Et *Plato* scribit, si illam tantùm modulationem acutè sentiunt, quæ ejus Dei est, à quo corripiuntur, & ad illam modulationis formam & gestus & sermonis copiam habent expeditissimam: Cæteros autem ritus contemnunt. *Camer.* op. suc. l. c. 81.

De Tarantulis & S. Viti morbo, sub capite, de virtute Musicæ medica.

CAPUT X.

De efficacia, ac usu Musicæ πολιτικῶ καὶ πολεμικῶ, ἢ στρατιωτικῶ, *sive civili ac militari; cùm in Repub. ad seditionem restinguendam, pacem alendam, libertatemque recuperandam; tùm ad Martem, in castris accendendum.*

DIOGENES quidem CYNICUS cuidam jactanti Musicam peritiam respondit:

Γνώμαις γὰρ ἀνδρῶν εὖ μὲν οἰκεῖται πόλεις,
εὖ δ' οἶκος· οὐ ψάλμοισι καὶ περιτίσμασιν. *Laërt.* lib. 6.

At ignoravit, Psalmis & cantilenis optimas quasq; sententias Reipub. utiles mensurari, exprimi & inculcari posse.

TYRTÆUS, Archimbroti F. Milesius aut Atheniensis, Spartanus tamen dictus, ab aliis etiam Mantinæus, Elegiographus & Tibicen, ætate penè par septem Sapientibus, Olymp. 35. Elego & Heroico carmine scripsit permulta de Repub. Lacedæmoniorum. *Suidas.*

Inter alias certè etiam hanc μυθολογίαν, ac fabulæ interpretationem, dicuntur *Orpheus, Thracius* Theologus, & *Amphion* Thebanus, silvas, saxa, feras cantu suo traxisse; quòd homines, in agris dispersos, ad civilis vitæ cultum in cœtum & societatem publicam congregaverint, partim legibus, partim jucundâ modulatione.

Quid quòd Musicæ gravis suavitas, suavisq; gravitas non rarò Oratoris, vel Poëseos loquentis vice, cùm in Repub. togata ac nonnihil mota, tùm in societate militari, sive castrensi perfuncta est?

Testatum faciunt historiarum monumenta, in pacificis Legationibus, & ad soditiones sedandas, vel etiam in recuperandæ libertatis stimulum adhibitam sæpe fuisse Musicam.

Complures ex Barbaris Legationes de pace concilianda, instrumentis Musicis instruunt. hostium animos emolliendi gratiâ.

THEOPOMPUS, libro historiarum quadragesimo sexto, Getæ, inquit, Citharas habentes, easq; pulsantes, legationes de conficienda pace faciunt. *Athenæus* lib. 14. c. 11.

TERPANDER Lacedæmoniis aliquando inter se dissidentibus, ex Oraculo seditionem eorum cantus suavitate sedavit. Unde ab eo tempore Lacedæmonii, quoties Cantorum aliquem audirent, protinus exclamabant: μετὰ λέσβιον ᾠδόν: quod postea in Proverbium abiit de eis, qui secundas partes assequuntur. Gyrald. *ex Plut. de Musica.*

Et SOLON, in concionem progressus, Elegiâ cecinit, & Athenienses ad recipiendam Salaminem incitavit, Legemq; (quæ jubebat, ut qui de Salamine recuperanda mentionem facerent, morte multarentur) abrogare coëgit. *Polyenus*, lib.1. & *Laërt.* lib.1.

Unde liquidò patet, Musicam canendo in Rebuspub. & concionibus Oratorum partes explevisse, & dicendi persuadendiq; vim oratoriam suavitatis gravitatisq; motu ac efficacia superasse.

Ut porrò ad Musicæ usum, in Præliis, ceu efficacissimum, ita frequentissimum, digrediamur; constat in castris apud plerosq; Cantum & sonum Musicum, ejus suavitate peritè attemperata gravitate, vel etiam desides & ignavos ad arma animasse alacriter; fortes & magnanimos Heroës ad hostiles impetus inflammasse acriter, non sine victorioso pugnæ exitu.

Quanquam ACHIVI nullâ Musicâ in bellis utebantur, sed tantùm conspiratu tacito nitebantur, referente *Homero*:

οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες ἀχαιοί,
ἐν θυμῷ μεμαῶτες ἀλεξέμεναι ἀλλήλοισιν.

Gellius Noctium Attic. lib.1. cap.11: pleriq; tamen populorum & nationum non nisi concentu sonoro castris educi voluerunt.

Ac licet SOLYMANNUS, de quo cap.14. dicetur, præter omnes artes liberales & Musicam detestatus sit: Nihilominus ipsi *Turcæ*, alioquin instrumentis Musicis carentes, bellicis Tympanis, quorum usus apud eosdem & in nuptiis est, pertinaciter uti non desinunt.

Indi Cymbalorum & Tympanorum pulsu, & flagellis aërem & tympana verberantes, in hostem irruunt. *Alexand.* lib.4. cap.2. *ex Athen.* lib.4. cap.11. *& Suida.*

Ægyptiis proficiſcendi hora ſignificatur Siſtro, *Alexand.* lib. 3. c. 2. *Perſis* proficiſcendi hora ſignificabatur cornu. *Idem ibidem.*

CYRUS Perſarum Rex, ne hoſtium efferis clamoribus milites perculſi trepidarent, Hymnum Polluci & Caſtori canere juſſit. Quo concentu effecit, ne improviſa formidine caperentur. *Alexand.* lib. 4. cap. 7.

Galatis barbara Tuba horribili ſono bellicum occinuit. *Alex.* lib. 3. cap. 2.

Lacedæmoniis ad tibiarum modulos & rhythmum & moderatum pedis ingreſſum prælium committere moris fuit: ac primùm quidem conſerendarũ manuum ſignum tibiâ dari ſolebat. Proinde de omnibus quoq; victoriam reportarunt, Muſica & modulorum concinnitate eos ducente. Nec enim ut aliæ gentes in præliis ineundis utebantur cornibus, aut lituis, ſed tibiarum modulis, ut animi moderatiores redderentur: nihil magis ad victoriam conferre rati, quàm ne in primo ſtatim congreſſu animi militum ferocirent, ſed ad tibiæ cantum componerentur, & cum rhythmo æqualiter procedentes, integros ſervarent ordines.

Spartæ in arce ad lævam Minervæ, Poliuchi ſive Chalciæci dictæ, Muſarum ædem dicarunt, quòd Lacedæmonii in prælia exeunt, non ad Tubæ cantus, verùm ad Tibiarum modos & Lyræ cantiunculas. *Pauſanias* in Laconicis. *Thucyd. Polyb.* lib. 4. *Fab.* lib. 1. *Plutarchus* in Lycurgo.

PROCLES & TEMENUS Heraclidæ adversùs Euryſthidas, Spartã tenentes, bellũ gerebant. Heraclidæ rem divinam fecerunt Palladi, montium Hyberbacteria offerentes. Euryſthidæ repentè in eos irruere & manum conſerere: At Heraclidę nihil turbari, ſed Tibicines, ut omni ſtudio præirent, jubere. Quibus pręcedentibus, ac tibias inflantibus, armati ad cantũ & numerũ ſequẽtes, irruptos ordines ſervabant, & hoſtes vincebãt. Experiẽtia eos docuit, Tibiã habere vim &

irritamentum in pugnis. Quin & Oraculo, victores se fore didicêre, simul ac cum tibicinibus bella gererent. Neq; pugna Leuctrica ad tibicines pertinens Oraculum confutat. In Leuctris enim non præeuntibus tibicinibus Lacones cum Thebanis pugnã inibant, quibus patrium erat, fistulatoriam artem exercere. Itaq; colligi manifestè ex Oraculo potuit, penes Thebanos victoriam futuram Lacedæmoniorum, qui sine Tibia pugnam capesserent. *Polyænus* lib.2. Porrò instructa Spartanorum acie cùm adesset hostis, Rex simul capellam immolabat, indicebatq;, ut omnes coronas sumerent, & ut tibicines canerent, jubebat, Castoris carmen, simul etiam ordiebantur classicum canere. Carmen Embaterium dicitur. Quæ res severam simul atq; horribilem edebat speciem numeris ad tibiã incedentium, neq; turbantium aciem, neq; animis fluctuantium, sed modestè & hilariter ad modos euntium in certamen. Neq; enim nimia percelli trepidatione probabile est ita comparatos, aut plus satis ferocire; sed animum fiducia & audacia suscipere stabilem, quasi Dei præsente favore. *Plutarchus* in Lycurgo, & de Musica.

Cuidam autem Agesilaum roganti, *quam ob causam Spartanæ ad tibiarum cantũ inituri præliũ exercerentur?* Ut, cùm ad numerũ, inquit, incedunt, appareat, qui formidolosi sint, qui fortes. Nam Anapæstorum ictus strenuis addebat animum, meticulosis pallorem & tremorem incutiebat. Itaq; cùm pes non responderet ad modulos tibiarum, prodebatur ignavorum imbecillitas. *Plutarchus* in Lacon. Apoph. & *Aristot.* in Problem. referente *Gellio* lib.1.c.11.

Et GRÆCORUM *mos* fuit, duos concinere Pæanas, Marti quidem in hostibus congrediendis, Apollini mox bello absoluto. Illum priorem Enyalium vocant. Dioscuris Palladem primam Enophon incinuisse nomen prodidit *Epicharmus*, ex quo præcinente tibia congredi cum hostibus Lacones orsi sunt. *Cæl.* lib.9.cap.8. Antiq. lect. & *Alex.* lib.4.cap.2.

ATHENIENSES pæana canentes, & Hymnos Jovi, congredi cum

hostibus solent: quod frequens etiam apud reliquos Græcos fuit. *Alex. ab Alex.* lib.4. c.7.

LYDI, cùm ad bellum exeunt, cum Tibiis & Syringibus in acie instruuntur, ut asserit *Herodotus. Athen.* lib.12.cap.4. Sic HALYATTES, Lydorum Rex, in bello contra Milesios, luxu barbarico, fistulatores & fidicines, quin etiam fœminas tibicinas adhibuit. *Gell.* lib.1. c. 11. Noct. Att. ex *Thucydide* & *Plut.* de Musica.

CRETENSES Citharâ, fidibus & tibiis utuntur in præliis, quibus instructas acies accendunt. *Alex. ab Alex.* lib.3. c.2.

In Romanis Legionibus educendi exercitus, & certaminis conferendi signum Tubarum & Cornuum concentum, & si quando silentio educendæ forent, tesseram fuisse accepimus. *In Prætoriis castris* Romanorum buccina semel, in Consularibus verò bis signum dabatur, qua pedites; Equites verò Lituo ad pugnam advocabantur. Eratq; mos militaris, ut, quoties movenda erant signa aut castra, & ad reliqua belli munia, soli Cornicines signum darent: Excubias verò somniq; & vigiliarum tempora buccina designarent: Si autem Legiones ducendæ in hostes, & acie decernendum foret, aut receptui canendum, Cornua & Tubæ eodem concentu canerent. Si conciones advocarent, aut silentium indicerent, per Tibicinem indicebatur. *Alex.* lib. 3.c.2.& lib.4.c.7.

Cæterùm ad excitandos militum animos TYRRHENUS PISÆUS primus invenit Tubam æneam, cùm antiquitus convocarentur incitarenturq; milites cornu bubulo. *Plinius.*

At usus Musicæ militaris ut contrahatur, colophonis loco nominatim producendi hîc sunt ex bellicis cantoribus insigniores & victoriosi.

TRITONEM fabulantur Concham à se inventam ad bellum adversus Gigantes attulisse, quam cum inflasset, & eâ inauditum sonum edidisset, Gigantes immanem aliquam belluam, ac formidabilem rati, se in fugam verterunt. Itaq; victoria facilis Diis cessit. *Natal. Com.* Mytholog. lib.8.c.3.

MISENUM ÆOLIDEN *Virgilius* celebrat:

——————— Quo non præstantior alter
Ære ciere viros, Martemq; accendere cantu.

OLYMPUM *Heraclides* narrat pro singulis carminibus versus suos & Homeri numeris adornasse, eosq; cantasse in præliis. *Plutarchus* de Musica.

TIMOTHEUS MILESIUS tempore Philippi Macedonis, Alexandrum suis modulis excitabat, & ad res bellicas alacriùs instruebat. *Suidas*.

HERODOTUM tubicinem Megarensem *Amaranthus Alexandrinus* scribit milites, cùm, Demetrio Antigoni F. civitatem obsidente, Helepolim muris ob pondus non possent subducere, duabus simul inflatis tubis coëgisse, ut machinam promptè subducerent. *Athen.* lib. 10. c. 1.

TYRTÆUS Elegiacus & Melicus Spartanos ad Martem adversùs Messenios accendit. *Plutarchus* in Messenicis.

Eo deniq; prælio, quo VALDEMARUS Suenoni III. Danorum Regi & vitam & regnum eripuit, Valdemari exercitum tam crebri corvorum greges intervolasse produntur, ut complures se erectis militum hastis feriendos objicerent. Medias acies interequitabat Cantor, qui parricidialem Suenonis perfidiam (ut qui hospitii simulatione inter medias epulas Canutum interfecisset, Valdemarum pariter, nisi fuga elapsus esset, perditurus) famoso carmine prosequendo, Valdemari milites per summam vindictæ exhortationem ad bellum accenderet. *Saxo* lib. 14.

Nunc porrò usus militaris historias Musicas excipiat Musices Virtus Ethica.

CAPUT XI.

De usu Musices θριαμβικῶ in pompis & solennitatibus triumphalibus.

NEc parvæ Musicæ cedit dignitati, quod *Triumphi* solennitates eâ olim solenni adhibitâ usu factas novimus celebriores, in cujus rei fidem hæc de Triumphorum pompâ ex *Pancirollo* adscribenda duximus, cuius narratio huic instituto non erit incommoda.

De Triumphi igitur solennitate hæc scribit *Pancirollus.*

Die triumphali festum per totam agebatur urbem, templis omnibus apertis, & Nobilibus ita mensas instruentibus, ut de cibo & potu Militibus inde suppeteret. Senatus triumphanti obviam procedebat usq; ad portam Capenam, per quam ingrediebatur: posteà in capitolium se conferebant. Sequebantur tubicines & buccinatores, Classicum, *ut in conflictu usurparant, occinentes. Postea ducebantur currus spoliis hostium devictorum onusti: Postea statua & simulacra urbium expugnatarum, ipso etiam modo, quo cum hostibus conflictum erat, repræsentato. Deinde sequebantur spolia omnis generis hostibus erepta.*

Inde alii tubicines: *quos ad* sacra *facienda, quinquaginta aut centum plus minus boves sequebantur, sertis ornati, & cornua inaurati &c. Pone sequebantur currus Regum & Ducum captivorum, & ipsi captivi. Tandem Triumphator aureo insidens curru instar turris fabricato, quatuor candidis vehebatur equis. Hic purpuream gerebat vestem, auro intertextam: dextera manu ramum è Lauro; sinistra sceptrum eburneum tenebat. Quaquaversum* suaviter canebant tibicines & citharœdi, *aureas in capite coronas gestantes, & purpura vestiti: quorū in numero quidam aurea ad talos usq; indutus veste, scurriles jocos & scommata in hostes conjiciendo, risum po-*

pulo

pulo movebat; Et quæ alia adduntur. Si quis præmium aliquod obtinuerat, illud manu præ se ferebat, ni Triumphantis laudem pæana canendo, *& multa simul ridicula immiscendo.*

Postea omnibus aliis peractis, sub capitolio porticibus cœnabant, usq; dum advesperasceret. Tum enim tibiis *& variis* instrumentis Musicis *Triumphantem domum comitabantur, atq; ita festivam illam solennitatem finiebant.*

Ovantes *verò olim non invehebantur curru, ut triumphantes, neq; laureati, nec tubis concinebatur* (Oratio *enim* minor *erat* triumpho) *sed pedibus ingrediebantur calceati, vel equo ingrediebãtur, equitibus & amicis comitati, modulantibus multis tibiis. Nam qui citra vim, benevolentiâ, gratiâ & verbis confecissent rem, non Martialem illum & trucem ducebant triumphum. Modulatio tibiarum addita, quia* tibia pacis *sit* insigne. *Vid.* Livium *lib.6.dec.3.* Plinium *lib.18.c.29.*

In triumpho clangor *tubarum,* in ovatione concentus *tibiarum:* ille *Martis,* hic *Veneris* est.

Erat & *genus cantilenæ, καλλίνικος* dictum, quod partâ victoriâ canebatur *victoribus,* quos & honoris caussa *καλλίνικους* appellabant: ut Jo Pæan, aut Jo triumphe. Tripudiantes autem cantilenam illam canebant. *Athenæus* lib.14. *Muretus* lib.3.var. lect.cap. 11.

Quem morem absq; dubio traxerunt *à Iudæis,* ubi pompa triumphalis magnificè celebrabatur. Nam universus populus cum mulieribus, virginibus atq; pueris ex urbe effusus magna cũ lætitia, cum cantu, instrumentis musicis atq; tripudiis obviam procedebat, illorum laudes carminibus celebrabat, ut scribit *Stuckius* lib.1.antiquit. conviv.cap.21.

CAPUT XII.

De efficacia Musicæ ἠθικῇ πρὸς τὴν ἀρετὴν, ad mores honestos, contra feritatem componendos, & ad virtutem, utpote Humanitatem, Castitatem, Temperantiam &c. contra perturbationes & vitia conservandam.

Quemadmodum Musicæ sua vis & efficacia est πρὸς πάθη, ad vehementes rapidosq; affectus excitandos sedandosque: *ita* liberali & ingenuo usu Musica πρὸς ἤθη, ad morū virtutumq; honestatem conducit plurimùm. *Musica* certè liberalis & ingenua optimorum morum est informatrix, & vitæ disciplina corrigens, & in melius mutans animorum ferocitatem; Altrix est pulcherrimarum virtutum & medicina, præservans animos adversùs ægritudines, ut nulla inficiantur turpitudine, sed omnem luxus ac libidinis fomitem respuant.

Quod attinet mores emolliendi, artificium Musicum scitè adumbratur Mythologiâ de Orpheo & Amphione, qui finguntur à Poëtis silvas, feras & saxa cantu & Cithara movisse ac traxisse. Et quidem ORPHEUM tantâ canendi peritiâ excelluisse scribunt, ut flumina ad ejus cantum firmarentur, aves advolarent, feræ properarent, silvæ, & saxa, & venti, & omnium vel sensu carentium genera accurrerent. Sic enim *Venusinus Poëta* lib. I. Carminum:

Aut in umbrosis Heliconis oris,
Aut super Pindo, gelidòve in Hæmo,
Unde vocalem temerè insecutæ
Orphea sylvæ:
Arte materna rapidos morantem
Fluminum cursus, celeresq; ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere sylvas.

Et *Apollonius lib.* 1. *Argonaut.*

Αὐτάρ τόν γ' ἐνέπουσιν &c.

Hunc referunt duros lapides & flumina cantu
Detinuisse sua captos dulcedine vocis.
Sylvestres fagos inter confinia terræ
Threiciæ, quæ nunc frondent, vestigia cantus
Illius esse ferunt: quas secum adduxerat Orpheus,
Vertice Pierio Citharæ dulcedine & artis.

De *Amphione* fabulantur ita: Jupiter tres filios ex Antiopa genuit, Amphionem, Zetum, & Calaim. Propterea maritus Lynceus Thebanorum Rex eam repudiavit. Pueri cùm adolevissent, ulti repudium matris, Lynceum interemerunt, & Dyrcem ejus conjugem, pulsoq; Cadmo sene, Thebas possederunt; & Amphion Cithara lapides movisse dicitur, atq; ita muros Thebanos condidisse, ubi saxa in structuram sponte assilierunt, numeris Musicis illecta, Amphione Lyram suaviter pulsante.

Figmentis de *Orpheo* & *Amphione* hanc involverunt Poëtæ veritatem; Viros nempe bene dicendi & canendi peritos, in rudes adhuc mortales, rupium incolas, qui sine ullo morum delectu & sine legibus viverent, ferarumq; ritu per agros nullis conditis tectis vagarentur, incidisse, & tantum orationis & modulationis suavitate valuisse, ut ad mansuetius vitæ genus homines traduxerint, illos in unum locum convocarint, & ad obsequii civilis pellexerint disciplinam, civitates condere docuerint, legibusq; civitatum obtemperare, matrimoniorum fœdera servare: quod fuit antiquorum Poëtarum & Musicorum munus creditum.

De utrisque *Horatius* in arte Poët.

Sylvestres homines sacer interpresq; Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire Tigres, rapidosq; Leones:
Dictus & Amphion, Thebanæ conditor urbis,
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda

Ducere

Ducere, quò vellet: fuit hæc sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Sic Mythologia Ethica fingitur *Orpheus* placatis inferis, id est, animi perturbationibus, in lucem adducere conatus esse Eurydicen, quæ nihil aliud est, quàm Justicia & æquitas. At fuit ea rursus ad inferos retracta, ob nimium Orphei amorem: quia neque justiciæ quidem opus est, nimis esse cupidum: nec nimis cedendum est vel honestis cupiditatibus, quæ in gravissimas animi perturbationes inducunt, quas sola placari & sedari fas est ratione. *Natal. Comes* Mythol. lib.7. c.14. & lib.8. cap.15.

Rectè itaq; *Dion Chrysost.* asserit, Musicam inventam esse propter medicinam humanorum affectuum, & potissimùm, ut mentes, sævitiâ & feritate affectas, in rectum reducere possit statum: ut superiùs *cap.11. ex Orat.32. ad Alexandrinos* citatum.

Eandem ob causam NUMA POMPILIUS de Diis Deorumq; rebus versus composuit, iisq; in sacris ludisq; publicis ritè cantatis, ferocissimam gentem ad humaniores mores transtulit. *Zuingerus* Volum.4. lib.3. fol. 1141.

Et verissimum illud fuisse affirmant, APOLLINEM certis quibusdam Citharædicis normis à se inventis vitam multis mortalibus produxisse, abstulisseq; feritatem. *Lud. Vives* de laudibus Philosophię.

Scribit quoq; THEODERICUS, Rex Gothorum, ad Boëthium, ut Citharædum mittat, qui dulci sono fera corda gentilium demulceat. *Theodericus* Epistolarum lib.2.

ARCADES Musicam ex artibus solam discunt, & per omnem vitam exercent, nec id lasciviæ causâ, vel deliciarum; sed ut præter labores assiduos in colendis agris, vitæ duritiem atque asperitatem, & austeriores mores, ex cœli tristicia quadam provenientes, hac quasi dulcedine remolliant ac contemperent. Hujus rei argumentum ingens ex *Cynethensibus* est; qui cùm instituta majorum pervicaciùs aspernari cœpissent, in eam brevi feritatem abiêre, ut

in nulla Græciæ totius civitate scelera majora, aut crudelitatis exempla ederentur immitiora. *Cælius* lib. 9. c. 9. Antiq. Lect. ex Athenæi lib. 14. c. 11. & Polybio. Et *Sabellicus* lib. 2. Enneadis 5.

Et hujus rei memorabile exemplum narrat *Bodinus* de Repub. Cynethensium Arcadiæ populorum, qui neglectis canendi legibus, Urbanitatem ac Humanitatem cum feritate commutarunt, & gravissimis Bellorum civilium fluctib. tàm diu jactati sunt, quoad Reipub. ac Civium interitus sequeretur (*Poly.* lib. 4.) Id quidem mirum omnibus visum est, quamobrem ex omnibus Arcadibus soli Cynethenses tàm feroces ac barbari essent: quousq; Polybius omnium primus animadvertit, propter desertum Musicæ studium id illis accidisse: cùm sanctissimis majorum legibus accuratè caveretur, ut omnes cives ad annum usq; trigesimum in ea studia diligenter incumberent. Qua quidem ratione primi legum latores sapienter Arcadiæ populos feroces ac barbaros, ut qui montes accolunt, ad humaniorem & mitiorem vitæ cultum pertraxerunt. Idem propè judicandum relinquitur de Gallis, quos *Ælianus* (*in epi. ad Antiochum Mysopogona*) Imperator, is qui transfuga appellatur, barbaros ac feroces & libertatis studiosissimos appellat: qui nunc tamen nullis Europæ populis Humanitate cedunt: nulli magistratibus tractabiliores, nulli principibus magis obsequentes, optimè certè sunt à natura, melius etiam à disciplina instituti: & maximas suavissimè canendi laudes, omnium finitimorum judicio, assecuti dicuntur. *Bodinus* lib. 4. de Repub. lib. 2.

Hinc veteribus Græcis curæ fuit, ut in Musica institueretur Adolescentia: Cujus animos Musicâ arbitrantur informandos & dirigendos ad decorum. *Plutarchus* de Musica.

Et gravi sanè consilio *Aristoteles* vult, Seniores juvenum concentibus interesse, tanquam censores & judices: ne effœminato aliquo molliq; rhythmo animi juventutis corrumpantur. Lib. 8. Politic.

Quantum item ad obsequii connubialis, & œconomicæ conversationis Humanitatem in rusticis, & austeris etiam uxoribus valeat Mu-

ſicæ ſuavitas, facto demonſtravit *Thomas Morus* Anglus, qui maritus maluit eſſe caſtus, quàm Sacerdos impurus. Virginem duxit admodum puellam, claro genere ortam, rudem adhuc, utpote ruri inter parentes ac ſorores ſemper habitam, quò magis illi liceret illam ad ſuos mores fingere. Hanc & literis inſtituendam curavit, & omni Muſices genere doctam reddidit, planeq; talem penè finxerat, qua cum lubuiſſet univerſam ætatem exigere, ni mors præmatura enixam liberos aliquot è medio ſuſtuliſſet. Paucis menſibus à funere uxoris viduam duxit, magis curandæ familiæ, quàm voluptati, quippe nec bellam admodum, nec puellam, ut ipſe jocari ſolebat, ſed acrem ac vigilantem matremfamilias. Vix ullus maritus tantum obſequii impetravit imperio atq; ſeveritate, quantum hic blandiciis jocisq;: Effecit etiam ut mulier jam ad ſenium vergens, ad hoc etiam animi minimè mollis, poſtremò ad rem attentiſsima, Citharâ, Teſtudine, Monochordo, Tibiisq; canere diſceret, & in hiſce rebus quotidie præſcriptum operæ penſum exigenti marito redderet. *Eraſmus* in ejus vita.

Hinc non niſi qui barbaræ feritati ſunt innutriti, & alieni ab omni humanitate, cum morum cultu civiliori Muſicam quoq; ſuavitatem oderunt, & deteſtati ſunt. SOLTMANNUS, Turcarum Imperator, cùm à Rege Franciſco I. Gallorum peritiſsimos in omni genere Muſicæ artifices dono accepiſſet, illis primò ſummoperè delectatus fuit; Mox cùm Conſtantinopoli ſummo ſtudio populum ad audiendum concurrere, & earum artium diſciplinam affectare cerneret, veritus ne animi effœminarentur, Inſtrumentis omnibus confractis & igni abſumtis, Muſicos ipſos Gallo remiſit. Cavit enim perfidus Mahometus omnia ea, quæ animos excitare & mollire poſſent; Vinum, Muſicam, Artes deniq; omnes Liberales.

In uſu autem hoc Muſices morali, cautè attendere decet modeſtos Muſicos, ne de ſe illud cum opprobrio dici audiant: *Turpe eſt Doctori, cum culpa redarguit ipſum.* DIOGENES itaq; CYNICUS Muſicos in jus vocabat, quòd cùm Lyræ chordas congruè aptarent, animi mores inconcinnos haberent. *Laërt.* lib. 6.

Præterea ut morum conformatrix; sic quoq; Virtutum altrix, & expultrix vitiorum efficacissima est *Musica* Liberalis, & præcipuè *ad Castimoniæ* atque *Temperantiæ* honestatem conservandam vim confert & efficaciam eximiam.

CLYTÆMNESTRÆ *pudicitia* non priùs ab Ægistho expugnari & corrumpi potuit, quàm Demodocum, Poëtam & Musicum Citharædum, qui castum amorem in illius animo fovebat, è medio sustulisset. Hunc enim Musicum Agamemnon, ad bellum Trojanum iturus, domi reliquerat custodem, ut Clytæmnestræ conjugalem probitatem per muliebrium virtutum laudes; concentus sui Musici hortamento accenderet, & conservaret illibatam. Testis *Homerus Odyss.* 3:

ὃ δ᾽ εὔκηλος μυχῷ Ἄργεος ἱπποβότοιο &c.

Ille verò (Ægisthus) desidiosus in secessu Argi equos pascentis,
Crebro Agamemnoniam uxorem demulcebat verbis.
Et illa quidem primò abnuebat facinus indignum
Diva Clytæmnestra; mente enim utebatur bona.
Præterea enim aderat Præcentor vir, cui plurimum mandarat
Atrides ad Trojam proficiscens servare uxorem.
Sed cùm jam ipsum fatum Deorum irretivit perire,
Tùm verò ipsum Poëtam ductum ad insulam desertam,
Dereliquit avibus lacerationem & rapinam fieri.
Ipsam verò volens volentem duxit suam domum.

Tanta erat vis Musicæ in *Castitate* tuenda.

Eandem quoq; ob causam PHEMIUS, Demodoci frater, ab Ulysse Penelopæ uxori custos datus esse fingitur, qui (ut *in* 1. *Odyss.*) βίᾳ τοῖς μνηστῆρσιν ἀείδει coactus apud procos canebat, non turpes fabulas, sed miserabilem Græcorum reditum à Troja. Coactus autem canebat ἀείδε παρὰ μνηστῆρσιν ἀνάγκῃ; quia non ut procos oblectaret, sed ut Penelopen custodiret in Ithaca, ab Ulysse relictus erat. *Eustath.* in 3. Odyss. & *Suidas*.

CASSIO-

CASSIODORO autem Dorius modus *Prudentiæ* largitor est, & *Castitatis* effector. *Athenæus* lib. 14. c. 6.

Porrò omnes antiqui & moribus & legibus constituerunt, ut Deorum immortalium Hymni in conviviis canerentur ad *Temperantiam*, honestatemq; retinendam. Nam cum Cantilenæ concinnæ essent, Deorumq; accederet metus, uniuscujusq; mores facilè componi posse videbantur. *Athenæus* lib. 14. c. 11.

Quin & ob hanc causam *ad cœnas & convivia* Priscorum *solebat introduci Musica*; quòd elidere vim fervidiorem vini valeat, ut alicubi refert *Aristoxenus*. Ille enim induci Musicam dixit: quia cùm vinum de statu dejicere soleat illorum, qui eo sunt largè usi, corpora & mentes: Musica modico suo temperamento & competenti, ad diversum statum revocat ea & mollit. *Plutarch.* de Musica.

Quid quòd & illis, qui *ebrietate & crapula inducti* aliquid mali perpetrabant, tibias & concentum accommodarunt, ut ingenia his modis irrigata honestiores maturescendo mores acquirerent. *Ex Diotogene Pythagoræo,* lib. de Sanctitate.

Et quàm accommoda fuerit temulentiæ sedandæ Lex Dorica, cùm historia de adolescente amante & amente, sub usu Musicæ παθητικῶ *ex Hippocr. Plut. & Boëthio* ostendit, tùm Philosophorum testimonio confirmat & comprobat *Scaliger*.

Etiam *Fortitudinis* cotem esse Musicam, ejusdem cùm usus militaris, tum reficiendi virtus suis capitibus commonstrat.

CAPUT XIII.

De virtute Musicæ ἰατρικῇ ἢ θεραπευτικῇ, sive Medica & sanatrice, ad pellendos corporis morbos.

Quemadmodum animi ægritudinem Musicæ vi cùm excitari, tùm sedari ostensum est, *in capite XI.* de efficacia παθητικῇ: *Sic* certò est compertum, *Musicâ corporis morbos leniri* & curari. Constat enim invicem animam & corpus compati, *Aristotele* teste de Anima, & passiones mutuò sustinere titillationes itidem & oblectamenta invicem sibi communicare. Et annotant Veteres, à Musica, interventu animæ, sic curari corpus, ut, interventu corporis, curatur medicamentis anima. *Bodinus* lib. 3. Dæmonom. c.6. Cui rei fidem conciliant testimonia, historiæ & exempla, quibus confirmatur Musica medela, non tantùm in genere variorum, sed etiam nominibus definitorum morborum; quales sunt Pestis, Ischias, Phrenesis, Insania, Morsus viperarum, Phalangii &c: Magna certè est cum harmonia consensio Naturæ; (*Boëth.* lib.1. de Musica) quæ malè affecta remedium & mitigationem in Musicis Instrumentis invenit.

Naturalem Musices vim *Strabo* & *Quintilianus* non ignoravit, qui censet eam mederi corporis morbis. *lib.1. c.16. Instit. Orat.* Sed & *Democritus* scripsit, plurimos morbos Tibiarum concentu mitigari, aut etiam pelli. *Aul. Gell.* lib.4.c.13.

A TERPANDRO Lesbii & Jones à plerisq; morbis liberati fuerunt cantus dulcedine. Floruit Olympiade 35.

Etenim quàm & Charites, & læticia, & Musæ, & bona valetudo affines sint, teste *Scaligero*, ex Oraculi consilio colligi potest, quod ARGIVÆ TELESILLÆ datum ait *Plutarchus*: Ea summo loco nata, fuit affecta morbo; qui cùm Medicorum ope major esset, à Diis auxilium petiit coacta. Responsum est, ita demum sanitatem restitutum iri, si Musas coleret; ad quas cùm frequenti opera animum appulisset, sta-

tim convaluiſſe ſcribitur. Præter valetudinem quòd robur etiam conſecuta ſit, legatur ſub efficacia & uſu Muſices bellico *Scaliger* lib. 1. Poët. c. 2.

CYBELEN, fiſtulæ Cymbali & Tympani inventricem, pecorum & puerorum morbis lenimenta excogitaſſe ſcribunt. Quibus cùm multi curarentur pueri, eam *Magnam matrem* nominarunt. *Diod.* lib. 4.

THALETEM Cretenſem, ſorte quadam à Pythio editâ, adiiſſe Lacedæmonios, eosq; Peſtilentiâ ope Muſicæ liberaſſe, tradit Pratinas. *Plutarch.* de Muſica.

Sic HOMERUS luem, quæ in Græcorum caſtris graſſabatur, Muſicâ fuiſſe refert curatam. Verba ejus ſunt Iliad. *α.*

οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο, &c.

Magnum perpetuò Numen cantu celebrabat
Carmen Achivorum ſoboles ſcitum modulando,
Phœbum cantabat, quo aures illi exhilarata.

Unde & Pæanas dictos eſſe, docebit caput de Nominibus Canticorum ſpecialibus.

Iſchiadicos & Coxendicum dolore laborantes Bœotiorum plures ISMENIAS Thebanus, Antigenidæ diſcipulus, Tibiæ cantu, bonæ valetudini reſtituiſſe narratur. Tantus Hominis Naturæ cum Harmonia conſenſus eſt, *Boëth.* lib. 1. de Muſica. Et *Theophraſtus*, lib. de afflatione Numinis, Iſchiadicos ſcribit ſanos fieri, ſi more Phrygio harmoniam aliquis indigena illis accinerit. *Athen.* lib. 14. c. 10.

ALBERTUS, Erneſti F. Bavariæ Dux, *Podagra* ſub Imperio Friderici Imperatoris laborans, ſepoſitis curis cæteris, ſectatus Muſicam, aſſiduis cantibus ac ſonis animum oblectavit. *Æn. Sylv.* cap. 14. Europæ.

A *vipera morſis* auxilio eſſe Tibicinem, modulatè canentem, putavit *Macrobius*. Nec non *Theophraſtus Ereſſius* memoriæ prodidit, quarundam viperarum morſibus cantus tibiarum aut fidicinum, atq;

alia Organa artis Musicæ, modulatè adhibita, aptissimè mederi. *Alexand.ab Alexandro* lib.2.c.17. Et *Cælius* lib.6.c.13.

Phreneticos mente imminuta & valetudine animi affectos, nulla re magis, quàm Symphonia & vocum concentu resipiscere, & sanitati restitui, censuit *Asclepiades Medicus*, ibidem.

Fama est EMPEDOCLEM Agrigentinum cantiuncula quadam, furibundum, nudoq; ferro hospitem impetentem suum, compressisse atq; sedasse.

Hîc *S. Viti morbum* ejusq; curam recensere operæ precium duxi haud pœnitendum, Nempe Insania quædam ex sanguine ortum suum trahens, Germaniā olim, Evangelij luce propemodū interstinctâ, frequens invasit & occupavit; quem morbū à S. Vito immissū, superstiosa plebs credebat. Ea bellico tympano & fistula bellica non tàm curabatur, quàm magis efferebatur; sic ut miseri homines eo correpti supra naturales vires & saltando & exiliendo per aliquot dies absq; intermissione viros etiam fortissimos defatigarent: & quamvis viribus lassi conciderent, linteis tamen in sublime excuterentur, quòd quies ipsa periculosa esset, nec prius hic furor cessaret, quàm partim labore consumeretur, partim sudore exhauriretur morbi materia. *Zuing.* Idem refert *Camerarius* centur.2.oper: succis.c.81.

Quid obsecro iis apud nos, & inferiori Germania olim, & non ita pridem illud accidit, qui furore quodam, quod genus vulgus *morbum Sancti Viti*, vel Modesti appellat, nostra vernacula lingua Veits Dantz vocamus, exagitantur? Eos enim, ut *Bodinus* in methodo hist. quoq; observavit, ad lasciviam & inconditam saltationem furor impellit, quam Musica Lyra imitantur, deinde numeris ac modis gravioribus utuntur: idq; sensim faciunt, quousq; modi ac numeri gravitate planè conquiescant. *In sua Dæmonia* lib.2. c.4. dicit, non magis expeditam ejus curandi rationem esse, quàm ut sedatè graviterq; cogantur saltare.

Et alibi sic *Bodinus* refert: Quos ad septentrionem furor invadit, hi assiduè aut rident, aut saltant: qui morbus D. Viti appellatur à Ger-

manis.

manis. Curatur autem fidibus & cantu primùm incitato, deinde sedato: sive abalienatos sensus Musica revocat: sive morbos corporis concentus sedata mente curat: sive mali Genii, qui furiosos sæpissimè cruciant, divina Harmonia fugantur. *lib. 5. de Repub. cap. 1.*

Horum amentium hominum Anno CIↃ CCC LXXIII. magnam multitudinem venisse ex finibus Rheni & Mosæ in Flandriam, gregatim choreas ducentes, ac continenter saltantes & cantantes, haud secus ac furiis quibusdam exagitarentur, scribit *Ludovicus Maleanus* in Annal. Flandr. lib. 14. existimatq; talia rudibus accidisse mortalibus in tenebricosissima illa ætate, propterea quòd à pueritia in lege Dei non instituerentur. Circa idipsum tempus ex Aquisgrano, in Hannoniam, atq; inde in Franciam venisse mirabilem sectam tàm virorũ, quàm mulierum, præter omnem verecundiam chorizantium, scribit *Petrus Pramonstratensis.* Hi videbantur sibi in sanguinis flumine saltare, quamvis astantes nihil tale viderent. Monstratur sanè adhuc sacellum in monte prope Ravensburgum, urbem Sueviæ, in quo arx egregia ædificata est, qui mons à Vito hodierno die nominatur, quòd singulis annis, non ita pridem, turba tripudiantium, quasi Divo illo sacra celebrarent, & ejus ope sani fierent, eò saltando recurrere solita esset. Sed cum aditu prohiberentur, & sacellum illud in alios usus destinaretur, iste concursus hactenus cessavit. *Hæc ex Camerario, de Viti S. morbo.*

Congrua est hìc *de Tarantula* ex genere Phalangii narratio, cui multi docti Scriptores fidem faciunt. Nam apud Campanos & Neapolitanos Phalangio percussos, quod vulgò Tarantulam dicunt, nullo alio remedio sanari compertum est, quàm si protinus Tibicen varios concinat modos.

Est autem *Tarantula* aranei species, sic dicta, quòd in Tarentino agro copiosa in terræ cavernis reperiatur, & per æstatem messores ex improviso impetat, ut ocreati metere cogantur. De Tarantula & Tarentatis *Philippus Camerarius Centur. 2. meditat. hist. cap. 81.*

nisi Musica, ut dictum est, ac chorea sibi medeatur. Hæc *Majolus* citat.

Ex Veteribus ***Julius Solinus***, citante etiam *Camerario*, Phalangium, inquit, aranei genus est: si nisum quæras, nulla vis est; si potestatem, ictum hominem veneno interficit.

Ex Recentioribus autem ***Joan. Porta*** ita scribit *Mag. Naturali* lib. 2.c.21: Est Phalangii genus quoddam, quod à Tarento in Apuliæ partibus Tarantula dicitur; Universa enim Regio sic eis laborat, ut perpauci sint, qui evadant; Eorũ morsus acerbior est, quàm Vespæ ictus, & homines, qui ab eis icuntur, diversis affliċtantur casibus: multi enim perpetuo canunt, illacrymant, delirant: Sed omnes ferè saltant. Messores enim, dum operi incumbunt, ignariq; doli, sæpe acriter percutiuntur, Musicisq; adhibitis modulis, animum delinientibus, permulcentur, eisq; in sanitatem restituuntur. In quibusdam cavernulis vitam degunt, easq; in segetibus condunt.

Sed operæ precium est hîc verba *Alexand. de Alex.* asscribere, qui in hujus rei descriptione prolixior est. *Tarantula*, inquit, *aranei genus est, dirum animal, tactu pestilens, etiamsi casu spectes, vilem & sine noxa putabis. Et sanè reliquo anni tempore minimè perniciosa, aut exitialis, vix aliquid nervorum aut virium ad nocendũ habet. Cùm autem æstu anni flagrantissimo, assiduo sole Apuliæ campos* (ubi peculiare hoc malum existit) *torreri certum est, tùm maximè seu afflatu noxio, seu æstu accensa, morsu virulento pestiferam perniciem affert, cui tanto malo vis est, ut quemcunq; morsu percusserit, nisi celeri remdio succurratur, aut stupor exitialis primo, deinde certa nex subsequatur, necesse est, aut si qui fortè vita damnum evaserint, veluti abalienati mente, & semivivi, continuo stupore & hebeti sensu oculorum auriumq; affecti, vitam miserabilem ægerrimè ducant. Huic pesti tam præsenti malo, quantum caveri humanâ diligentia voluit, unum hoc salubri remedio esse compertum est; si protinus Tibicen aut Citharista varios concinat modos: tunc enim morbo ejusmodi percussus, qui moribundus & sermonis & oculorum sensus amiserat, quiq; nec ingredi nec fari, neq; aliquo sensu frui valuerat, mox ubi tibiam aut citharam admotam propiùs audit, illo miti sono &*

hæc refert: *Generosus & nobilis quidam Neapolitani Regn. vir, cùm mensem unum atq; alterum unà essemus, mihi multa memoratu digna narravit. Inter reliquos sermones aliquando etiam de venenatissimo animalculo, ex insectorum genere, quod ab Italis Tarantula vocatur, mentio incidit, ideoq;, quæ sibi comperta essent, recensuit. Ajebat is, insectum illud miris modis infensum esse agricolis, cùm vel in arando, vel messis tempore in colligendis fructibus occupati ruri esse solent, eosq; incautos morsu suo letali vulnere lædere, ita ut contra ejus virulentos ictus nulla remedia satis efficacia hactenus excogitari potuerint. Ob hanc rem, ajebat, eo tempore rusticos plerunq; ocreatos in agris conspici, ut hoc munimento laboribus tutiùs vacare possint. Læsos autem vel ictos à Tarantula, mox veluti veterno correptos procidere, neq; excitari posse, nisi peculiari Instrumento Musico, ad ictum mirà Naturæ solertia veluti destinato, cujus sono Tarentatos* (ita enim eos vocari ajebat) *excitatos resurgere, & perpetuo motu, saltando veneni vim eos digerere solere: rarissimè autem, & non nisi robustiores, pristinas vires & valetudinem integram recuperare: Imbecilliores verò vel mente captos, vel ineptos ad labores, tristes & stupidos reliquum tempus vitæ suæ absq; spe pristinæ valetudinis recuperandæ consumere. Hæc Camerarius* testimonio Nobilis Neapolitani.

Et *Simon Majolus* colloquio 5. adducit mirabilem *de aranea Appula* prægrandi historiam; Illa si quem læserit, pestifer quidem est morsus, at Musices concentu sanatur. *Petr. Hisp* silv. p. 3. c. 12. Addit idem Majolus ex Alexandri ab Alexandro genialibus: Huic morsui medetur quælibet Musica, sive tibia sit, sive Lyra, aut quodlibet Instrumentum. Læsus enim cùm jam audit Musicæ sonitum, se dat in choream, qua tàm diu exercendus est, ut delassetur, ut veneni vis dissipetur, qua nondum dissipata, adhuc subest mortis periculum: ideoque perseverandum illi est, donec dissipetur vis illa: nam & aliquādo contigit, læsum hominē delassasse plures sibi succedentes Musicos. Vis enim illa veneni sensus obstupefacit, & persæpe etiam mortem inducit: quin si evadat mortem insensatus redditus, tota vita perseverat,

nisi

concentu captus & demulsus, veluti è gravi somno excitus, oculos attollit parumper, mox se in pedes erigit, ac sese recipiens paulatim pro modulo & pulsu sonorum, servata psallendi lege, ingreditur, tunc enim ingravescente sono, quasi permulsis animis & confirmatis exultabundus, maximo nisu atq; impetu in saltus gestusq; indecoros, neq; à pulsu Citharæ dissonos erumpit, ita ut etiam rudes & ignari, psallendi modos docti, in ludo videantur.

Ubi pergens recensere & hæc addit:

Cùm per Apuliæ campos ferventissimos, ubi hoc malum peculiare existit, sub cane iter faceremus, inquit. *undiq; oppida & vici tympanis, fistulis aut tibiis circumsonabant. Cujus rei causam quærentibus nobis relatum est, Tarantulæ morbo affectos undiq; per oppida curari. Cumq; ejus rei gratia in pagum quendam diverteremus, invenimus adolescentem, morbo ejusmodi affectum, qui velut repentino furore ictus, & mente abalienatus, corporis motu non indecorè, & manuum pedumq; gestibus ad tympanum psallebat non inconcinniter; utq; vehementiùs modos acciperet, quasi illo pulsu demulceri animus, & leniri dolor videretur; sensim & placidè aures tympano admovere, mox caput manus & pedes crebro motu concutere, & demum in saltum se attollere videbamus. Quæ res cùm ludo & risu prorsus digna visa foret, interim is, qui tympanum pulsabat, sonitu parumper intermisso, pausam fecit. Atq; illum morbo affectum, ubi præcentio illa quievit, velut attonitum, stupentiq; similem, repentè animo linqui, & omni sensu destitui cernimus. Rursus resumto tympano, ubi primùm modulos audivit, pristinas illum vires resumere, & acriùs in choreas insurgere spectabamus. Creditum est, quod à vero non abhorret, vim illam veneni, virulento morsu & sanie conceptam, Harmonia & vocum concentu per totum corpus diffundi, atq; inde fato nescio quo dilabi & exinaniri. Ideo illos, qui morbo ejusmodi laborarunt, si quid reliquiarum residuum fuit, quod penitus curatum non sit, si quando sono extrinsecus, vel concentu illorum aures affici contigerit, veluti mente consternatos toto animo & corpore concuti, ac manibus pedibusq; gestire compertum est, donec vis illa tabifica penitus extincta fuerit.* Alexand. ab Alexandro *Geniol. dierum lib. 2. c. 17.*

Atq; hisce historiis virtutem Musices medicam commonstrâsse satis sit.

CAPUT XIV.

De uſu Muſicæ Philoſophico, ſive Scholaſtico, πρὸς παίδευσιν καὶ ἀνάπαυσιν, inſtitutioni diſcentium, & refectioni doctiorum, atq; occupatorum, conducente.

ET Philoſophorum Scholæ, & ingenuis negociis occupatorum ædes, Muſices exercitium coluerunt frequentiſsimè: Cujus ſuavitate cùm diſcentium memoria illecta, doctrinarum primordia avidè imbiberet, & firmiter conſervaret; tùm doctiorum graviorúmq; virorum ingenia, ſtudiis & occupationibus defatigata, honeſti otii feriis & quiete rebus ſeriis aliquantum interpoſitâ, vires alacriter recolligerent, & oblectata ad ſeveriora excitarentur ſtudia.

Græci adoleſcentes, Muſicæ & Poëticæ potius vacabant, in quibus excellere pulchrum putabant. Et tametſi *canendi ad tibiam ars* libero homine indigna prius viſa foret, ad eamq; ſola mancipia admitterentur: ævo mox ſuccedente tanti fuit honoris, ut ad illam niſi liber & ingenuus admitteretur nemo. *Alex.* lib. 2. gen. dier.

ARISTOTELES Muſicam inter ingenua exercitia connumerans, vult omnes cives ſuæ Reipub. in ea inſtitui, & exerceri, dum juvenes ſunt. *lib. 8. Polit.* Id quod *Pythagoras* quoq; cenſuit; cujus diſcipuli tanti fecêre Muſicam, ut ſummo mane excitarentur ad Lyram, & quietem capturi ſono invitarentur. *Alex. ab Alex.* lib. 2. c. 25. Et multum ſtudii Muſicæ impendiſſe Pythagoram Samium, ſuperior annotatio exhibuit.

Videtur omnino Græcorum ſapientia per Muſica Theoremata præcipuè tradita fuiſſe. Apollinem idcirco omnium Deorum, Orpheumque omnium virorum Muſicæ peritiſsimos ac ſapientiſsimos exiſtimarunt, omneſq; eos, qui hac ipſa arte uterentur, Sophiſtas appellarunt. *Athen.* lib. 14. c. 13.

Cretenſes juſſerunt Libertorum filios cum quodam concentu & melodia *primùm* Leges perdiſcere, ut ex Muſica voluptatem caperent, & faciliùs eas memoria complecterentur, ne ſi quid contra Leges

admisissent, per ignorantiam se id fecisse possent defendere. *Secundum*, quod eis discendum proponebant, erant Hymni, in Deorum honorem facti. *Tertium* fortium virorum Encomia. *Ælian.* de var. histor. lib. 2. & *Athenæus* lib. 14. c. 11. Rectiùs sanè Cretenses judicarunt, quàm *Diogenes Cynicus*, qui cuidam, Musices peritiam commendanti, crassè respondit:

Γνώμαις γὰρ ἀνδρῶν εὖ μὲν οἰκοῦνται πόλεις,
Εὖ δ' οἶκος· οὐ ψάλμοισι καὶ τερετίσμασιν.

Laërtius lib. 6. Ignoravit Psalmis & cantilenis optimas quasq; sententias, Reipub. & Oeconomiæ utiles, & virtutum in viris præclaris specimina, mensurari, exprimi & inculcari posse.

Sic LACONES institutionis gratia affectabant Cantilenarum & Carminum elegantiam, quibus inerat aculeus, qui excitaret animos, spiritusq; motu occulto quasi œstro percelleret, & summa alacritate inflammaret. Dictio nuda erat & virilis; neq; argumentum habebat aliud, quàm elogia eorum; qui generosè vixissent, & pro Sparta occubuissent, quos immortalitati commendabant, & probra ignavorum; quòd acerbam atq; infelicem ducerent vitam; professionem item & magniloquentiam ad virtutem congruentem ætatibus. *Plutarchus* in Laconicis.

Apud *Romanos* quoq; majores natu in conviviis ad tibias egregia superiorum opera, & fortium heroũ facta carmine comprehensa canebant, quò per hæc ad memoriam virtutis carmina ad eorundem factorum incitamenta juventutem redderent alacriorem. Quid hoc certamine splendidius; quid utilius? Pubertas canis debitum honorem reddebat, atq; arbitrabatur grande nefas & morte piandum, si juvenis vetulo non assurrexerat: defuncta virium cursu ætas ingredientes actuosam vitam favoris nutrimentis prosequebatur. Quas Athenas, quam scholam, quæ alienigena studia huic domesticæ disciplinæ prætulerim? Inde oriebantur Camilli, Scipiones, Fabricii, per quos res Romana ita fuit aucta, ut universo orbi imperaret. *Valerius Maximus* lib. 2. c. 1. *Cicero* lib. 1. & 4. Tuscul. quæst.

Sum-

Summam eruditionem & animorum institutionem longè præclaram esse in nervorum vocumq; cantibus sitam, à Græcis semper ferè creditum. *Cicero* 1. Tuscul. quæst. Hinc veteribus Græcis præ aliis curæ fuit, ut in Musica institueretur Adolescentia, cujus animos Musicâ arbitrabantur informandos, & dirigendos ad *τὸ πρέπον*, quod conducat Musica ad omnia, atq; ad actionem omnem seriam, præsertim ad discrimina bellica. *Plutarch.* de Musica.

Ex DIOTOGENE PYTHAGORÆO constat, quod primi illi Legumlatores, cùm animadverterent, quòd hominum studia non possent omnino tranquilla esse, admiscuerint eis saltationem & rhythmum, motu certo & ordine constantes: adhæc Ludos concesserunt, qui vel ad mutuam conjunctionem promoverent, vel ad verum cognoscendum acuendumq; ingenium facerent. *lib. de Sanctitate.*

Et PLATO institutioni liberorum, circa quam totum studium, tanquam circa messis urbanæ sementem, adhibendum judicat, illi, inquam, institutioni adjungit Musicam, & hanc secundum ordinem ab ipso institutum conservandam monet: Nusquam enim, inquit, Musicæ modi mutantur absq; maximarum legum civilium mutatione. Arcem igitur seu *φυλακτήριον* struere oportet circa Musicā. *ἡ γοῦν παρανομία αὔτη ῥαδίως λανθάνει παραδυομένη, ἦν, ὡς ἐν παιδιᾶς γε μέρει, καὶ ὡς κακὸν οὐδὲν ἐργαζομένη.* Et deinde incōmoda mutatæ Musicæ addit, quòd omnia publicè & privatim evertat. Quando verò bene incipientes pueri jocari & ludere legitimum per Musicam morem imbibunt, in contraria his omnino ac superioribus Musica tendit atq; augescit, erigens si quid antea in civitate jacebat: *lib. 4. de Republica.*

Institutionem qui Modi Musici juvent, *Cassiodori* judicio, existimantur Dorius & Lydius: quorum ille prudentiæ largitor est; hic bonorum effector eximius, qui intellectum obtusum acuit, ipsiq; terrenâ nauseâ gravato cœlestium inducit desiderium.

Hîc etiam commemoranda est *C. Gracchi institutio,* Musici Instrumenti beneficio pronunciationem informantis. Is quoties ad populum concionem habuit, servum Erycinum à tergo Musicæ artis pe-

ritum habuit, qui occultè eburneâ fistulâ, quam *Tonation* vocant, pronunciationis ejus modos formabat, aut nimis remissos excitando, aut plus justo concitatos revocando: quia ipsum calor atq; impetus actionis attentum, hujusce temperamenti æstimatorem esse non patiebatur. *Val. Max.* lib. 8. c. 10. *& Gellius* lib. 1. c. 11. *ex Cic. & Plutarcho.*

Præterea *Platonis* institutum erat, juventutem Musicæ disciplinis inter primas artes informari debere, ut hoc modo graviora studia honestâ voluptate lenire possint.

Quid quòd animi reficiendi gratia SOCRATES in senectute instructus à *Conno* fidicine, addidicit Musicam, non modò absque probri suspicione, verùm summa quoq; cum laude, majorem existimans inuri alicui turpitudinis maculam, hoc studium in senectute ignorare, quàm eidem dare operam.

Et PLATO, Musicæ, inquit, vacare exercitationi, loco honesti otii & voluptatis ingenuæ, duxerunt viri pacis belliq; artibus illustres.

HIERONYMUS FRACASTOREUS Veronensis, Mathematicus, Poëta, Medicus clarissimus, Musicâ unicè delectabatur, eaq; tanquam cote seriorum studiorum utebatur. *Auctor vitæ.*

RODOLPHUS AGRICOLA Frisius puellas amare se nonnunquam simulabat, verùm nunquam deperiit. In harum gratiam patriâ linguâ amatoria carmina quædam scripsit elegantissimè, quæ puellis præsentibus, primariisq; amicis voce & testudine suavissima modulatione canebat. Hujusmodi cantionibus animum intentiore studio gravatum interdum remittebat. *Gerard. Noviomagus* in ejus vita.

LUCIUS SYLLA ut animum, laboribus & affectibus diversis laborantem, refocillaret, optimè cantasse dicitur.

EPAMINONDAM, Polymni Filium, Thebanum, Græciæ Principem, legimus fidibus præstantissimè cecinisse. Ut enim in Philosophia Præceptorem habuit *Lysiam Tarentinum*, Pythagoræum: sic cytharizare & cantare ad chordarum sonum edoctus est à *Dionysio*, carmina cantare tibiis ab *Olympiodoro*, saltare à *Calliphrone*. *Cicero* I. Tusc. quæst. *Probus* in Epaminonda.

PERICLEM præceptorem habuisse in Musicis *Damonem*, memorant

rant plerique, *Aristoteles* Musica excultum apud Pythoclidem tradit. Apparet Damonem, cùm insignis esset Sophista, quo ad vulgus acrimoniam suam inumbraret, nomen prætexuisse Musicæ. Adfuit Pericli hic velut athletæ in Repub. aliptes & Magister, non fuit clàm tamen Lyræ Damonem velamento uti. *Plutarchus* in ejus vita.

LYCURGUS quamvis durissimas subditis suis leges injungeret, Musices tamen studium egregiè videtur amplexatus.

ALEXANDER, licèt graviter à Patre Philippo objurgaretur, citharæ operam dedit, ut haberet unde serias & severas de Monarchia & Principatu meditationes quandoq; reprimeret, aut exercitio majore fatigatum corpus reficeret.

Post ardua deniq; bella, Ducibus & militibus oportunũ esse tempus utendi Musicâ, innuit HOMERUS, quando utile & jucundum exercitium invenit negociis vacuo Achilli, de quo *Valerius Maximus* refert: Homerus, inquit, ingenij cœlestis vates, Achillis vehementissimi manibus canoras fides aptavit, ut earum militare robur levi pacis studio relaxaret. *Val. Max.* lib.8.c.8. Nam cùm bellator esset & strenuus, Achilles, ex offensione, quam contra Agamemnonem conceperat, periculis bellicis abstinebat. Dignum igitur Heroë existimabat Poëta, ut animum ejus optimis modulamentis exacueret: quò ad expeditionem, quam brevi pòst suscepit, esset paratus. Id sanè efficiebat, Veterum res gestas ad memoriam reducendo. Præcones enim Agamemnonis cùm ad tentorium ejus adventassent, ipsum invenerunt fidibus ludentem, quod ex illis versibus constat:

Τὸν δ' εὗρον τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ
Καλῇ δαιδαλέῃ, ἐπὶ δ' ἀργύρεος ζυγὸς ἦεν
Τὴν ἄρετ' ἐξ ἐνάρων πτόλιν ἠετίωνος ὀλέσσας
Τῇ ὅγε θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν.

Accepimus ipsum quoq; Musicam tractasse *Herculem* ab Eumolpo doctum. *Natal. Comes* lib.7.c.1. *Theocrit.* Et complures sapientissimos CHIRON, ut memoriæ traditũ est, docuit: qui pariter Musicæ ac Medicæ artis fuit Doctor. *Plutarchus* de Musica.

SIRENES quoq; apud Homerum canunt Ulyssi ea; quibus maximè delectabatur, quæq; ejus & ambitioni & scientiæ multiplici erant consentanea: dicuntq; quisquis illos cantus audierit, eum & cum delectatione recedere doctiorem. *Suidas.*

Sed tantum de Musicæ beneficio & usu in gratiam instituendi & reficiendi, quantum in promtu fuit, attulisse sufficiat.

CAPUT XV.

De admiranda vi, motu, & effectu Musicæ in Brutis, cùm per Naturæ inclinationem, tùm per institutionis assuefactionem.

PRodeant gregatim ad Scholæ Musicæ classes ex stabulis jumenta, ex nidis & maceriis aviculę & volatilia, ex spelæis feræ & animalia immania: quorum Naturam impetu tàm propenso in Musicum cōcentum ferri compertum est, ut eo non tantùm mirificè delectētur & gaudeant; verum etiam ejusdem incitamento cum admiranda institutione alliciantur & assuefiant ad actiones, etiam quæ captum planè excedere videntur brutum.

Quis nescit DELPHINUM, quem *Arion* Methymnæus, sive ex Methymna, Lesbi oppido, Citharædus & Poëta Lyricus, concentu Lyræ ad sese vocavit, ubi è Tarento Corinthum, ut *Herodotus* vult, navigaturus, pyraticæ navi sese non tutò commiserat. In ipso enim cursu à Prædonibus ad necem poscitur, ut potiantur vi pecuniarum, quas in Italia & Sicilia, ob artis præstantiam, meruisset. At rogavit, ut liceret saltem, Cygnorum more, sibi funebre carmen in mortis solatium canere, hisq; pecuniam profudit, ut ea ratione experiretur, an animos illorum placare posset. Illi autem his minimè persuasi, jusserunt, ut vel seipsum occideret, quò sepulturam consequeretur, vel in

mare quàm citiſsimè deſiliret. *Arion* itaq; ſpe fruſtratus, cum ſentiret illos nulla cantus ſuavitate deliniri, foris conſcenſis, toto apparatu inſtructus, Orthium carmen modulari cœpit. Ad ſuavitatem ſonitus congregatos ferunt Delphinos aliquot; ipſumq; Ariona, non ignarum naturæ illius animalis (qua etiam Ulyſſem, Telemachum, Cœranum, filium Melicertæ, & Enalium ſervavit) deſiliiſſe in dorſum unius ex illectis, qui eum exceptum per longa æquorum ſpacia placidè devexit ad littus Tænarium Laconiæ incolumem. Rem omnem *Plutarchus* in Convivio, & *Ovidius* non minùs luculenter expreſsit:

Quod mare non novit, quæ neſcit Ariona tellus?
Carmine currentes ille tenebat aquas.
Sæpe ſequens agnam lupus eſt à voce retentus;
Sæpe avidum fugiens reſtitit agna lupum.
Sæpe canes Leporesq; una jacuêre ſub umbra:
Et ſtetit in Saxo proxima cerva Leæ.
Et ſine lite loquax cum Palladis alite cornix
Sedit, & accipitri juncta columba fuit.
Cynthia ſæpe tuis fertur vocalis Arion,
Tanquam fraternis obſtupuiſſe modis.
Nomen Arionium Siculas impleverat urbes,
Captaq; erat Lyricis Auſonis ora ſonis.
Inde domum repetens puppim conſcendit Arion,
Atq; ita quæſitas arte ferebat opes.
Forſitan, infelix, ventosq; undasq; timebas,
At tibi nave tua tutius æquor erat.
Namq; gubernator diſtricto conſtitit enſe,
Cæteraq; armata conſcia turba manu.
Ille metu pavidus, Mortem non deprecor, inquit:
Sed liceat ſumta pauca referre Lyra.
Dant veniam, ridentq; moram, capit ille coronam,
Quæ poſſet crines, Phœbe, decere tuos.

Induerat Tyrio distinctam murice pallam;
Reddidit icta suos pollice chorda sonos.
Flebilibus numeris veluti canentia dura
Trajectus penna tempora cantat olor.
Protinus in medias ornatus desilit undas,
Spargitur in pulsa cærula puppis aqua.
Inde (fide majus) tergo Delphina *recurvo*
Se memorant oneri suppposuisse novo.
Ille sedet, Citharamq; tenet, preciumq; vehendi
Cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas.

Ovid. 2. Fastorum. *Gellius* lib. 16, c. 19. *Herod.* lib 1. *Natal. Com.* Mythol. lib. 8. c 14.

Et sanè vero quàm simile est, ut Delphinum ad sese excipiendum incitarit, Piratas quoque, ne suum abitum impedire vellent, eodem sono permovisse. Historiam testata est non tantùm vetustas, sed & statua ex ære, quæ ibi loci visitur monumentum rei gestæ, simulachrum videlicet Delphini vehentis, & hominis insidentis. *Sabell.* lib. 10. c. 8. *Plutarch.* in Convivio.

Et *Pindarus* autor est, ad Cantilenæ modos Delphinum marinum saltasse cum gestu:

Quem movit in maris tranquilli concinens
Suave carmen profundo.

Saltantium certè spectaculo oblectati lumina attollunt, ac gesticulatione simul huc illuc armos ad sonum jactant. *Plutarchus* lib. 7. Con. quæst: 5.

Et historia subest fabulæ, quando Orpheus & Amphion sylvas, saxa & feras cantu suo traxisse leguntur, quòd revera feras sylvis & scopulis provocarint Musica delectatas: Nam cervi & armenta pastorali fistula mulcentur, & aves quædam cantu capiuntur.

Constat quoq; apud Septentrionales *Ursos, Delphinos, Cervos, Oves,* atq; *Vitulos,* imò & *agnos delectari Musicis Melodiis:* rursusq; horrisonis

corni-

cornibus seu Tubis ab armentis arceri Lupos & Ursos. Itaq; Pastores bicornibus fistulis (*Sackpipas* illi vocant) ludentes, aliquando per Ursos rapti, continuè ludunt, donec fame urgente ursus discedat, alimoniam conquisiturus. Tunc accepto caprino cornu, interdumq; vaccino, sonum horridum excitant, & feram à reditu terrent.

Pecora & *armenta* fistularum sono audito avidiùs escam sumunt, atq; compresſiùs paſcuntur in herbis, uti *Paulus Diaconus* lib. 5. c. 37. meminit, & *Plinius Olaus* lib. 18. c. 31. hist. Septentr.

Equabus, quando ineuntur, carmen tibia accinitur, quod *Hippothoron* appellant. *Plutarchus* lib. 7. Con. quæst. 5.

Avibus non tantum naturâ insitum Musices amorem, sed ejusdem in illis admirabilem motum attestatur & *Strabonis* historia de Eunomi cicada. Is enim Timæum citat autorem, in Pythiorum certamine Eunonum Locrensem, & Rheginensem Aristonem in canendi certamen venisse. Aristonem Apollinem invocasse Delphicum, ut sibi canenti foret auxilio, quòd à Delphis Rheginenses olim essent profecti. Eunomus respondit Rheginensibus, ne certandum quidem omnino de Musica, apud quos Cicada, vocalisſimum animal, voce careret. Utrisq; certantibus, cùm in Eunomi cithara una inter canendum chorda fracta defecisset, Cicada supervolans astitit, ac vocem alioquin defuturam suo cantu supplevit. Atq; ita victor declaratus statuam Citharœdi Locris posuit, cum cicada Citharæ insidente. *Strabo* lib. 6. Ejus simulachrum Delphis quoq; fuit cum Epigrammate, quod *in 4. lib. Græcorum Epigrammatum* legitur.

Nec sine causa *Cicadæ*, cùm quippe Musicæ sint, *sacratæ* sunt *Apollini*, qui patrius est DEUS Athenarum. Hinc Atheniensium vetustissimi capillis adhibuerunt implicandas τέττιγας, id est, Cicadas aureas; Ob quam causam etiam inter alias τεττιγοφόροι dicti. *Cæl.* lib. 12. cap. 6. *Erasm.* in adag. Et do-

cet *Lysias* in funebri concione, ac stylum exercens *Plato* in Menexemo, Thucyd. interpres: ἐΦόρευν δὲ τέτ]ιγας Δὶα τὸ μυσικόν. At fidem nescio quam meretur illud, quod *Marulus* annotat de aviculis & cicada concione commotis, quæ cum accentu & vocis elevatione fieri solet. Ad D. Franciscum, inquit, in solitudine concionantem aviculæ confluebant, neq; refugiebant manum ejus, usq; adeò obsequentes, ut non nisi ipse jussisset, abirent; non nisi ipse jussisset, garritum comprimerent: non quòd jussa intellexerint, sed quòd jubentis autoritatem virtutemque senserint. Cùm aliquando in horto inter fruteta deambularet, cicada ficulneam linquens, super evocantis manum consedit: & Deum laudare jussa, voce tinnula, gutture fistulato, suaviorem solito stridorem edidit. *Marulus* lib. 4. c. 5. Fides sit penes Autorem.

Ex superioribus autem, verisq; historiis satis superq; manifestum est, Naturam in brutis per se & sua facultate, insitâq; ὁρμῇ, Musicæ suavitate cum oblectamento moveri.

Nunc porrò memorandum, *quomodo Musicæ vi & beneficio artifici*, per vocalem sonum, sonoramq; vocem, qualis Naturæ eorum congruit, ratione destituta *animantia* legantur esse *instituta*, *& ad varias assuefacta actiones*, in quibus omnino τῦ λόγυ ἀνάλογόν τι videntur referre, tàm quadrupedes, quàm pisces & aves.

CROTONIATÆ tibiarum cantu Sybaritarum equitatum, Equis ad saltandum assuefactis, tibiæ sono tripudiantibus, perdidêre. *Sybaritarum* enim *Equos ad tibiam saltare assuetos*, Crotoniatæ in expeditione adversùs eos tibiis inutiles reddiderunt. Cùm enim tibiarum sonum Equi illorum audivissent, non exilierunt solùm, sed & sessores habentes ad Crotoniatas transfugerunt, teste *Aristot.* in Repub. & *Athen.* lib. 12. c. 6.

Huc quodam respectu, videlicet institutionis & incitamenti, commodâ voce & præcantatione facti, referri possunt exempla multa à Veteribus. *Elephas* Latinè scribit: *Cervi hinnulus* Græcè doctus est: *Equi, Cynocephali, Elephantes* Musicam Philosophiam & literas discunt; Alicubi cantu dulci, ac voce molli & alacri ita cicurantur *Leones* feri,

ac horribiles, ut unà cum canibus ad venandum feras abeant in ſylvas & redeant: alicubi currui junguntur, quem trahunt equorum inſtar, ut ſolebant Romani aliqui Principes triumphum agere de devictis hoſtibus, ut currum Victoris Leones traherent, præeunte Muſicorum catervâ, qui muti & ſtupidi ſunt.

Ex Piſcibus Craſſi murena omnium literis ac prædicatione celebrata eſt: Ea vocem Craſſi blandè vocantis audiebat, adnatabat, & ſi quid ad edendum porrigeretur, accipiebat.

Aves deniq; advolant, moderamine vocis aſſuefactæ, ut grege ſuo Muſicam Brutorum Scholam ſtipent, atq; in ea quid profecerint, ſpecimine edant.

En LUSCINIÆ apud *Plinium*; Motacilla apud *Ælianum* Græcè loquuntur, ad longiorem contextum.

CORNIX Regis Ægypti ad id condocefacta, regias literas ferebat, quocunq; proficiſci juberetur, ac reddebat quibus oportebat diligenter.

CORVUS Cæſarem Auguſtum ſalutare didicerat verbis hiſcemodi: *Ave Cæſar victor Imperator.*

Hujuſmodi plurima exempla recitat *Ælianus* de hiſtoria animalium lib.2.c.11. lib.6.c.7. lib.8.c.4. lib.11.cap.25. lib.16.c.13. lib.17.c.26. *Plinius* lib.8.c.16. lib.10.c.42. & *Macrobius* lib.2. Saturnalium c. 42.

Et ad miraculū, ſi fides *Plutarcho* de animal. docilis PICÆ cujusdā probata imitatio, de qua *ibidem Plut*: his verbis: *Tonſor quidam, qui officinam Romæ habebat pro templo, quod forum Græcum vocant, garrulam ad miraculum uſq; & loquacem alebat Picam. Hæc* verba humana, voces ferarum *&* Organorum crepitus *reddebat, nullius coacta, ſed meditans ipſa, elaboransq; nihil prætermittere, quod non exprimeret & ſimularet. Fortè funus divitis cujuſpiam illac* ad multas tubas *ducebatur. Quia verò eo loco conſiſtebat de more pompa: tubicines celebres, qui canere jubebantur, diu illic moram traxêre.* Pica *poſt illum diem muta & elinguis erat, neq; vocem ſuam in laboribus neceſſariis mittebat. Quapropter qui mirati ante fuerant ejus vocem, his majore miraculo erat ſilentium & mutum acroama, quibus*

quotidianum illac iter erat. Conjiciebatur autem in ejusdem artis opifices Veneni *suspicio: major pars à* Tubis *suspicabantur præstrictum fuisse ejus auditum, atq; unà cum auditu ejus vocem extinctam. Cæterùm* neutrum *horum fuit, sed* meditatio *vi imitatrice in seipsam revocata, vocemq; velut organum aptante & instruente. Post enim repentè apparuit & eluxit vox, neq; ex solitis illis & pristinis simulacris quicquam, sed* Tubarum cantilenas iisdem periodis *sonabat, varietatesq; omnes ac vocum cunctos* numeros *peragebat.*

Scholam Brutorum Musicam priusquam dimittimus, ad dimissionis horam audiendum probet profectum suum PSITTACUS ille, qui procul dubio à quodam Leonis amico ita informatus, aut Dei providi, qui asinam loqui fecerat, instinctu, articulatæ præcentioni probè succinuit. Nam Leo Basilii Macedonis Imper. filius, à quodam monacho Theodoro Sandabareno, apud patrem insidiarum causâ delatus, in carcerem conjectus, tandem hoc modo liberatur. In palatio Psittacus, in cavea suspensus, vociferari sæpius solebat: *Heu heu Domine Leo,* quod ipsum cum quodam tempore, quo ad convivium Imper. Senatores præcipuos vocasset, aliquoties reiterasset, mœsticiâ obortâ, convivæ cibo potuq; omisso cogitabundi sedebant. Quod animadvertens Imperator, causam tristitiæ perquirit. Illi oculos lacrymis oppleti: Quî, inquiunt, Imperator, cibum capiamus, voce bestiæ hujus objurgati, nos qui rationis compotes, & Dominorum studiosi credimur? Bruta hæc avis Domini sui nomen invocat: nos luxui dediti, insontem oblivioni mandamus. His verbis mitigatus Imperator, Leonem carcere eductum in conspectum suum admittit, vestem lugubrem demit, comam superfluam auferri jubet, dignitatemque Cæsaris pristinam reddidit. *Cedrenus.*

Apertam hanc Brutorum Scholam frequentiùs ingrediatur nonnulli ratione, qua præ reliquis animantibus præditi sunt, malè utentes, ἄμουσοι, quibus turpe sit, ratione carentium disciplinæ cedere, & nullo Musicæ motu ac vi tangi, & plus quàm Bruta brutescere. Imò pudor sit, multorum hominum Naturam non expugnari ac mollesce-

re blandis menitis, doctrina & institutione multa: cùm animalia assuefiant, quocunq; volueris, minori propè labore. *Omni animali faciliùs imperabis, quàm Homini.* *Xenophon* lib. 1. Cyropædias.

Omnia namq; sua Naturæ debita solvunt,
Præter eum, plus his qui rationis habet.

Atq; hæc de motu & effectu Musicæ in Brutis: De Saxis & Sylvis cantu permotis dictum sub ἠθικῇ Musices efficacia.

CAPUT XVI.

De Usu & Exercitio Musices ἱερουργικῷ in sacris & sacrificiis Ethnicorum Deorum Dearumq; peragendis.

CElebris olim in Ethnicorum sacris sacrificiisq; fuit tam *assæ vocis*, quam *organorum Musicorum usus*, adeò ut eundem in exercitio religionis negligere, fuerit religio. Hujus rei varias adducunt rationes, quarum quasdam easq; principes annotabimus. Et *primò* quidem Musices, maximè organices, usus apprimè fuit necessarius, πρὸς κατακλησίαν καὶ συλλογὴν καὶ ἀποπομπὴν, ad multitudinis collectionem & dimissionem. Ad illa enim sacra indicenda & ad homines ad illa convocandos, iisq; peractis rursus dimittendos, organorũ istorum flatũ pulsũmq; adhibuerunt.

Secundò, πρὸς τὴν τῆς ψυχῆς παρασκευὴν καὶ φιληκοΐαν, ad animum præparandum, quia compositos animos sacrificantiũ esse oportere significabant, cùm metro compositæ preces domo ad altaria essent offerendæ. Neq; enim animus domesticis negotiis implicatus debet ad Deum colendum proficisci: sed omnia negotia pro viribus è memoria obliteranda sunt, cum ad aras accedimus.

Tertiò πρὸς τὴν μίμησιν καὶ ὁμοίωσιν θεϊκῆς φύσεως. Cùm Deos cœlestia corpora esse arbitrarentur, & numeris atq; proportionibus constare putarent, iccircò per hymnorum & instrumentorũ & saltationũ

rhythmum Deorum naturam imitabantur & oblectabantur sacrificā-tes,& dies festos agentes,conviviis ac genio indulgentes,Deorumque ipsorum felicitatem aliquo pacto imitantes, pro viribus proximè ad Deorum immortalium naturam accedebant. Nam cùm præclarum Dei opus,mundum,concentu constare crediderint, omnia Musica diis grata esse meritò existimabant, ut scripsit *Natal.Com.*lib.9.c.7.

Quartò utebantur isto Musices organorumq; concentu *πρὸς ἐυθυμίαν καὶ χαρμοσύνην*,ad illos qui sacris interessent exhilarandos, & ab omni tristitia ad læticiam hilaritatemq; traducendos,quam in sacris festisq; suis maximè requiri, diisq; quos colebant, placere arbitrabantur,ut canit *Ovidius:*

Dii quoq; ut à cunctis hilari pietate colantur,
Tristitiam poni per sua festa jubent.

Et *Aristoteles 8.* Polit. *ἱερὰ μέλη*, sacros cantus dicit vim habere medicinæ & purgationis ad animos componendos & sedandos.

Quintò πρὸς ἐνθουσιασμὸν; non enim deerant inter Gentiles,qui homines istis tibiarum,cymbalorum, aliorumq; instrumentorum sonitus divinitus afflari, & ad divinandum excitari opinabantur. *Jamblichus* de myst. Ægypt.sect.3.cap.9. scribit: Musicam magnam habere vim, & si soni, carmina atq; cantus, qui singulis diis sunt consecrati, adhibeantur,ipsorum Deorum adventum atq; præsentiam effici posse confitetur. Plures rationes vide apud *Stuckium* de sacris & sacrificiis.

Erant autem *cantilenæ* illæ *in sacrorum ritu* peragendo *usitatæ* nihil aliud, quàm *commemorationes* eorum *beneficiorum*, quæ Dii ipsi in homines benignè contulerant,cum virium ipsorum Deorum & Clemētiæ ac liberalitatis amplificatione,adjunctis precibus, ut benigni atq; faciles precantibus accederent, ut ait *Philochorus* in lib. de Sacrificijs: Id quod omnis ratio conscribendorum hymnorum efflagitat, ut sentit *Nat.Com.*lib.1.c.10. & 16. & lib.9.c.7.

Singulos autem singulis Diis dicatos voluerunt, certosq; hymnos, quos illorum festis sacrisque diebus decantarent, quod ex *Theodoreto* etiam constat,serm.4. ad Græcos infideles: *Ne*,ait,*cantemus*

Iulum

Iulum Cereri, neq; ipsi Rhea Lityctsam, ne Bacchô dithyrambum, ne Paana Pythio Apollini, néve Diana concinamus Hipoepum: sed rerum omnium conditori Deo hymnos Davidicos proferamus &c. Sed de his alibi prolixiùs diximus.

Musicorum porrò instrumentorum in sacris sacrificiisq; multa fuit usus frequentatus celebritate, quod ex sequentibus satis superq; est manifestum. Tibiarum autem concentus in sacrificiorum solennitate fuit frequentissimus. Hinc *sacrifica* à Seneca dicuntur *tibia*:

sacrifica dulces tibia effundat modos.

Et à *Plinio* lib.16. c.36. *Nunc sacrifica*, inquit, *Thuscorum tibia è buxo fiunt.*

Telestes Poëta apud Athen. lib.14. dixit tibias sacras, his versibus:

> *Phrygûm Rex leniter personantium tibiarum sacrarum*
> *Cantum primus invenit, dorica Musa aequiparandum*
> *Æmulum: variè modulatum tenebrosi spiritus*
> *Auram levem atq; pernicem arundine complectens.*

Ovidius quoq; ad illum usum spectat, *lib.6. Fast.*

> *Quaritur in scena cava tibia: quaritur aris.*

Hostias namq; apud Romanos ad praeconem & tibicinem immolari fuisse solitas, *Cicero* clarè testatur, *in orat. contra Rullum: Erant*, inquit, *hostia majores, in foro constituta, qua iis pratoribus de tribunali, sicut à nobis consulibus de consilii sententia probata ad praeconem & tibicinem immolabantur. Idem* lib.2. de leg. *Popularem laetitiam in cantu & fidibus & tibiis moderanto, eamq; cum divum honore jungunto.*

Livius item approbat *lib.9.* Tibicines solitos praecinere sacrificiis Romanis, & thure incensis altaribus tibicinem *Spondaeum* canere jussisse, ut duabus longis symphoniis quasi duplicibus & jugibus vocibus prospera Deorum voluntas firmaretur. Hic pes propterea *Spondaus* dictus, quod in sacrificiis libantes eo maximè uterentur, cum Graeci σπονδὴν libamina appellent.

Dionysius quoq; *Halicarnasseus* lib. antiquit. Rom. de tibicinibus in

ludis ſacris & ſacrificiis ſic ſcribit: ἠκολούθουν δὲ τοῖς ἀγωνισταῖς χοροὶ &c. Hoc eſt: *Athletas porrò ſequebantur ſaltatorum chori, diviſi triſariam: primò virorum, deinceps impuberum, poſtremò puerorum. Poſt quos tibicines, inflantes antiqui moris tibias breves, quarum hucusq; permanſit uſus, Cithariſtæq; pulſantes eburneas ſeptem fidium lyras, & quæ vocantur barbita, quorum vetus apud Græcos uſus deſiit: apud Romanos verò adhibentur omnibus antiquis ſacris.* Et paulò poſt; μετὰ δὲ τοὺς χορούς, *Poſt hos Choros tranſibat agmen cithariſtarum ac tibicinum.*

Plutarchus in lib. de Muſica: Quin & hyperboreorum ſacra adhibitis tibiis, citharis & fiſtulis in Delum miſſa, referunt antiquitus. Non igitur ſolùm fiſtulæ & tibiæ, ſed alia etiam organa muſica in ſacris adhibita fuerunt. Horum omnium, ut & aliorum in ſacrificiis rituum, pulcherrimam extare deſcriptionem affirmant in *columna Trajani Cæſaris marmoreâ*, antiquiſsimâ juxta ac celeberrimâ, quæ Romæ in medio Trajani foro erecta, ſola ferè inter alias vetuſtatis reliquias eſt ſuperſtes & integra, & reliquarum antiquitatum quaſi quædam epitome veriſsimè dici poſsit. Poſtquam igitur Imperator ille, (pergit Stuckius) *pugnæ ſemper ſacrificium præmittens*, proponitur, idq; ſecundum tritam & pervulgatam Romanorum conſuetudinem, quâ non licebat Imperatori cum hoſte congredi, niſi priùs diis eſſet ſacrificatum, illic Tibicinum præter alia deſcriptio etiam exprimitur.

Tibicines namque, *tubicines* & *liticines* erant miniſtri ſacrorum, tibiis tubis & lituis inter ſacrificandum inſonantes, quorum non tantum imagines videri in illa Trajani columna, ſed eorum paſsim in omnibus ſacrificiis fieri mentionem memorant. Hi igitur interim dum ſacrificium peragebatur tibiis, tubis & lituis canebant, *lauro redimiti.* Nec enim ſolæ *tibiæ* adhibebantur in ſacris & ſacrificiis, ſed iiſdem conjungebantur *lyræ, citharæ, fiſtulæ, ſiſtrorum, cymbalorum, tympanorumq;* concentus. Imò *tubarum* quoque, *buccinarum, lituorum, cornuum* uſum non apud Judæos tantùm, ſed etiam apud Gentiles.

Hinc *Armiluſtrium*, teſte *Feſto*, feſtum erat apud Romanos, quo res divinas *armati* faciebant: ac dum ſacrificarent, tubis canebant. Et *Tubiluſtrium*, ut auctor eſt *Varro*, dictum, quòd eo die in atrio ſutorio tubæ luſtrabantur. *Feſtus: Tubiluſtria* dies appellantur, in quibus agnâ tubas luſtrabant: quibus diebus adſcriptum in Faſtis erat, cum in atrio ſutorio agnâ tubæ luſtrarentur, ab eis tubos appellant: quod genus luſtrationis ex Arcadiæ Pallanteo translatum ac veniſſe dicunt. *Ovid.*

Proxima Volcani lux eſt, Tubiluſtria dicunt,
Luſtrantur pura, quas facit ille, tuba.

Et Tubicines, eodem teſte, etiam ii appellantur, qui publicè ſacra faciebant, tubarum luſtrandarum gratia.

Tubæ, inquit *Varro*, à tubeis, quos etiamnum ita appellant tubicines ſacrorum, qui tubis in ſacrarum adminiſtratione canebant. Et *Euſtath.* in 2. Iliad. inter ſex tubarum ſpecies, quas ibi enumerat, unam vocat *Ægyptiam*, rotundam, quæ χνέυε ſit dicta, quâ Ægyptios ad ſacra ſua uſos fuiſſe, ejusq; clangore homines ad rem divinam convocaſſe ſcribit. *Pollux* ſimiliter lib. 4. c. 11. tubæ ἐπὶ φθέγμα ἱερουργικὸν ἐπὶ θυσίαις, id eſt, ſonum ſacrum ſacrificialem dicit, qui apud Ægyptios, Argivos, Tyrrhenos & Romanos in uſu fuerit: indeq; Tubicinem, qui in ſacris tubâ canebat (quod apud Judæos ſacerdotum munus erat) ἱεροσαλπιγκτὴν ſive potius ἱερὸν σαλπιγκτὴν, id eſt, Tubicinem ſacrum & διαλυσάντην fuiſſe appellatum, forſan, quia tubæ clangore populum dimittebat.

Hoc nomine apud Romanos tibicines plurimi fiebant, magnusque illis tribuebatur honos Idibus Januariis, ut ſcribit *Plutarchus* quæſt. 55. Roman. Illo enim die permiſſum erat veſtem muliebrem indutis totam urbem circuire. Cujus moris hanc addit cauſſam. Magnos nempe *Tibicinibus honores Numa* Rex religionis cauſsâ contulerat: Quibus cum poſtea tribunis militum conſulari poteſtate Rempub. adminiſtrantibus privarētur, univerſi *Româ Tibur* receſſerunt, propterea quod ab Appio Claudio & C. Plautio cenſoribus in æde Jovis, veteri inſtituto epulari prohibiti fuiſſent.

Cumq;

Cumq; jam nemo esset, qui sacrificiis præcineret, & religio urgeret animos Romanorum, legati jussu Patrum missi sunt Tybur, qui publicè peterent, ut darent Tyburtes operam, tibicinibus sibi quoquo modo restituendis: Qui cum Tiburtium hortatu nihil moverentur, dissimulato negotio, eos veluti ad festas epulas invitant, & adhibitis etiam mulieribus, per totam noctem compotatio, joci, choreæq; protrahuntur: tum subitò vino, cujus avidum fermè est genus hominum, obrutos tibicines curribus imponunt, ac Romam sopitos deportant circumactis vehiculis, non enim per temulentiam & tenebras animadvertere poterant, ubi locorum essent: Nec prius ludibrium sensêre, quàm plaustris in foro relictis plenos crapulæ & adhuc semisomnes lux oppressit. Tunc populi concursus eò factus, impetratumq; ut Romæ esse vellent, restituto illis vescendi jure. Erant autem pleriq; vestibus floridis & mulieribus amicti, ob nocturnam commessationem & convivium. Concessum præterea ut quotannis solenni cantu triduum per urbem vagarentur, & tali quidem habitu. Vide *Livium* decad.1.lib.9. *Sabell.* lib.6.Ennead. 4. *Valer. Max.* lib.2.c.1. Et Festis Quinquatribus Minervæ sacris Tibicines personati per urbem incedebant, & ad ædem Minervæ conveniebant, & personati quidem, ut illi ipsi, qui Tybure Romam reducti fuissent, indicarentur, ut scribit *Polyd.* lib.4.c.14.

De illo ritu *Ovidius* sic canit:

Cur vagus incedat tota tibicen in urbe,
Quid sibi persona, quid toga longa velint?
Callidus ut possit specie numeroq; senatus
Fallere, personis imperat ore tegi,
Admiscetq; alios, ut hunc tibicina turba
Augeat in longis vestibus ire jubet.

Quod verò supra de hymnis & cantilenis dicebamus, ritus instituendi easdem, adjunctis instrumentis Musicis in actu sacrificiorum, erat hujusmodi: Dum urerentur victimarum partes, aræ impositæ, laudes & *Deorum hymni circa ipsam aram* canebantur. *Strophe* quoq; ac *anti-*

ſtrophi, moduli accinebantur ad imitationem *motuum ſtellarum*, ut ex *Ariſtox*. lib.1.de foram. tibiar. & *Bitone* lib. de inſtrum. Muſ. annotat *Nat. Com*. lib.1. Mythol.c.18. Nam modò huc, modò illuc inter illa ſacra ſaltantes volvebantur: atq; per *ſtrophen* motum primum hujus univerſi: per *antiſtrophen* proprias ſingulorum planetarum motiones ſignificabant.

Poſt cantiones quasdam ad aras Deorum finitas, accedebat aliquis ſacra certis verſiculis clauſurus. Hunc appellabant ἐπῳδὸν: propterea quòd poſt alias cantiones & hymnos pronunciabat, teſte *Galeno* lib.17.de off.part. Quæ autem reſervatæ erant victimarum partes, hiſce coctis veſcebantur. Antiqui enim Diis prius ſacrificantes, deinde ad relaxationem animi ſeſe demittebant, feſtivitatesq; illas ornatè & hilariter tranſigebant. Et hinc vox μεθύειν vino indulgere, ὅτι μετὰ τὸ θύειν, quòd poſt Deorum ſacrificia genio indulgerent. *Athen*. lib.8. c.13.

Quod ex his quoq; patet, quæ *Caſaub*. in lib.1. Athen. c.8. ſcribit de trito illo dicto: ἄκαπνα γὰρ ἀοιδοὶ θύομεν. Jus namq; hoc eſt, inquit, cantorum atq; Poëtarum, ut ſacrificent ſine fumo, hoc eſt, lautè epulētur nullo ſuo ſumptu. θύειν hîc potius τὸ εὐωχεῖσθαι, epulas poſt ſacrificia, quàm ſacrificandi actum ſignificat: quia rem ſacram, ut dictum, convivium opiparum ſequebatur. ἄκαπνα ea vox denotat τὸ ἀδάπανον: quia dapſilium epularum ſymbolum apud Poëtas eſt ignis aut fumus, τὸ πῦρ εὐωχίας σημεῖον. In illis conviviis largiùs ſolebant homines vino & compotationibus indulgere, Diis primò per ſacrificiorū ritum & Muſices ſuavitatem placatis, quod & *Theognus* innuere videtur his verſibus:

Φόρμιγγ' αὖ φθέγγοιθ' ἱερὸν μέλος; &c.

Citharâ rurſus ſonetus ſacrum carmen & tibiâ;
Nos verò libamenta Diis offerentes
Bibamus grata inter nos loquentes.

Et quia divinum quid animis imprimit vis Muſica, propterea magnâ *reverentiâ* adhibuerunt concentum Muſicum, inſigni quadam

gravitate ornatum, exclusa omni ineptia & lascivia, unde Tibicini cuidam in sacris ineptè obstrepenti *Stratonicus*, desine, dicebat: benè dicere hîc oportet, non malè canere: εὐφημεῖν Græci dicunt, quia *linguis animisq;* in sacrorum initiis *favere* jubebantur, ut autor est *Athenæus* lib. 8.

Memorant Scriptores, *matutinis* item vocum tibiarumq; *cantionibus* solitos fuisse Gentiles Deos suos salutare, quod hæc *Arnobii* verba *lib.7.* satis ostendunt: Etiamne Dii æris tinnitibus & quassationibus cymbalorum (afficiuntur?) Etiamnè tympanis? etiamnè Symphoniis? Quid efficiunt crepitus scabillorum? ut cum eos audierint Numina, honorificè secum existiment actum, & ferventes animos irarum oblivione deponant? An nunquid ut parvuli pusiones ab ineptis vagitibus crepitaculis exterrentur auditis: eadem ratione & omnipotentia Numina tibiarum stridore mulcentur, & ad numerum cymbalorum mollità indignatione flaccescunt?

Quid sibi volunt, inquit, excitationes illæ, quas cantici matutini, collatis ad tibiam vocibus, faciunt? Condormiscunt enim Superi, remeare ut ad vigilias debeant? Quid dormitiones istæ, quibus benè ut valeant, auspicabili salutatione mandatis? Somni enim quiete solvuntur, occupariq; ut hoc possint, lenes audiendæ sunt næniæ.

In *Delo* quoq; *Insula* nullum absq; Musico concentu peragebatur sacrum. Prodibant autem puerorum chori, tibiis ac citharâ præcinentibus, è quibus selectissimi quiq; saltabant. Eorum autem cantilenæ, ab usu saltationis, dicebantur ὑπορχήματα. (*Lucianus* in lib. de saltatione.) Jam idem, quod diximus de usu Musices sacro, singillatim ex quorundam Deorum Dearumq; sacrificiis perspiciemus.

Natal. Com. lib. 2. cap. 1. Mythol. annotat, JOVIS sacrificiis instrumentorum Musicorum concentum fuisse adhibitum, quippe qui simulatis sacrificiis adhuc parvus per cymbalorum tympanorũq; strepitum paternæ crudelitati à Corybantibus dicatur fuisse surreptus.

Idipsum in *Saturni* sacris, quæ ab ipso Saturnalia dicebantur, ob-

ſervatum, ubi circa ſtatuam æneã Saturni (quæ manus ſupinas in terrã inclinãtes exporrigebat, quibus deinde humana hoſtia impoſita, ignis vapore & calore torrebatur) incinentium tibiis & tympana pulſantium modulis opplebantur omnia, ne qua vox ejulantis exaudiri poſſet. Idem ſcribit *Stuckius* lib. de ſacris ſacrificiisque, iſto nimirũ Muſicorũ inſtrumentorum ſonitu atq; ſtrepitu impedire voluiſſe ſacrificantes, ne vel hoſtiarum, quæ immolabantur, vel etiam hominum, ab iis qui ſacris intererant, voces lugubres, triſtes & ominoſæ, quibus irrita fieri poſſent ſacrificia, exaudirentur. Hujus rei (pergit) clarum manifeſtumq; exemplum & teſtimonium habemus in humanis illis ſacrificiis (quales Saturno immolabantur) quæ omnis humanitatis expertia, immanitatum contra pleniſſima fuerunt: in quibus tympanorũ, cymbalorum, aliorumq; inſtrumentorum graviſſimi ſoni pulſabantur, ne lamentabiles miſeri funeſtiq; illorum, qui igni cremabantur, fletus, ejulatus, clamores atq; vociferationes liberorum, præſertim à parentibus exaudirentur, quibus illi ad commiſerationem commoverentur.

Cum libarent & litarent APOLLINI, ſubmiſsè canebant & cum ordine, ut tradit *Athen.* lib. 14. Et meritò hujus ſacris & ludis Muſica adhibita, quæ ipſius dicitur inventum. Unde & cicadæ ipſi fuerunt conſecratæ, canorum omninò animalis genus. *Nat. Com.* lib. 4. c. 10. Quo loco & per ſonum Lyræ Apollineæ mœnia Trojana extructa ex *Ovidio* memorat, qui ita canit:

Ilion aſpicies, firmataq; turribus altis
Mœnia Apollineæ ſtructa canore Lyræ.

Imò hoc ipſo Apolline Magiſtro Caſtores Muſicam didiciſſe ferunt: multasq; reportaſſe coronas ex certaminibus cum imperitis cantoribus, ut notat *Caſaub.* in Athen. lib. 15. c. 8. ad illum Simonidis:

Φοῖβος ἐσαγεῖται: &c.

Phœbus docuit Tyndaridas canendi artem:
Quam Cicada modorum neſcia coronarunt corona.

Τέττιγες ſunt *mali Poëtæ* aut *Cantores.*

Plato in Ione autor est, *Tynnichum* Chalcidensem hymnũ in *Apollinem*, quem omnes cantant, composuisse, πάντων μελῶν κάλλιστον, omnium fermè cantilenarum pulcherrimum, verùm Apollinis & Musarũ instinctu, ut qui antea nullum poëma dignum memoriâ composuerat. Probatq; hoc evidentissimo τεκμηρίῳ & argumento, ὅτι οὐκ ἀνθρώπινά ἐστι τὰ καλὰ ταῦτα ποιήματα, οὐδὲ ἀνθρώπων, ἀλλὰ θεῖα καὶ θεῶν, præclara hæc poëmata, divina Deorumq; potiùs quàm humana hominumque esse opera. Hoc ipsum Deum (Apollinem) ostendere voluisse, eo ipso, quia ἐξεπίτηδες διὰ τοῦ φαυλοτάτου ποιητοῦ τὸ κάλλιστον μέλος ᾖσεν, de industria per ineptissimum poëtam, pulcherrimam cecinerit melodiam.

In cujus rei fidem pulcherrima quædam præmittit, quæ hoc loco annotare precium duximus. *Socrates* ad Ionem hæc verba facit. *Ut*, ait, *benè, o Io, de Homero loquaris, ars tibi non præstat, sed* θεῖα δύναμις, *divina vis quædam te movet, sicut in lapide, quem Magnetem Euripides nominavit, nonnulli Heracliũ vocant. Qui lapis non solùm ferreos annulos trahit, sed vim etiam annulis ipsis infundit, quâ hoc idem efficere possint, ac, perinde ut lapis, alios annulos trahere.* Unde longa plerumq; concatenatio ferri & annulorum invicem pendet, & omnibus his ex illo lapide vis attrahitur. Ita ipsa Musa Poëtas & Musicos divino instinctu concitat, poëtæ conciti alios furore corripiunt. Omnes itaq; epici poëtæ boni, non arte, sed divino afflatu capti, omnia ista præclara poëmata, & melici boni similiter dicunt: ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες οὐκ ἔμφρονες ὄντες ὀρχοῦνται. &c. Id est: *Ut corybantes non sanâ mente saltant, ita melici poëtæ egregii non sana mente hos cantus effingunt: sed ubi in harmoniã, & rhythmum insurgunt, & rapti bacchantur, quemadmodum bacchantes fœminæ, mente non sanâ, mel & lac ex fluminibus hauriunt, sanâ autem mente haurire nequeunt, idq; tum efficit melicorum animus, quod ipsi narrant. Ajunt enim nobis Poëtæ, quod è fontibus quibus mel scaturit, haurientes, & à Musarum viridariis collibusq; decerpentes carmina ad nos afferant, quemadmodum mel ex floribus apes, & instar apum volare se dicunt.*

Demetrius Byzantius lib. 3. tibiam & citharam & fidium cantum

Apollinem inveniſſe ex eo arguit, quòd inter Apollinis ſacrificia hymni canebantur cum tibiis: cujus etiam ſignum in Delo idem approbabat.

Fama quoq; eſt, *Olympum* ex tibicinibus Phrygiis tibiale carmen in Apollinis laudē condidiſſe, idq; *Polycephalum* eſt dictum. Et hunc fuiſſe primi olympi Marſyæ diſcipuli, qui cantus in Deorum laudem panxit, ſtirpem. Nam cum à Marſya, qui eum in deliciis habebat, canere didiciſſet tibia, carmina harmonica, quibus hoc tempore in Deorum feſtis Græci utuntur, invexit in Græciam, ut refert *Plutarchus*. Quemadmodum quoq; in honorem Apollinis *Pythici* inſtituebantur *ludi*, quibus Pythici tibiarum modi ſalientibus quinquertionibus præcinebantur, quod ſacrum id carmen Apollini eſſet, quia primus olympicas palmas tuliſſet. *Scaliger* lib.1. Poet.c.23. Mos, inquit, fuit, ut pulchrior ex omnibus hymnis, qui offerrentur in honorem Apollinis, caneretur.

Poſtea verò cantus ad citharam eſt inſtitutus atq; aulædorum ac tibicinum certamina.

In horum celebritate, matronas ſpectatæ pudicitiæ in propatulo epulari, omniq; ceremoniarum genere feſtum diem agere produnt, *puerosq;* manibus amplexos pſallere, & hymnos *Apollini* canere, ſicut *Dianæ virgines*. *Alexand.ab Alex.* lib.5.genial.dier. c.26.

Qualesq; *Apollinares* illi *ludi* fuerint, & Prætoris verba docent: *Ludis publicis, quod ſine curriculo & corporis certamine fiat, popularem laticiam cantu & fidibus & tibiis moderanto, eaq; cum divino honore junguntо.* *Scaliger* lib.1.Poet.c.30.& *Alex.ab Alex.* lib.6. c.19. Celebrabantur autem hæc *Pythia* Vere ineunte. *Polydorus* lib.2.c.14. In Romanorum, inquit, ludorum pompa addebantur quoq; ordine tibicines utres & tibiolas inflantes, citharœdiq; lyras ſeptichordas, eburneas, & quæ barbita nuncupata ſunt, habentes. Præibant choris viri ſinguli ſaltationis & tripudii modum præmonſtrantes, bellicos motus proceleumaticis & rhythmis imitantes. Atq; hunc demum ordinem tibicines alii & citharœdi vario ſequebantur concentu.

Theognis quoq; testatur *in Hecatombæis Apollini sacris* frequentem fuisse Musices usum, cum ita canit:

Ἦρος ἐπερχομένου κλειτὰς πέμπωσ' ἑκατόμβας
Τερπόμενοι κιθάρῃ καὶ ἐρατῇ θαλίῃ,
Παιάνων τε χοροῖς ἰαχαῖσί τε σὸν περὶ βωμόν. *Id est:*
Vere adveniente inclytas offerant hecatombas
Oblectantes cithara & amabili convivio
Paanumq; choris, hymnisq; tuam circa aram.

Ex *Platonis* verbis, quæ modò citavimus, percipimus *Orgia* vel *Dionysia* sacra in BACCHI honorem instituta, cum harmonia musica, rhythmis & saltationibus fuisse celebrata, quæ & *Trieterica* dicebantur. *Ovid.* 6. Metamor.

Nocte sonat Rhodope tinnitibus æris acuti.

Dithyrambus erat hymnus in honorem *Bacchi*, de quo alibi multa diximus.

Euripides quoq; in Baccho testis est, Orgia festa Baccho sacra saltatione ad musicam celebrari fuisse solita. Quæ qualia fuerint, ex iis etiam quæ *Cruquius* ad illa Horat. lib. 1. Carm. Od. 18. annotat:

——*sæva tene cum Berecynthio*
Cornu tympana.

Alludit Poëta ad sacra *Bassarica* vel *Bacchanalia*, & pollicetur iis sacris se invito Deo nunquam interfuturum, hoc est, non bibiturũ, plusquã satis esset, nisi in ἀρχιποσίᾳ fortè cogatur ad æquales calices: iccircò ei abblanditur, ut se inter potandum a furore tutum præstet. Idem enim est ac si dicat: Noli me afflare ebrietatis furore, ut tympano sacrorum tuorum & cornu audito, ad amentiam adiguntur Bacchæ & mystæ tui fanatici & Enthei redduntur. Unde *Lucret.* lib. 2.

Et Phrygio stimulat numero cava tibia mentes.

Arcades quoq; Baccho & Libero Patri cantu & choreis ludos celebrabant, singuli pro ætatis ratione, quos primus *Melampus* Amytheonis filius ad Græcos detulisse dicitur *ex Ægypto*, ubi fœminæ statuas per pagos præeunte tibia circumferebant, Bacchum canentes.

Apud Græcos deinde alternis annis acta sunt magno cum clamore, cymbalorum strepitu, tympanorumq; crepitu. *Polyd.* lib.3.c.17.

Epilenæa vocabantur item sacrificia & certamen & cantilenæ, quæ fiebant *vindemiæ* tempore. Nam cantando certabant inter calcandas uvas, qui citius plus musti exprimeret, & Bacchi laudes canebant inter calcandum. Persuasum itaq; fuit antiquis, iratos Deos Deasq; harmonicis modulaminibus placari, & ad beneficia conferenda instigari posse, quod vel hinc est perspicuum. Persæ namque cùm bello Græciam premerent, *Dianæ Caryatidis* sacra à virginibus fieri solita, sunt intermissa. Quocirca agrestium aliquot in fanum officii ergo sese intulerunt, & peculiaribus cantiunculis *Dianæ* laudes cecinêre. Quos cantus cum valdè probari vel religio jussisset, vel numerorum lepos persuasisset, ex casu mos, deinde etiam lex facta est Bucolico carmini.

Nonnulli *Orestem* ajunt è Tauris *Dianæ* signum deferentem, oraculo monitum, elui debere septem fluviorũ de uno fonte erumpentium aquâ. Inventis in Italia amnibus propè Rhegium inde in Siciliam profectum, in pago quem Tyndariden vocat *Strabo*, Deæ signum statuisse, & Numinis laudes, unà cum agrestibus, à quibus receptus fuerat, non sine cantu instituisse. Alii hanc afferunt narrationem: *Syracusis* orta seditione, mutuis utrinq; cladibus exercitam occidionem, ab iis qui reliqui bello fuissent, *Dianæ* placandæ consilium initum, ad quam civitatis calamitatem, tanquam autorem, referebant. Itaq; agrestium frequentia Deæ templum donis auctum, Numiniq; & his & cantionibus pacato, initium factum anniversariæ festivitatis: ac propterea *Dianam Lyam* cognominatam, contrario sanè usu atq; accepimus nos; *Luem* namq; morbum dicimus, cujus vi corpora solvantur. Illi *Deam Lyam* vel *Luam* nuncuparunt, propterea quod intestinam discordiam sustulisset. Hæc annotat *Scaliger* lib.1.Poët.c.4.

Circa templum Delphicum primùm instituit *Choros* & *Latonæ Dianæ* ortum carminibus celebravit, natione Delphus, ortu Apollinis filius, & juxta *Ovid.* lib.11.Metamorph.

Carmine vocali clarus, citharáq; Philammon, ut ſcripſit *Plutarchus* lib. de Muſ.

VENERI quoq; offerebant harmonicos cantus, qui curas amatorias leniebant, quale melus primus excogitaſſe dicitur *Alcmam*, ut alibi dictum. Sic & *Paris*, Priami frater, hymnum in Venerẽ ſcripſit, quem *Ceſton* veteres vocarunt, in quo Veneris laudes complectitur, eamque Palladi ac Junoni præfert. *Suidas*.

Cumq; PALLADI (cui tibiarum uſum & Muſices inventionem quidam adjudicarunt, referente *Natali Com.* lib. 4. c. 5.) Lacones ædem ſtatuamq; ponere decreviſſent, *Gitiadas* Lacedæmonius ſolus dignus inventus eſt, qui & ſtatuam poneret, & hymnum componeret, quem in eius Deæ celebritate canerent.

Arion autem *Methymnaeus* omnibus mortalibus prior *Orthia* carmina in *Palladem* decantavit. *Nat. Com.* d. l.

Sic & *Theſmophoria* in honorem CERERIS agebantur ſacra, ut & *Ambarvalia* à ſingulis agricolis celebrabantur, Cererisq; laudes cantando cum tripudiis: idq; ineunte Vere: *Nat. Com:* lib. 5. c. 14.

Cybeles quoque Sacerdotes cum tinnitu cymbalorum & ſonitu Tympanorum ſacra facere ſolebant, ut eſt apud *Strabon.* lib. 10.

Unde & Tympanum illi tribuerunt, quia in ejus pulſabatur ſacris, quæ à caſtratis Sacerdotibus illa mater Deorum *Rhea* vel *Cybele* colebatur, cum magno tibiarum cornicumq; ſtrepitu,

Tympana quam mulcent, tinnitusq; æris acuti.

Nat. Comes lib. 9. c. 5.

Ovidius lib. 1. de Ponto:

Ante Deûm matrem cornu tibicen adunco
Cum canit, exiguæ quis ſtipis æra neget?

Illæ etiam tibiæ dicebantur *Berecynthia*, quæ matris Deorum ſacris adhibebantur, ad quarum cantus à convivantibus ſaltabatur, ut Tympana nos buxusq; vocant Berecynthia matris.

Memoriæ quoq; prodiderunt, in ſacris HERCULIS ad magnam

aram, *Salios* ſacrorum miniſtros cum cantu pſallere conſueviſſe. *Alex. ab Alex.* lib.1.genial.dier.c.26.

Inſuper apud Romanos Martio menſe *Anciliorum feſta* & ſacri dies cœnis ſumptuoſis & commeſſationibus cum cantu & ſymphonia opiparè & hilariter celebrabantur, quibus *Salii* ſacerdotes cum tripudiis ad tibiam, ſolenniq; ſaltatu ancilia ferentes, ornatiq; prodibant, ipſiq; gladiolis illa percutientes, cum greſſu & gradu compoſito, pulſu pedum ad ſonum vocis modulato per capitolium & forum perque urbem incedebant.

Eodem modo *Bonæ Deæ* ſacra peragebantur noćte à ſolis mulieribus, inter magnum concentum. Quemadmodum & *Lacones* per trium dierum ſpacium *Hyacinthia*, hoc eſt Hyacinthi ſacrificiũ hoc modo celebrant. Pueri citharam in ſagulis ſuccincti pulſant, ad tibiamq; canentes, omnes chordas in rhythmo *anapæſto* plectro percurrentes, acuto Deum percinunt tono.

Alii in equis ornatis theatrum percurrunt, multiq; adoleſcentum chori, qui poëma aliquod vernaculum canunt, ingrediuntur, inter quos ſalvatores immiſti deliram motionem ad tibiam cantumq; effingunt.

Celebrabantur porrò apud Romanos 12. Cal.Maji, qui dies *natalis* fuit urbis *Romæ*, feriæ *Parilia* dictæ, nunc *Romanas* appellant, extructo dicatoq; Fortunæ urbis templo ab optimo & feſtiviſſimo *μουσικωτάτῳ Hadriano.* Eum ſcilicet diem cum ſolenni celebritate quotãnis feſtum agebant non ſolùm Romani cives, ſed etiam quotquot externi homines tunc Romæ ſunt. τότε ἐξάκουστος ἐγένετο &c. *audiebatur per univerſam civitatem ſtrepitus tibiarum, cymbalorum ſonus, ac tympanorum fremitus, cum multorum, qui cantabant, vocibus. Omnes per civitatem in honorem Deæ* βαλλίζουσι *ad tympana crepitantia, cymbalavé ſaltant.* Inde *Gallis* eſt *Bal* & *Ballet.* *Athen.* lib. 14.

Hinc ſatis conſtare puto, quàm celebris olim fuerit in ſacrificiisq; feſtisq; diebus *Muſices uſus*, quæ inſtituto huic noſtro ſufficiant.

CAPUT XVII.

De Usu Musices συμποσιακῶ, in epularibus & convivialibus hilaritatibus.

MELPOMENEN, *Jovis filiam* & *Solis vocem* in dialogo de furore Poëtico nũcupavit *Plato*, quòd totius mundi sit temperatio & concentus, & quicquid vitali regitur spiritu, dulcisono Musices flectatur & capiatur modulamine. Unde olim etiam *conviviorum* solennitatibus adhibita fuit Musici concentus suavitas. Cujus rei testem habemus *Isaac. Casaubonum* lib.4. animadvers. in Athen. cap.23. *Apud veteres*, inquit, *Græcos & Romanos*, conviviorum *hac ratio fuit, ut postquam corpora dapibus satiassent, oculos auresq; variè oblectarent. Ideò finitis epulis, acroamata, tibicines & saltatrices, & qui dicebantur* Bacchi artifices *in cœnationes introducebant.*

Et *Varro* de vita populi Romani. *In conviviis*, ait, *pueri modesti, ut cantarent, (& assâ voce & cum Tibicine) carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum.*

Hanc consuetudinem *Syracides* 32. cap. Carbunculi atq; Smaragdi, duarum pretiosissimarum gemmarum, similitudine commendat atq; amplificat, Musicamq; in conviviis omninò vult adhiberi, ceu maximum illorum decus & ornamentum. Verba ejus hæc sunt: *Concentus Musicorum in symposio est quasi insigne carbunculi in ornatu inclusum aureo. Et modulatio cantorum adhibita ad suave vinum, est tanquam sigillum smaragdi in apparatu aureo positum.*

Hoc quoq; ex *Homeri* multis locis constat, ut *Odyss. ę.* ubi Ulysses unà cum Eumæo subulco ad ædes suas appropinquasset, sic canit:

——————περὶ δὲ σφεας ἤλυθ' ἰωὴ &c.

Circumvenit autem sonitus citharæ concavæ
In ipsis cepit canere Phemius.

Quæ audiens Ulysses inquit:

γινώσκω δ' ὅτι πολλοὶ ἐν αὐτῷ δαῖτα τίθενται ἄνδρες: &c.

Cognosco autem quod multi in ipsa convivia faciunt
Viri, quoniam nidor quidam ascendit, cithara verò
Sonat, quam convivio Dii fecère amicam.

Et *apud eundem Poëtam* exstant de Musica epulari, &, quæ illius quasi individua comes, saltatione testimonia. Hinc *Odyss. α.*

μολπή τ' ὀρχηστύς τε. (τὰ γὰρ ἀναθήματα δαιτός.)

Et *Odyss. Φ.*

μολπῇ καὶ Φόρμιγγι τὰ γὰρ ἀναθήματα δαιτός.

Hîc modò μολπὴν καὶ ὀχηστόν, cantum & saltationem, & iterum μολπὴν καὶ Φόρμιγγα, cantum & citharam, eleganter sanè, vocat ἀναθήματα δαιτός, id est, donaria conviviis dicata, sive ut *Hesych.* interpretatur, κοσμήματα, ornamenta conviviorum.

Eustath. Odyss. *α.* Manifestum est, inquit, hæc non cujusvis atque vulgaris, sed magnifici, sumptuosiq; convivii esse anathemata, id est, ἱερὰ ἄττα κειμήλια, sacra quædam donaria. Eandem ob caussam *idem Poëta* Φόρμιγγα, quæ præcipuum fuit organum musicum, *Odyss. ϱ.* Deos dicit fecisse δαιτὶ ἑταίρην, epularum sociam. Et *Odyss. θ.*

ἤδη μὲν &c.

Jam quidem convivio explevimus animum æquali
Citharâq;, quæ convivio congruens est lauto.

Hîc citharam συνήορον δαιτὶ θαλείῃ, id est, epulo splendido aptam & accommodatam appellat. Et *Horatius* lib.1.Carm.Od.32.

O decus Phœbi, & dapibus supremi
Grata testudo.

Et *lib.3.Od.11.* testudo vel Lyra dicitur

Divitum templis & amica mensis.

Duplicis autem *apud Homerum Musicæ & melodiæ fit mentio. Una*, ἡ ἐν τῇ Φωνῇ, quæ voce constat: *altera*, ἡ ἐν τοῖς ὀργάνοις, quæ instrumentis constituitur musicis. Plerumq; autem in conviviis vox sive vocalis musica, quam ἀοιδὴν, μολπὴν ἱμερόεσσαν καὶ ἠδείαν sæpè appellat, organis musicis conjungitur.

Idem Poëta memorat procos (porcos penè ſcripſeram) ceu homines voluptuarios ad veſperam uſq; hujuſmodi cantiunculis atq; ſaltatiunculis indulſiſſe, *Odyſſ. ϱ.* τοὶ δ᾽ ὀρχηςύι:

Hi autem (proci) *ſaltu & cantu*
Delectabantur. jam enim & egreſſus erat meridianus dies.

Et *Odyſſ. α.* οἱ δ᾽ εἰς ὀρχηςύν τε:

Hi verò ad tripudia & dulcem cantum
Converſi oblectabantur; exſpectabat autem veſperam adventare:
Dum autem hi oblectabantur, niger veſper venit.

Cauſaub. lib.4. animadv. c.28. in Athen. notat, Homerum non unum aliquod in poëmatis ſuis deſcripſiſſe convivium: ſed varia ac diverſa, quemadmodum diverſa ſunt hominum ingenia & differentes mores. Hinc eſt, quod acroamata parciùs *alibi* introducit in cænationes, tanquam ἀναθήματα δαιτός, non ut toti in iis ſint convivæ: *alibi*, inter præcipuas & ſummas convivantium voluptates inducit cantores & alios rerum muſicarum peritos. Hujus generis conviviorum exempla eſſe ait in illis, quæ apud nequiſſimos procos & delicatiſſimos Phæaces agitantur; temperatorum in iis quæ apud Neſtorem & Menelaum.

Omninò igitur *Muſica conviviis eſt adhibenda*, quippe quæ εἰς διαγωγὰς καὶ συνεσίας, ad vitæ degendæ conſuetudinem inventa eſt, quia maximam homines exhilarandi vim habet. Item εἰς ἀνάπαυσιν καὶ τῆς διὰ πόνων λύπης ἰατρείαν, ut quę quaſi medicina ſit data hominibus ad recreationem, peractis laboribus.

Teſte enim *Muſæo* βροτοῖς ἥδιςον ἀείδειν, jucundiſſimum hominibus canere.

Præterea in conviviis maximè requiritur *hilaritas* honeſta atq; moderata, ad quam efficiendam, nihil videtur Muſicâ eſſe aptius efficaciusq;. Quæ lætiticiæ in epulis apprimè neceſſariæ, parens eſt atq; procreatrix: mœroris contra atq; triſtitiæ, quæ conviviorum labes atque macula, expultrix. Et ad extinguendos irarum furores, qui non rarò

inter

inter convivas oriuntur, præsentissimum est remedium. περιαιρουμένη γὰρ τὴν συννότητα, ποιεῖ πραότητα καὶ χαρὰν ἐλευθέριον, cum tristitiam, austeritatemq; tollat, mansuetudinem læticiamq; liberalem parit. Meritò igitur ceu optima ὕβρεως καὶ ἀκοσμίας contumeliæ atque immodestiæ medela adhibetur. Quod namq; & *temperantiæ* in conviviis Musica consulere verè dicatur, ex adagio illo apparet, quo *Musicus apparatus* dicitur, pro mediocri & frugali, ut recitat *Damascius Syrus* in historia, quam de Philosophis scripsit: τὴν δὲ, ait, τροφὴν: &c. *Victū sortitus est moderatum & frugalem, neq; ob egestatem præparcum, neq; propter opes diffluentem, sed medium atq; Musicum, pro fortunis verè temperatum adinstar Doriorum modorum.*

Unde antiquorū moribus & legibus fuit constitutū, teste *Athen.* lib. 14. ut Deorū immortaliū Hymni cōmuni voce ab omnibus in cōviviis canerētur, ὅπως καὶ διὰ τούτων τηρῆται τὸ καλὸν καὶ σωφρονικὸν ἡμῶν, utq; sese mutuò *ad temperantiam honestatemq;* colendā atq; tuendam adhortarentur. *Nam cùm cantilenæ sint concinnæ, si Deorum sermo accesserit, hoc pacto singulorum mores graves redduntur atq; compositi.* Id probat *Philocnori* testimonio, qui affirmat, veteres non semper solitos fuisse διθυραμβεῖν, *dithyrambos* canere, sed *Dionysium* quidem libantes canebant inter vina & ebrietatem, *Apollinem* autem adhibito ordine, quiete & tranquillitate. Hinc colligit Athen. *Musicam antiquitus non levis, vulgaris popularisq; tantùm voluptatis caussâ in convivia fuisse introductā.*

Arcadas quoq; Musicæ studiosissimos, hymnos atq; pæanas in Deorum atq; Heroum suorum honorem canere consuevisse accepimus. Illorum enim pueri à teneris annis secundum legem hymnos atq; pæanas canere assuescūt, quibus singuli juxta patria instituta Heroas indigenas atq; Deos decantare atq; celebrare soliti fuerunt, apud eundem *Athen.* lib. 44.

Cyrus apud Xenoph. lib. 4. Expedit. ad milites, *Nunc ut religiosi, & fortes, & temperantes viri, cœnam sumite, Diis libate, pæana præcinite, simul id quod imperatum est, curæ vobis esto,* ut recitat *Stuckius* lib. 3. antiquit. conviv. cap. 20.

Cantabantur etiam ab antiquis vel *Philosophica vel Astronomica cantilena* in conviviis: cujusmodi est apud *Virgilium* cantus Jopæ in *convivio Didonis*, apud quem *1. Æneid.*

——— cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas,
Hic canit errantem Lunam, Solisq; labores,
Unde hominum genus & pecudes, unde imber & ignis,
Arcturum pluviasq; Hyades, geminosq; Triones,
Quid tantùm Oceano properent se tingere soles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.

Præterea clarorum etiam *hominum virtutes*, resq; præclarè gestas in conviviis carminibus & cantionibus celebrarunt, quibus nimirum se invicem ad illorum imitationem instigarent & incitarent. Quod ex pluribus item locis *Homeri* constat, ut *Odyss. θ.* αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος &c.

Ut dapibus depulsa fames, vinoq; refecti
Musa jubet canere hinc illustria facta virorum.

Et *Penelope apud Homerum* Odyss. *α.* talia ad *Phemium* περίκλυτον, inclytum cantorem verba facit: Φήμιε, πολλὰ γὰρ ἄλλα: *&c.*

Phemie, multa sanè alia mortalium oblectamenta novisti,
Gesta hominumq; Deorumq; quæ celebrant cantores,
Horum unum ipsis cane assidens.

Et *Cicero* in Bruto: Carmina in epulis esse cantata à singulis convivis ad tibicines de clarorum hominum laudibus, est in originibus. Ad eundē ritū alludit & *Theognis* hisce versibus: καί σε σὺν αὐλίσκοισι:

Et te cum tibiis sonoris juvenes viri decenter
Amabiles pulchrè & canorè canent.

Respicit ad veterum morem, quo carmina in conviviis & publicis solemnibusq; congressibus & certaminibus recitabantur: & tibiis, Lyra, aliisq; instrumentis utebantur. Item, cum præcones Agamemnonis ad tentoriū *Achillis* adventassent, illum citharâ canentem illustrium virorum præclarè res gestas, invenerunt, ut est *lib. 9. Iliad.*

μυρμιδόνων δ᾽ ἐπί τε κλισίας: &c. ubi Latina versio sic habet:
Myrmidonumq; adeunt juxta tentoria naves:

Mulcentem citharâ hunc mentem invenêre sonorâ,
Pulchrâ,ex argento, cui clara manubria: & illam
Ceperat è spoliis urbs diruta ut Eetionis
Hac animum mulcens cantabat facta virorum.

Canebantur quoq; aliquando *cantilenæ ad mundi mirabilitatem pertinentes*, & ad infinitam divinæ mentis, summiq; opificis sapientiã, aut astrorum cognitionem: cujusmodi sunt quæ canuntur apud *Apollonium* lib.1. Argon. Et tanta quidem illorum cantorum fuit modestia & temperantia, ut neq; inter convivia procorũ Penelopes turpia & lasciva canerentur: quamvis essent juvenes ad omnem libidinem, omnemque intemperantiam maximè propensi: sed canebatur apud hos reditus Græcorum in patriam laboriosus sanè ac perdifficilis.

Harum verò cantilenarum & cantorum & poëtarum *præsides Musæ* putabantur, quarum dux creditus *Apollo*, unde *Musagetes* dictus, ut scribit *Nat.Com.* lib.7.c.15. Quid quod Diis epulantibus canere Apollinem & Musas ferunt, ut annotat *Muret.* lib.6. var. lect. c. 16. quod *Homerus* etiam innuere videtur Iliad. *α.* οὐδ' ἔτι θυμὸς ἐδεύετο: &c.

Neq; amplius animus indiguit convivio æquali
Neq; Lyrâ perpulchrâ, quam tenebat Apollo,
Musisq;, quæ canebant invicem excipientes se voce pulchrâ.

Porrò apud *Romanos* quoq;(quos *Athenæus* lib.14.μουσομανεῖς vocat) usitatã fuisse in epulis Musicam, ex multis literarum monumentis, & quidem abusum illius luxuriosum *Cicero* quibusdã in locis perstringit. *Orat.pro Cælio*, Accusatores quidem libidines, amores, adulteria, Bajis acta convivia, cõmessationes, cantus, symphonias, *Ver. σ.* Curritur ad prætoriũ, quo istum è convivio illo præclaro reduxerant paullo antè mulieres cum cantu & symphonia.

Livius testatur post victoriã Asiaticã demũ convivalia ludorũ oblectamẽta, ut psaltrias & sambucistrias, in epulis fuisse adhibitas, *Deca. 3. Valer. Max.* lib.2. Majores natu, inquit, in conviviis ad tibias egregia superiorũ opera carmine cõprehensa pangebant, quò ad ea imitanda juventutem alacrioré redderent. *Quintil.* lib.1.c.17. Sed veterum quoque Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit.

Illas

Illas autem *tibias*, quarum usus in conviviis erat, *conviviales* dixerunt, erantq; pusillæ & æquales, ad significandum *æqualitatem convivarum*. Iccircò rotunda olim mensa, ne quem sibi prælatum quispiam conquereretur: Et *Ceres* ideò non solùm *spicifera*, sed etiam *legifera* appellata, cui ob eam rem agerent θεσμοφορια, ut eadem sit ciborum & justitiæ inventrix.

Has item *epulonum tibias* appellabant, propterea quòd vinum esset anima conviviorum. *Spartani* etiam excellentium virorum *laudes* & ignavorum fœda *scelera* in epulis ad lyram cantare solebant, referente *Alex. ab Alex.* lib. 5. c. 21.

De Lacedæmoniis scribit *Philochorus*, quod cùm Messenios vicissent, Tyrtæi poëmatis inflammati consuetudinem eam observarunt, ut si cœnas essent facturi, *Tyrtæi poëmata* canerent, referente *Athenæo* lib. 14 c. 11.

Huc referre lubet, quod de *Alexandro M.* scribitur, qui refecto in Gedrosia exercitu, incesit *commessabundus diebus septem* per Carmaniam. Inter alia circumsonabant omnia loca fistulis, tibiis, carminibus, cantilenis. Ipse Alexander chororum ludos spectavit, amasiusq; ejus Bagoan choragus palmam obtinuit, exornatus Rex medio theatro transiit, & ad latus eius consedit, imò propter Macedonum applausum, complexus & disuaviatus est. *Plutarchus* in Alex.

Ejusmodi autem laudatoria carmina apud Græcos in περιδείπνοις, id est, *cœnis funebribus* olim in primis fuerunt usitata: unde proverbium illud promanavit de homine illaudato: Οὐκ ἐπαινεθείης οὐδ᾽ ἐν περιδείπνῳ, id est, *Non possis laudari ne in parentalibus quidem*. *Antiquus* enim *mos* erat, præsertim *Atticis*, in cœnis funeralibus, quas Græci περίδειπνα vocant, encomiis, epicediis & epitaphiis laudare vita defunctum, etiamsi parum meruisset in vita.

Observandum porrò, ut scribit *Stuckius* lib. 3. conviv. antiquit. c. 20. antiquitus cum cantores, aulœdos, citharœdos, tibicines, item mulieres sambucistrias, psaltrias, citharistrias, aliosq; Musices peritos fuisse adhibitos, qui convivas cantilenis musicisq; instrumentis oble-

ctarent:

ctarent: tum ipsos convivas partim voce, partim fidibus canere consuevisse. Nam more receptum fuit, ut omnes communi voce pæana sive *hymnum* aliquem *in Bacchi aliorumq; Deorum honorem* canerēt, idq; cùm ab initio, tùm in fine cœnæ, quando libabant: & deinde unusquisq; accepto myrti, aut lauri ramo *propriam cãtionem* canere, atq; etjam *Lyram*, quæ circumferebatur, pulsare cogebatur. De illa consuetudine idem scribit *Plutarchus* lib. I. συμποσ. quęst. I. ut mox dicetur. Unde *Themistocles*, cum renuisset pulsare fides, habitus est indoctior, ut refert *Cicero* & *Fabius* lib. I. instit. orator. Quem tamen consultò à cithara abstinuisse, quòd eam amplitudini suæ nequaquam convenire arbitraretur, scribit *Platina* lib. 2. de opt. cive.

Dici verò volunt ἀσαρκον, ἀπὸ τοῦ ᾄσαι καὶ ἀρκεῖν, quasi cantum subministrans vel suppeditans: vel legendum quidam putant ἄσαρχον, ἀπὸ τοῦ ᾄσαι καὶ ἀρχεῖν, quod incipere & lacessere significat, quòd qui illam myrtum tenebat, canere incipiebat, & reliquos ad idem faciendum suo exemplo lacessebat, secundum *Scholiast. Aristoph.* καὶ γὰρ ὁ ἐξάρχης δάφνην ἢ μυῤῥίνην κατέχων ᾖδε, id est, qui primus laurum, sive myrtum tenebat, is canebat, unde etiam ἔξαρχον possis legere, id est, *præcentorem*, quòd qui eam acceperat, canendo præibat.

Sic παιᾶνα ἐξάρχειν *Xenophon* dixit, epularum factâ mentione.

Quod de *Fabio* diximus, illius de lyra circumlata hæc sunt verba: Unde, ait, etiam ille mos, ut in conviviis post cœnam circumferretur lyra. *Cicero* lib. I. Tuscul. quæst. Summam, inquit, eruditionem Græci sitam censebant in nervorum vocumq; cantibus: Igitur & *Epaminondas*, princeps Græciæ, fidibus præclarè cecinisse dicitur.

Idem *Galenus* testatur lib. I. *Therapeut.* ubi scribit, turpissimum olim habitum, si lyra abesset à conviviis, ἅπτεσθαι δὲ πάλαι κατὰ τὰς τοιαύτας συνόδους καλὸν ἐνενόμιστο, sicuti iterum in ejusmodi congressibus tetigisse honestum erat.

Pindarus in Olympion. Odyss. I. prout Latina verba ex Græco translata referunt:

Resplendet autem & Musices in flore, qualiter ludimus frequenter nos viri circa mensam amicam. Sed doricam citharam è clavo eximens.

Tria autem fuerunt *apud Græcos convivalium carminum genera*, sicut testatur Artemon apud *Athenæum* lib. 15. *Primum*, quando omnes canebant. *Secundum*, quando omnes canebant quidem, non tamen ordine, cum ex quodam ambitu cantum exciperent. *Tertium* verò in omnibus ordinem servabat, quem tamen non omnes animadvertebant, quod tamen σκολιὸν fuit appellatum. Canebant autem sapientes, atq; singuli oden aliquam pulchram in medium afferebant, quæ sententiam ὠφελῆ, vitæ utilem haberet.

Hujus item antiquorum in epulis canendi consuetudinis *Clemens Alexandrinus* lib. 2. pædag. c. 4. luculentam mentionem facit his verbis: Cæterum, inquit, παρὰ τὰς συμποτικὰς σχολὰς καὶ τὰς ἐπιψεκαζούσας κύλικας, id est, *in symposiis & inter rorantia sive distillantia pocula, ad psalmorum hebraicorum similitudinem* ᾆσμα *vel carmen canebatur, quod* σκολιὸν *appellabatur*, communiter omnibus voce (παιανιζόντων) pæana canentibus: nonnunquam etiam ἐν μέρει περιελιττόντων τὰς προπόσεις τῆς ᾠδῆς, id est, per cantici vices propinationes circumagentibus. Qui autem ex iis erant μουσικώτεροι Musicæ peritiores, etiam ad lyram canebant. Solebant convivæ προκαλεῖσθαι ἐξ ὀνόματος κλῆσιν, id est, nominatim provocare, cui propinaturi erant, & lyram tradituri.

Scolia autem appellantur οὐ κατὰ τὴν τῆς μελοποιίας τρόπον, ὅτι σκολιὸς ἦν, id est, non ob carminis modum, quòd is obliquus ac difficilis esset (λέγουσι γὰρ τὰ ἐν ταῖς ἀνειμένοις σκολιά, nam quæ sunt in remissis, *Scolia* appellantur,) sed cùm tria essent genera, autore *Cassandro Artemone*, ut modò dicebamus, eorum quæ in cōviviis decantari consueverāt, *primum*, quod omnes secundum legem canebant: *secundum*, quod ab omnibus quidem canebatur, sed κατά τινα περιφορὰν ἐξ ὑποδοχῆς, ita ut ambitu sive circuitu quodam atq; successione omnes cantum exciperent: *tertium*, quod similiter in omnibus ordinem servabat, quo jam non am-

plius

pliùs omnes participabant, ſed illi tantum, qui ſapientes eſſe videbantur, ſecundum locum ordinemq;, qui cuiq; ſorte obtigerat. Hoc ergò quia ſolum *ἀταξίαν τινὰ*, ordinis quandam confuſionem obtinebat, & neq; ſimul ab omnibus, neq; ordine quodam atq; ſucceſſione, ſed prout contingebat, quovis loco atq; ordine canebatur, *σκολιὸν* fuit appellatum. Hoc autem dum demum canebatur, quando carmina omnibus communia atq; neceſſaria erant finita.

Plutarchus lib. I. ſympoſ. probl. I. Quin etiam, inquit, carmina illa in conviviis decantari ſolita, quæ vulgò *σκολιὰ* id eſt *obliqua ſive tortuoſa* appellantur, cratere in medio propoſito, & corollis diſtributis, decantare, forſan neq; pulchrum neq; convivio aptum eſſe videatur. Et tamen *Scolia*, nonnulli ajunt, non eſſe genus carminis ſive cantilenæ obſcuræ, ſed inde ſic appellata, ut ſequitur. Nam primò omnes communi voce carmen Deo (Baccho) canere ſolebant, illum celebrantes. Deinde unusquisque propriam cantionem, accepto myrteo ramo, quem iccircò *ἄσαρκον* appellabant, *διὰ τὸ ἄδειν τὸν δεξάμενον*, quia is qui illum acceperat, canere ſolebat. Et quia ſimul quoque Lyra vel Cithara circumferebatur, quam artis quidem illius peritus pulſare, carmenq; illud concinnè modulari, ſonumq; chordarum ad vocem attemperare; muſicæ autem imperiti id recuſare ſolebant, hinc *Scolion* fuiſſe nominatum, quòd illud neque omnibus eſſet commune, neque etiam facile: Et ideò Muſicæ ignarus per jocum, accepto laureo ramo ſeu myrteo, cogebatur ad eum canere. Alii tamen myrtum non ordine traditam fuiſſe ajunt, ſed à lectulo ad lectulum transmiſſam, ut mox dicemus. Itaque *διὰ τὸ ποικίλον καὶ πολυκαμπὲς τῆς περιόδου*, id eſt, ob varietatem & tortuoſos in circuitione flexus, *Scolion* videtur dictum.

De his carminibus hæc ſcribit *Scaliger* lib. I. Poët. cap. 44. Canebantur in conviviis *σκολιὰ μέλη* (in quibus virorum fortium laudationes continebantur, nihilq; à Pæanibus differunt, niſi materiâ ſive argumento (in quibus poculũ circumlatũ ᾠδὸς appellabatur, quod non liceret absq; cantu vel propinare vel excipere. Nonnulli putarunt,

σκολιὸν carmen esse, quod à primo cœptum, nequaquam à proximo, sed *ordine flexuoso*, ultrò citroq; exciperetur. Neq; hoc displicet: convenit enim cum poculo, quod canenti propositum præmium dicebamus. *In Nuptiis cani solitum* à discumbentibus lauro & myrto coronatis, nemo dubitat.

Tres erant *recitandi modi: Unus*, cum plures concinebant in choris & nuptiis: *alter* cum in conviviis non succedebant seriatim, sed ut cuiquã visum fuisset, à cantu myrti laurivè ramus dabatur ei, qui magis idoneus judicaretur. Alii malunt à primo lecto cœptum, altrinsecus primo lecto datum ramum simul cum cantionis jure, inde ab illo ei, qui secundus erat in secundo lecto: ab hoc ei, qui exadversum in altero secundo discumbebat, ita erat *σκολιὸν* sicut reptatio serpentum, & quasi serræ dentes. Carminis verò materia non solùm erat in laudibus virorum fortium, ut quidam putarunt, sed etiam in communibus sententiis, & quocunq; genere adhortationis ad benè beateq; vivendum. Eo carmine qui vicissent, poculo donabantur, quod à cantu illo *ῴδος* dicebatur. Hæc *Saliger*.

Quod ex sequentibus etiam est manifestum. Nam, *Suida* teste, Dicæarchus etiam in libro de certaminibus musicis, *tria* dixit esse *Odarum* sive carminum *genera: τὸ μὲν ὑπὸ πάντων ᾀδόμενον καθ' ἕνα ἑξῆς: Aliud* quidem quod ab omnibus canebatur: *aliud* quod à singulis ordine: *aliud* quod à sapientissimis *ὡς ἔτυχε τῇ τάξει*, id est, quovis ordine. Vel ut *Aristoxenus* & *Phyllis* Musicus senserunt, quoniam in nuptiis circa unam mensam multis collocatis lectis, singuli ex ordine myrtos tenentes canebant gnomas & amatoria. Circuitio autem erat *σκολιά*, flexuosa.

Ab *Aristophanis Scholiaste* in comœd. *σφῆκες* hæc adduntur. Alij verò ajunt, moris fuisse, ut is qui non posset in symposiis canere, accepto lauri aut myrti ramo, ad illum caneret. Sunt qui dicãt, per *ἀντίφρασιν σκολιὰ* fuisse appellata *τὰ παροίνια μέλη*, illa epularia carmina. Nam illa oportebat esse *ἁπλᾶ καὶ εὔκολα*, simplicia atque facilia, ut quæ inter compotandum canerentur. Sed hoc non benè ab illis dicitur.

Nam τὰ δύσφημα ἐπὶ τὸ εὐφημότερον μεταλαμβάνεται, οὐ μὴν τοὔμπαλιν, id est, ea quæ mali sunt nominis ad prosperiorem appellationem convertuntur, non contrà. Verùm quia non ordine lyra convivis tradebatur, sed alternatim, propter obliquam illam Lyræ circumlationem, carmina illa σκολιὰ dicebantur.

Cælius lib. 12. c. 15. *Scolia*, inquit, Græci interpretantur συμποτικὰ ᾄσματα, convivales cantilenas. Sic verò nuncupari Etymologici tradunt, quòd vinolenti jam, καὶ σκολιὰς ἔχοντες τὰ αἰσθητήρια ᾄδουσι, id est tortuosis hebetibùsque, ac retusis sensibus ea concinant.

Pollux lib. 6. c. 17. καὶ παροίνια δὲ ᾄσματα ἦν, καὶ σκολιά, καὶ μυρρίνην δέ τινες ἐπὶ δεξιὰ περιφέροντες, καὶ ἔκπωμα, καὶ λύραν ᾄδειν ἠξίου. Id est. Erant etiam convivales quædam cantiones, scolia ad myrtum circumlata, nec non poculo atq; lyra cantum exigebant.

Scolia *Meliti* inter alia celebrantur ab eruditis, quæ Carica haberent aulemata, incentiones flebiles.

Interdum in conviviis à discumbentibus melos cani solitum memorant, quod dicebatur *Harmodium*, cujus erat initium: Φίλτατε Ἁρμόδιε, οὔτι που τέθνηκας; Unde illud facetissimum ex comica officina: οὐ δὲ παρ' ἐμοὶ τὸν Ἁρμόδιον ᾄσεται. *Apud me nunquam Harmodium canet*: id est. Mecum convivia non agitabit. *Cælius* lib. 27. antiq. lect. c. 26. *Interpres* verò *Aristoph.* in fab. cui titulus ἀχαρνεῖς, unde dicterium hoc sumptum, indicat, cantilenæ genus fuisse, quod in compitis cani consueverit in Harmodium & Aristogitonem, quòd hi Pisistratidarum tyrannidem sustulissent.

Præterea *Ægyptios* in conviviis *canere solitos cantionem Manerotem* dictam, scribit *Plutarchus* de Iside, quem Manerotem Regem fuisse, ajunt, & inventorem Musicæ. *Alij* hoc non esse nomen proprium contendunt, sed genus loquendi & epulantibus conveniens, quasi dicas, *Secunda adsunt*. Aliter *Herodotus* lib. 2. refert: Ægyptii, inquit, in conviviis lugubrem cantionem, quam *Linum* vocant, (a *Lino*, qui Ægyptiacè *Maneros* dicitur, filio primi Regis Ægyptiorum, quem immaturâ morte defunctum, hoc lugubri carmine prosecuti sunt, quæ sola

primaq; cantilena apud ipsos instituta fuit) decantare consueverunt, ut & Græci, ut scilicet vel inter pocula mortalis conditionis memoriam refricarent.

Vero quoque simile est, Ἀρχιλόχου μέλος, *Archilochi cantionem* in conviviis fuisse decantatam. Hoc nomine dicebatur hymnus, qui ad multos poterat accommodari, qualem ferunt Archilocho fuisse repertum. Nam cum Pindarus & alii hoc genus lyrici, singulos propriis laudibus exornarent, Archilochi carmen idem erat in omnes, quod cithara canebatur: Citharædus tantum ad singula cantionis intervalla, victorum nomina voce suâ repetebat: veluti si Herculem laudabat, accinebat, Tenella Callinice χαῖρ' ἄναξ ἡράκλεις: aut aliud, si quem alium canebat, ut annotat *Erasmus* in Adagiis. *Plutarchus* item scriptum reliquit, inter alias cantiones conviviales cantiunculas celebrem fuisse illam, quâ decantarunt: πέντε πῖνε, τρία πῖνε, ἢ μὴ τέτταρα. *Bibe quinq;, bibe tres, aut nec quatuor cyathos* Hinc *Ausonius*:

Ter bibe vel toties ternos, sic mystica lex est.

Tres cyathos ad numerum *Gratiarum*, aut *novem* ad numerum *Musarum* intellige. Credebant enim *numeros impares ad omnia efficaciores esse*. Vide *Cœlium* lib. 7. c. 26.

Atq; in hanc rem jocatur *Ariston*: *Quemadmodum*, ait, *in Musica hemiolij proportio* symphoniam reddit diapente, dupla, diatessaron, quæ symphonia præter cæteras hebes & obscura est, & epitrito con stat. *Itidem & in bibendi harmoniis tres esse symphonias vini ad aquam*, διὰ πέντε, διὰ τριῶν & διὰ τεσσάρων. Nam diapente symphoniam ex hemiolio constitui, si tres aquæ cyathi duobus vini cyathis admisceantur: Quod si duobus admisceas duos, dupli proportionem existere: Diatessaron harmoniam fore, si uni vini cyatho tres aquæ cyathos addideris.

Memoratu dignissimum est, quod *Pausanias* in Bœoticis scribit, suo tempore sibi ostensum fuisse locum, ubi *in Cadmi nuptiis* ipsæ Musæ cecinerint. Huic enim Cadmo Thebanorum Regi, Harmonia

Jovis & Electræ filia in matrimonium data, & nuptiis à Diis Deabusq; dona fuêre tributa. *Ceres* frumenti fructum largita est, *Mercurius* lyram, *Pallas* monile & peplum & tibias. *Electra* sacra magnæ matris, & cymbala ac tympana. In iisdem *Apollo* cecinit ad citharam, *Musæ* tibias inflarunt, ac Dii reliqui multa dona dederunt. *Natalis Comes* lib. 9. cap. 14. Id ipsum *Theognis* ὁμόψηφος approbat, quando ita canit:

Μοῦσαι καὶ χάριτες κοῦραι διὸς, &c.

Musæ & Charites Jovis filiæ, quæ olim Cadmi
Ad nuptias venientes, pulchrum cecinistis carmen,
Quod honestum, gratum est. quod verò non honestum est,
non est gratum.
Is sermo immortalium venit per ora.

Fuit igitur hoc: ὅττι καλὸν φίλον ἐστί, τὸ δ' οὐ καλὸν, οὐ φίλον ἐστί, principium carminis, vel unde etiam *Theognis* illud hauserit.

Sic *Clio* duos habuisse fertur filios, Julemum & Hymenæum prorsus contrariæ sortis: quod hic lætis conviviis & nuptiis semper adesset: ille verò ejulatione & luctu suas aleret cogitationes. Quod *Aristophanes* apud *Athen.* in dictionibus Atticis annotat, ἐν γάμοις, inquit, ὑμέναιος: ἐν δὲ πένθεσιν ἰάλεμος. Per hos diversissimæ conditionis Cliûs filios significare voluerunt illos, qui ad virtutem & hujus præmium, honorem, aspirant, nunc asperâ premi, nunc prosperâ levari fortuna. Imò omnes totius vitæ nostræ decursu, modò dulcem canimus Hymenæum, modò ἰαλεμίζομεν, dum usq; nubila serenis, dura mollibus, amara dulcibus, solatia castigationibus permiscentur.

Hinc dicitur ille assiduo in nuptiis frequentatus more *cantus Hymenæus*, propter Hymenæum; cantuum Epithalamicorum inventorem & præsidem, id quod declarant *Plutarchi* verba in sympos. ἡ δὲ γαμήλιος τράπεζα, κατήγορον ἔχει τὸν ὑμέναιον μέγα βοῶντα, καὶ τὴν δᾷδα καὶ τὸν αὐλὸν, Convivium nuptiale cum cantu conjugali

Hyme-

Hymenæi altè clamantis, & faces & tibiæ. Quibus verbis recenſet *tria* præcipua ferè *nuptialium ceremoniarum genera*, quæ ab omnibus ferè gentibus fuerint uſurpata, quæ ſunt *Hymenaus*, *fax* atque *tibia*.

ὑμὴν & ὑμέναιος *Polluci* eſt ᾆσμα τὸ γαμήλιον, cantus nuptialis. Item τὸ τοῖς γαμοῦσιν ἐπαυλούμενον.

Athenaus lib. 14. dicit, ὕμνον γαμικὸν & τὴν ἐν γάμοις ᾠδήν. *Heſych.* ᾠδὴν ἐπιγάμιον & ἐπιθαλάμιον, quod nimirum ad thalami fores decantari fuerit ſolitum.

Hymenæus ille canebatur cum choreis, ita ut unus quiſpiam caneret, quoad Epiphonema ſubinferret. Quo pronunciato univerſa chorea Hymenæum totidem numeris recinebat, ut refert *Scaliger* lib. 3. c. 101. ubi addit etiam, multiplex fuiſſe in nuptiis carmen. Nam in ipſo convivio nuptiali Scolia canebantur, ut dicebamus. Poſt cœnam Epithalamium, cum in cubiculum deducebatur.

Fuit & quoddam miſtum ex narratione & cantione, quale pulcherrimum illud *Catulli*, quod malè inſcripſit *Argonautica*. Eſt enim *Pelei Epithalamium* miſtum. Quin extat & *Claudiani Epithalamium* ſuaviſsimum, eius generis quod canebatur. Poſtea hæc ex *Catullo* addit, diverſa initia, ad Hymenæum ſtatim:

Collis ô Heliconii
Cultor, Uraniæ decus,
Qui rapis teneram ad virum
Virginem, ô Hymenae!

Alterum autem initium à tempore, ad juvenes,

Veſper adeſt, juvenes conſurgite, veſper Olympo
Exſpectata diu vix tandem lumina tollit.

Iiſdem Græcis ἀμοιβαῖον carmen in nuptiis modulatis vocibus canere ſolenne fuit, quod feſto nuptiarum die Pelei & Tethidis, Deos decantaſſe olim ferunt cum acclamatione: ὑμὴν ὦ ἡμέναιε ὦ ὑμήν, ut ſcripſit *Ariſtoph.* in Avibus. Carmen autem Amœbæum, non ſolum cum Hymenæi nomine, ſed etiam aliud, ut:

Currite

Currite ducentes subtegmina currite fusi; Et virgines versus à cantore auditos recinebant, ait enim:

Vos item simul integræ
Virgines, quibus advenit
Par dies: agite in modum
Dicite, ô Hymenae Hymen
Hymen ô Hymenae.

Græcis item nubentium matribus tenere *faces* in nuptiis negotium datur, quod δᾳδουχεῖν dixêre: simulq; carmina & Fescenninos versus & sacrum hymnum, quem *Epithalamium* vocant, decantare, atq; in his quinq; Deos precari solebant, ut novæ nuptæ volentes & propitii adessent, prolemq; fæcundarent, Jovem adultum, Junonem adultam, Venerem, Dianam & Suadelam. Juventusq; cum strepitu & cantu *nuces* spargebant, ut annotat *Alex. ab Alex.* lib.2.genial.dier.c.5.

Simili modo, teste *Festo*, apud Romanos deductio Sponsæ præcedente Tibicine, & puerorum puellarumq; cantibus inter se respondentium, celebrabatur: *ô hymen hymenae, hymen hymen ô hymenae.* In eorundem nuptiis celebris ille canitur *Talassius* dictus cantus, propter Talassium juvenem bello fortem, cui formosissima ex Sabinorum filiabus adducta fuit virgo. *Plutarchus*.

Notandum denique, Musicam olim & in principio, & in medio, & in fine convivii fuisse adhibitam.

Adhibebant & aliam consuetudinem, qua *pretiosiores dapes inferentes* solenni quadam pompa tibicinibus utebantur. Ita enim cœnante *Severo Imperatore* observatum fuisse, scribit *Macrobius* lib.3. Saturn. c.16. ut cum inter alios cibos lautos & pretiosos Accipenser piscis adponēdus esset, nō nisi à coronatis ministris, cum tibicinis cantu inferretur, ut memoriæ tradidit *Pancirollus* lib.1.de reb.memor.f.507.

Coqui etiam olim epulas ad tibiæ sonum appararunt: Unde *Eubulus apud Athenæum* lib.9. ait, moris fuisse, ut si quid peccasset coquus, tibicen vapularet.

Ex his omnibus perspicuum est, quanta apud antiquos fuerit tri-

buta symphoniacis concentibus in symposiacis conventibus dignitas, quanta gratia, adeò ut ipsis nullum convivium suave videretur, Musicæ subtractâ jucunditate.

Nec obstat, quòd *Plato* in Protagora scribit, ubi *plebejorum hominum conviviis Musicam tantùm assignare videtur*, cujus hæc sunt verba, ex Græco in Latinum sermonem conversa: *Qui eum nequeant propter inscitiam invicem propriâ voce suisq; sermonibus ipsi colloqui, mercede exhibita, tibicines introducunt, & aliena voce, hoc est, tibiarum flatu, convivium transigunt. Ubi autem boni præclariq; & eruditi conviva conveniunt, neq; tibicinas ibi, neq; saltatrices, neque cantatrices ullas videas, sed voce propriâ, remotis iis nugis jocisq;, convivium celebrare, & alternis interrogationibus responsionibusq; modestè disserere, etiamsi vinum abundè bibant.*

Non autem ἁπλῶς & absolutè *Plato* musicam ex conviviis ejicit, sed vel lascivā & mollem atq; libidinis incensivā intelligit Musicam, vel (nec injuriâ,) jucundissimos sermones, ut vera animi oblectaměta, illi præfert. Alias non video, quomodo constare possit, quod à *Xenophonte*, Socraticæ disciplinæ alumno, in id convivium, in quo & Socrates esset & Antisthenes, atq; alii sapientiâ præstantes viri, non modò Philippum γελωτοποιΐας χάριν, excitandi risus artificem, verumetiā, sublatis epulis, Syracusanum cōmessatorem cum tibicina, & saltatrice, & formoso puero (tanquam jucunda θεάματα atque ἀκροάματα) introduxit, qui tum saltando, tum fidibus canendo, summâ eos, qui aderāt, voluptate perfunderent.

Potest huc accommodari illud ex *Plutarcho* lib. 1. sympos. probl. 1. quo distinguit inter ea, quæ ad cœnas & convivia requiruntur ὡς ἀναγκαῖα tanquam *necessaria*, ut sunt, vinum, cibi, obsonia &c. Et inter illa, quæ ὡς ἐπεισόδια τῆς ἡδονῆς ἕνεκα, *voluptatis gratiâ* introducuntur, ut ἀκροάματα, θεάματα, γελωτοποιοὶ, quibus ut præsentibus delectantur convivæ, ita absentibus illis citra molestiam carent, neque convivium eo nomine tanquam imperfectum culpatur.

Muretus lib. 6. var. lect. c. 15. omninò ad convivia, relaxationis animi gratia, adhibendā censet, & *objectum* illud *ex Platone solvit. Nam*,

ait,

aït, *si semper tam facundi* ac diserti convivæ *contingerent*, *quàm illi sunt* Platonici, *tum fortasse non immeritò talia omnia excluderentur*. *Quos equidem arbitror*, *si Apollinem vidissent ipsum cum lyra & plectro ingredientem*, *uno ore omnes oraturos fuisse*, *ut aut abscederet*, *aut ne cantu suo sermones abrumperet institutos*: *Et tamen*, *ni valdè fallor*, *non multò turpiùs fuisset*, *tibicinæ alicujus cantum audire*, *quàm vel orationem Aristophanis*, *vel quæ de Socratis temperantia ebrius Alcibiades intemperantissimè narrat*. Hæc *Muretus*.

CAPUT XIIX.

De Usu Musicæ ὀρχηματικῷ sive saltatorio; deq; quibusdam saltationum præcipuarum speciebus, varioq; earundem usu.

M*Usicæ ac saltationis* adeò arcta est *conjunctio*, ut meritò hæc illius dicatur comes & pedissequa; unde & *Terpsichore* una novem Musarum *saltationis* scribitur *inventrix*, quæ cum Melpomene mutuas jungit operas; hæc namque cantum, illa saltationes & choréas plurimùm observat. Quapropter *Homerus* plerumque, præsertim in epularum descriptionibus, *cantum & saltationem conjungit*. Ut *Odyss*. α.

Μολπή τ' ὀρχηστύς τε (τὰ γὰρ ἀναθήματα δαιτός)
Cantus saltatioq; (hæc enim sunt ornamenta convivii.)

Et *Odyss*. θ. αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη κίθαρίς τε, χοροί τε
Semper autem nobis conviviumq; gratum, citharaq; choriq;.

Et *Odyss*. N.
ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήια ἔργα
ἄλλῳ δ' ὀρχηστὺν τε καὶ ἱμερόεσσαν ἀοιδήν.
Alii enim tribuit DEUS bellica opera,
Alii autem artem saltandi. alii citharam & cantum.

Hîc *Homerus saltationem*, tanquam δῶρον θεόσδοτον *divinum donum* extollit, simulq; innuit, eam esse prædulcem musicam, quæ non sit à saltatione sejuncta.

Ut porrò quædam de ſaltatione dicamus, exordium ſumamus à nominibus, *εἰς γὰρ τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα, ad benè docendum, nomina primùm expendere oportet.*

Hebraicè ſaltare dicitur רקד Sinnek, Deut.33,22. נתר Natar, Job.37,1. Levit.11,21. רקד Racad, Eccleſ.3,4. Tempus plangendi, & tempus ſaltandi: & alia nomina.

Græcè χορὸς, teſte *Suida*, *καὶ οἱ χορεύται, καὶ ὁ τόπος*, non modò ſaltatores ſignificat, ſed locum etiam ſaltationis, in quo choreæ ducuntur, qui etiam χορηγεῖον, χορεῖον χορήγιον, χοραγεῖον dicitur.

Euſtathius idem dicit, ὁ χορὸς non modò ſignificat τὸ χορεύειν, & τὸ χορευτικὸν πλῆθος, *ἀλλὰ καὶ τὸν τόπον ἐν ᾧ ταῦτα*. Chorus non modò ſaltationem & ſaltantium multitudinem ſignificat, verumetiam locum ſaltationi aptum.

Plato χορὸν *ἀπὸ τῆς χαρᾶς à gaudio* deducit, quòd ſit quædam gaudii teſtificatio.

Χοροδέκτης, ὁ τοῦ χόρου ἐξάρχων, qui & χορηγέτης, χοροποιὸς, κορυφαῖος χοροῦ dicitur, & χοροδιδάσκαλος chori magiſter. χοροτύπης, qui in choro vel chorea terram pedibus pulſat: inde χοροτυπία, ipſa actio ſolum pedibus plaudendi inter ſaltandum. χοροκιθαριστὴς, qui citharā in choro pulſat; χοραύλης, qui tibias in choro vel ad choreas inflat: Nam & citharas & tibias choris adhibitas fuiſſe, *Horatius* teſtatur, his verſibus *lib.1.Od.1.*

——— me gelidum nemus
Nympharumq́; leves cum Satyris chori
Secernunt populo: ſi neq; tibias
Euterpe cohibet, nec Polymneia
Lesboum refugit tendere barbiton.

ὄρχησις etiam dicitur ſaltatio, quam vocem, præter alias notationes, alii *ἀπὸ τῶν ὄρχων*, à vinearum ordinibus, in quibus inter vindemias primitias Baccho offerentes choreas agebant, deducunt. Alii *παρὰ τὸ ὀρέγειν τὰς χεῖρας*, quia conſertis & extēſis manibus fiat Chironomia: proprieq; quæ manibus exercetur, ſaltatio dicta eſt.

Latinis porrò *Chorus* non modò ſaltantium canentiūvè collecta eſt multitudo, ſed etiam *coævorum* cantus atq; ſaltatio ipſa, teſte *Servio* in

illud

illud Virg: *Omnis quam chorus & socii comitantur ovantes.*

Modi etiam *Chorici* dicuntur, ad quos saltatio exercetur, & hinc *Chorêus* pes metricus, cujus in Choris multus erat usus, quo item conscripti versus choreis apti reddebantur, nomen sumpsit. Quidam à *Saliis* Martis sacerdotibus saltationem volunt denominari. Nam in sacris eius cymbala concutiebant circum aras, motus quosdam corporis edebant, per urbem etiam interdum cursitabant.

Plato lib. 1. de leg. ait, πηδᾶν *animantes* à natura habent: *homo* autem, qui rhythmum, numeros & harmoniam intelligit, motum corporis concinnitate quadam numerosa exornavit.

Unde autem primam *saltationes duxerint originem*, variæ sunt Scriptorum opiniones.

LUCIANUS de saltatione, ad observationẽ diversi motus stellarum errantium & fixarum refert. Cumq; Musæ dicantur Jove genitæ, sintq; præcipuè earum *Terpsichore* chorearum inventrices, simili modo saltantium species è cœli siderumq; circumvolutionibus, eorumq; gressu & regressu, tanquam harmonia & cœlesti quadam chorea, divinitus prodiisse, quidam memorant.

STUCKIUS lib. 3. antiquit. convival. c. 21 Ab ipsa natura saltationes promanasse scribit. Nam cùm homines, ipsius naturæ impulsu, cùm adversis tùm secundis in rebus, & animis, & corporibus vehementiùs commoveantur, variosq; motus ac gestus edant: accesit deinde ars, qua hi ipsi naturales corporis motus, gestusq; numerosi facti fuerunt, atq; harmonici. Quod divinus *Plato* innuere videtur *lib. 2. de leg.* ubi scribit; ita ardentem juvenum omnium naturam esse, ut neq; corpore neq; voce quiescere posit, sed sine ordine semper clamet atq; saltet.

Quis autem *primus choréas instituerit*, in controversia est positum

Quidam scribunt *Musæum & Orpheum*, absq; dubio, quia musici fuerunt & Poëtæ, ac omnia sacra cum saltatione instituerunt. Alii faciunt *Erato* saltationis inventricem.

Nec desunt, qui saltationis originem *Hieroni Siculo* Tyranno asscribunt. Hic namque, ut suam tyrannidem stabiliret, populo inter-

dixit mutuis colloquiis. Quare cœperunt homines in Sicilia ſenſus & cogitationes nutibus & geſtibus corporis exprimere.

Phidamonem hominem nobilem in Delpho apud Pythium delubrum primùm choréas inſtituiſſe, circa annum mundi 3929. tempore Gedeonis, ſcribit *Euſebius* in Chronicis.

Scaliger lib. 1. c. 18. Poët. *ſaltationem definit* motum compoſitum, numeroſum, cum geſtu effingentem rem aut perſonam, vel quam canit, vel quam tacet. Saltatio enim quædam *ſine cantu* fuit, eaq; vetuſtiſsima. Deinde cantus additus, quam poſtea χορείαν appellarunt, τὴν μετ᾽ ᾠδῆς ὄρχησιν, ſaltationem *cum cantu*. Et apud *Platonem* 2. de leg. χορεία γε μὴν ὄρχησις τε καὶ ᾠδὴ τὸ ξύνολον ἐστὶν. Choréa verò omnis tripudium ſimul eſt & concentus.

Hinc inter ὀρχεῖσθαι & χορεύειν hoc ponunt diſcriminis, quòd τὸ χορεύειν ſit *ſaltare cum cantu*: ὀρχεῖσθαι autem ſit rhythmicè moveri etiam *ſine cantu*. *Xenoph.* dixit ὀρχεῖσθαι ἐν ῥυθμῷ, ad numerum ſaltare.

Poſtremò etiam adjuncta fuêre inſtrumenta muſica, ut audiemus.

Jam, priuſquam ad varias ſaltationum ſpecies progrediamur, quædam *de ipſarum ſtudio & exercitio* præmittamus.

Plato lib. 2. de leg. ſcribit, Deos genus hominum laboribus naturâ preſſum, miſeratos, ἀναπαύλας τῶν πόνων, remiſsiones laborum ipſis dediſſe, atq; adjunxiſſe *Apollinem* μουσηγέτην, Muſarum ducem, & *Bacchum* συγχορευτὰς concelebratores chorearum, *illosq; tribuiſſe hominibus ſenſum rhythmi & harmoniæ participem, eosq; movere nos cum voluptate, chorumq; nobis ducere cantibus & ſaltationibus nos invicem copulantes.* Et PINDARUS *Apollinem* vocat ὀρχηστὴν, ſaltatorem.

Ipſos quoq; *Deos Deasq;* Ethnici fecêre *ſaltantes*. Sic enim *Muſæ* apud Heſiodum, & Anacreontem animi gratia *ſaltant*, καλλίκομοι κοῦραι Διὸς ὀρχήσαντ᾽ ἐλαφρῶς. *Quidni ſaltet etiam Jupiter otioſus*, ut ὠρχεῖτο πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Apud *Apulejum* lib. 6. in illo epulo nuptiali Pſyches, & ejus mariti, in quo etiam *Jupiter, Juno, cæteriq; Dii* accubuerunt, *Apollo* cantavit

ad citharam, *Venus* suavi Musicæ superingressa, formosa saltavit, scenâ sibi sic concinnatâ, ut *Musæ* quidem chorum canerent, tibias inflaret *Satyrus*, & *Paniscus* ad fistulam diceret, referente *Stuckio* lib. 3. antiquit. conviv. c. 21.

Etsi forsan hæc quibusdam videantur potiùs esse poëtarum figmenta, quàm rei veritati convenire: vel inde saltationis studium non fuisse vulgare, non obscœnum, vel inde probari potest, quòd hoc ipsum à sua dignitate neutiquam alienum Heroës arbitrati sunt.

Duris Samius in 7. hist. scripsit: PERSARUM REGEM semel in anno saltare consuevisse, idq; temulentum: quo die sacra Deo suo, quem *Mithrū* vocabāt, faceret, teste etiā *Athenæo* lib. 10. ἐν μόνῃ τῶν ἑορτῶν: &c. *In sola festivitate, quæ à Persis Deo,* Mithro *dicto, celebratur, Rex inebriatur, & Persarum more saltat.* Rectè sanè & saltatio & ebrietas conveniebat Regi illi, eo potissimum die. *Vascones* enim nostri, inquit *Scaliger, Mitrum asinum dicunt.* Ea die totâ præterea Asia nulli omnium idem facere fas erat.

Ut hîc sicco pede prætereamus, *quomodo sancti* item homines *tripudiis* ad animi lætitiam & εὐχαριστίαν erga Deum testificandam *usi fuerint.* DAVID enim ephod cinctus lineo Mecarcer, id est, saltabat coràm Arca Domini, ἀνεκρούετο ἐν ὀργάνοις ἡρμοσμένοις, quod licèt saltationem non exprimat, mox tamen Michol, Saulis filia, videt ac ridet, sed injuriâ, Davidem ὀρχούμενον, saltantem, *2. Sam. 6.*

MARIA, Mosis soror, Pharaone aquis obruto, atq; deleto, organis lusit, & choreas cum mulieribus duxit, sicut scriptum *Exod 15.*

Valdè etiam PLATO lib. 2. de legib. *saltationem commendat*, tanquam in qua variarum rerum repræsententur imitationes: Ἐπειδὴ, inquit, μιμήματα τρόπων ἐστὶ τὰ περὶ τὰς χορείας &c: *Quoniam in chorea variorum morum, variarumq; rerum variis infortuniis, moribusq; gestarum imitationes fiunt, quibus illa quæ dicuntur, aut declarantur, aut sub specie saltationis exprimuntur, vel naturâ vel consuetudine, vel utrisque probante, atque animo eorum conveniunt, quos gaudere illis laudareq; & honesta nuncupare necesse est.* Quo nomine *Socrates*

quoq;

quoq; ſaltationem perdiſcendam arbitrabatur, velut multum inſit venuſtatis in apto concinnoque motu & corporis efformatione compoſita.

Jam ut ad varias & præcipuas *ſaltationum ſpecies* deveniamus, variosque uſus, alias relinquentes diſtinctiones, quas apud *Scaligerum* lib. 1. Poët. c. 18. *Lucianum, Pollucem* legere licet, ad *quadruplicem* annotatas ſaltationum ſpecies accommodabimus *uſum*; ἱερατικὸν *in choris* ſacris; συμποσιακὸν *in epulis* & conviviis; πολεμικὸν *in armis*; θεατρικὸν *in ludis* theatricis.

Quod ad ἱερατικὸν ſpectat uſum, *Lucianus* hoc reſpectu vocat *exercitium divinum ac myſticum*, quod in Deorum cultum, atque honorem celebrari fuit ſolitum. Nulla enim ſacra, nullæ feſtivitates, ceremoniæ, initiationes, ſine ſaltatione peragi conſueverunt. Hujus rei *Orpheum* & *Muſæum* primos ſcribunt autores, quos, ut cum rhythmo & ſaltatione initiationes fierent, ſanxiſſe memorarunt.

Sic *Corybantes* in Phrygia, *Curetæ* in Creta, in *Rheæ* Deæ ſuæ honorem, cujus erant ſacerdotes, ſaltationibus vacabant. Et in *Delo* nulla ſacra peragebantur, cui ſaltatio non fuiſſet adhibita. Nam prodibant *puerorum chori*, qui tibiis ac citharâ præcinentibus ſaltabant, quos ſubſecuti optimi, facto delectu, choreis excipiebant. Eorum cantilenæ, ab uſu ſaltationis, dicebantur ὑπορχήματα, quæ concinebant ſaltantes *in altaris ambitu*, cum jam igni admota eſſent ſacra. Cumq; ſaltantes & canentes aram obibant & circumdabant, ita progrediebantur, ut à ſiniſtris dextrorſum pergerent prius *Zodiaci modo*, deinde à dextris lævorſum *pro ratione primi mobilis*. Et illi qui myſteria vulgò prodiderant, dicebantur ἐξορχήσασθαι, deſultaſſe. Huc alludere videtur *Athenæus* lib. 14. ubi ſcribit: ἐν ὀρχήσει γὰρ καὶ πορείᾳ καλὸν &c: *In ſaltatione & progreſſione pulchra res eſt concinna figura & pulchritudo, turpis autem inconcinna & ſupra modum laſciva motio. Propterea Poëtas ferunt, ſaltationes olim Liberis aſſignaſſe, & figuris ſaltationum uſos fuiſſe tantum, pro ſignis eorum quæ voce canebantur: ſemper in iis animum ſervantes virilem & generoſum: quam ob cauſſam* ὑπορχήματα *appellarunt, quaſi dicas, ſaltatio-*

nes voci subservientes. Si quis autem figuras exprimeret non servato modo, & cantionibus congruens nihil diceret in saltatione, eum improbabant. Ubi annotat *Casaubonus* in Athen.lib.14.c.6. venustè dicitur, λέγειν κατὰ τὴν ὄρχησιν, pro exprimere aliquid saltando, congruentia saltationis cum eo quod voce canitur.

Quas vocat figuras saltationis, *Aristoteles* nominat rhythmos figuratos *lib.de Poët.c.1.* οἱ ὀρχησταὶ διὰ τῶν σχηματιζομένων ῥυθμῶν μιμοῦνται καὶ ἤθη, καὶ πάθη, καὶ πράξεις. *Saltatores per figuratos numeros imitantur & mores & perturbationes & actiones.*

Proprium verò hujus studii vocabulum est σχήματα, & σχηματίζειν idem quod saltare. Quod ait de appellatione hyporchematum, antea diximus cap.18, ex *Luciani* lib.de saltatione.

Hyporchematicæ Poëseos & *saltationis* duos fuisse *autores*, scribit *Athenæus*, *Xenodamum* & *Pindarum*. *Scaliger* lib.1.Poët.c.18. ὑπορχηματικὴ, inquit, multùm conveniebat choris concinentibus. Eratq; *Cretensium* propria. Numerant *duo* præterea *Cretensium genera: Orsiten* & *Epicredion*.

Laconicarum etiam meminit *Pindarus*, in quo erant hæc verba: λάκαινα μὲν παρθένων ἀγέλα. *Virginum* enim fuit ea primùm: postea viri quoq; additi. Canebant in ea *Liberum* patrem, & *Venerem*, & *Paanas*: verùm frugalissimis modis, qui ex eo παρθένιοι appellati sunt. Distinguebantur in duos, προσῳδικοὺς & ἀποστολικούς. Malè igitur hos quidam confundunt, diversi enim sunt modi. *Prosodion*, (ut notat *Casaub.in Athen.* lib.14.cap.7.) carmen est, ab iis cantari solitum, qui *Apollinem* accedebant. Inde προσῳδιακὸν μέτρον apud metricos & prosodiaca saltatio. *Apostolicus modus*, ut ex nomine licet conjicere, is est, qui convenit τοῖς ἀποστόλοις vel ἀποστολεῦσι: quæ erant apud Græcos *præfecturæ nauticæ* vocabula.

Huc referri posse videtur *Trichoria Lacedæmoniorum* saltatio, ex instituto Lycurgi. Quæ *triplici* constabat *choro*, Senum, puerorum, juvenum.

Senum prima erat cantio, eaq; talis:

ἄμμες πότ' ἦμεν ἄλκιμοι νεανίαι. Id est,

Nos fuimus olim strenui juvenculi.

Secunda *puerorum*.

ἄμμες δέ γ' ἐσσόμεσθα πολλῷ κάῤῥονες,

Præstantiores nos futuri olim sumus.

Tertia *juvenum*:

ἄμμες δέ γ' εἰμέν. αἰ δὲ λῇς αὐγάσδεο.

At nos sumus: vel experire si velis.

Syracusani Dianæ Chitonæ sive Chitoneæ honori propriam habebant *saltationem* ad *tibiam*, ab ipsa nominatam, eadem voce, *Chitoneam*. Cui Dianæ fuit & cognomentũ *Caryatidis*, à Laconiæ vico, cui Caryæ nomen erat, hinc καρυατίζειν verbum saltationis, quem modum edocti fuerunt à regionis illius principibus Castore & Polluce. *Scaliger.*

Indos similiter scribunt manè è strato excitatos, *Solem* precibus venerari, & *ad orientem* conversos, saltatione Solem salutare, seq; ipsos cum silentio conformantes, Dei choréam imitari, atq; effingere. Et hæc Indorum fuit precatio, chorus, sacrificium: sicq; *bis in die, manè* himirum atq; *vesperi* Deum venerari consueverunt.

Lucianus, *Salios* apud Romanos, *in Martis* Dei sui honorem gravissimè, religiosissimeq; saltasse refert.

Dionysia quoq; atque *Bacchanalia*, eodem teste, olim maxima sui parte saltationibus atq; tripudiis constabant.

Hodie, inquit *Stuckius*, qui ad nos veniunt è Syria, testantur, Christianos, qui degunt in illis regionibus, *die Resurrectionis Dominica*, nec non aliis celebribus festis venire in templum cum lyris, & citharis, & psalmos inter se cantare, ac unà, sobriè tamen & modestè, seorsim viros, & seorsim mulieres saltare, qui sanè illorum mos ab Ethnicis videtur promanasse, qui falsò sibi persuadebant, Numen hujusmodi tripudiis placari.

Et hæc de usu saltationum sacro.

Sequi-

Sequitur *convivialis & epularis*, qui & ipse quoq; apud omnes ferè gentes usitatissimus fuit: Hinc crebra apud *Homerum* in epulis *saltationis* & *cum Musica* ferè conjungitur: ita ut hæ duæ quasi perpetuæ fuerint conviviorum appendices. Sic apud Phæacenses fatetur *Rex Alcinous* in usu fuisse *Odyss. θ.*

Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη κίθαρίς τε χοροί τε.

Nobis verò semper convivium, citharæ, choreæq; grata & accepta sunt. Quod ex sequentibus elucet, ubi Rex afferri jubet Demodoco citharam, ad quam ille postea pulchrè cœpit canere, cantionem nimirum de Veneris & Martis amplexu, quæ aliquot versibus describitur:

Αὐτὰρ ὁ φορμίζων: &c.

Cæterum ipse citharœdus cœpit pulchrè canere
De Martis amore, pulchreq; coronatæ Veneris.

De saltatione ipsa sic canit *Poëta*:

——————— ἀμφὶ δὲ κοῦροι
πρωθῆβαι ἵσταντο; &c.

Circum autem juvenes, jam pubescentes stabant docti saltatione, quatiebant autem divinum chorum pedibus.

Et ULYSSES, domum reversus, saltationes instituit domi, ut putent nuptias esse in domo Penelopes, αὐτὰρ θεῖος ἀοιδὸς: &c.

At divinus cantor tenens citharam stridulam
Nobis præeat amatrice ludorum saltatione.

Hoc est jussum Ulyssis, quod statim in actum deducitur. Sic enim subjungit: ————— ὁ δ' εἵλετο θεῖος:

Ipse autem cœpit divinus cantor Citharam
Concavam, in ipsis autem desiderium movit
Cantusq; dulcis, & strenuæ saltationis,
His autem magna domus strepebat pedibus
Virorum ludentium pulchrizonarumq; mulierum.

ATHENÆUS etiam testatur, Homerum quoque illam saltationem cognovisse, quæ fit *ad cantum*, ὄρχησιν πρὸς ᾠδήν.

Porro *apud Græcos* inprimis ſaltationes olim in conviviis fuiſſe adhibitás, accepimus.

ATTICI, (inquit *Athenæus* lib.4.) ἐν τοῖς συμποσίοις (*in conviviis*) ſolebant ὀρχεῖσθαι ὑποπίνοντες: (*ſaltare ſimul bibentes:*) ubi etiam ſententiam Alexidis adducit, ἅπαντες ὀρχῦντο εὐθέως, ἂν οἴνυ μόνον ὀσμὴν ἴδωσι: *(omnes ſtatim ſaltabant, ubi tantùm vini odorem perceperunt.)*

SCALIGER ſaltationes quasdam fuiſſe memorat in nuptiis *ad Hymenæos. Ad Cyathum* in Tricliniis: quæ erat ſpecies Ionicarum, & παρῴνιον dicebatur, cujusmodi fuit illa, quam vocarunt *Angelicam.* Erat ea extra Triclinia, qua nuncium agebant, proſpectātes primùm, tum autem ſuſpenſo gradu circumſpectantes.

LUCIANUS in lib. de ſaltatione *Phrygiam* ſaltationem conviviis & compotationibus dicit eſſe convenientiſſimam, quam ebrietatem compulſi ſæpè homines exercent. Hinc *Bacchus* quoq; θεὸς λυαῖος καὶ χορεῖος dictus fertur, quòd curas ſolvat, & auctor ſit chorearum, ut eſt apud *Plutarchum* ſympoſ.3. probl. 6.

SYBARITAS quoq; tradunt vel *equos* etiam in conviviis introduxiſſe, ita inſtitutos, ut incinentis tibiæ cantu audito arrigerentur, ac pedibus ipſis prioribus manuum vice, geſtus quosdam chironomiæ, motusq; ederent ad numerum, & ſaltarent; de quibus plura ſcribit *Angel. Politian.* Miſcell. cap. 15.

De THRACUM ſaltatione militari in conviviis mox dicemus.

MACEDONES quoq; cum ſympoſiis, tùm ſaltationibus maximè fuiſſe addictos, quidam memoriæ prodiderunt. Et *Athenæus* tradit, *Polyſperchontem* Macedonem, ſæpius in ſympoſiis, talari indutum tunica, ſicyoniisq; calceatum cothurnis, ad tibiam, magnâ cum licentia ſaltaſſe.

Es his frequentem in conviviis ſaltationum perſpicimus uſum, quemadmodum hodie etiam nullum ferè agitatur convivium, præſertim nuptiale, cujus non proxima ſocia ſit ſaltatio, juxta Gallorum dictum, *Apres la pance, la danſe*, ingluviem ſequitur ſaltatio. *Stuckius.*

In funeralibus quoq; absq; dubio *conviviis* erat ſaltatio *Gingra* dicta, quam edebant ad cognominem tibiam.

Tempora verò alia alias etiam exigebant: in *meſſe*, peracta meſſe, in *vindemiis*, ad *focos* noctes hybernas cum excubarent. Item *feſtis diebus*, ut non unam cantionem, ita diverſas agitabant ſaltationes, quas arbitratu ſuo nominabant.

Præterea ut ad *militarem ſaltationum uſum* accedamus, qui ſumptis armis fiebat, unde ἐνόπλιος dicta ſaltatio, quæ item fuit omnium utiliſsima & laudatiſsima.

Lucianus autor eſt, LACEDÆMONIOS à Caſtore & Polluce καρυατίζειν (quod ſupra etiam attigimus) artem edoctos, omnia cum carminibus facere, & ad tibiarum quoq; modulos, rhythmum, moderatumq; pedis ingreſſum prælium committere, fuiſſe ſolitos.

Ephebos quoq; illorum non minore ſtudio ſaltationi, quàm ὁπλομαχίᾳ armis exercendis operam navaſſe. Fuit illis peculiare quoddam ſaltationis genus, quæ *Hormus* dicebatur. Saltationem verò in armis non modò rei militaris exercitationem fuiſſe, quæ ab armatis pueris peragebatur, eâq; belli imago repræſentabatur, impetus & ardor adorientium & celeritas fugientium: verumetiam *pœnæ genus*, qua afficiebantur juvenes cum deliquiſſent, unde *Pyrricharii* fuère dicti. *Stuckius*.

Sic ÆTHIOPES olim, non aliâ quàm ſaltandi ratione, illatis jam ſignis *bellum* ingrediebantur, nec quiſquam Æthiopum vel ſagittam excuſſam emittebat avulſam à capite (hoc enim vice pharotræ utebantur, tela capiti circumponentes) niſi prius ſaltaviſſet, & *ſaltatione hoſtibus terrorem* incuſsiſſet.

Hujus generis eſt ſaltatio *Pyrrhicha*, quam ἐνόπλιον etiam vocat *Pollux* lib. 4. c. 14. quia armati ſaltabant.

De ratione nominis variant autores. *Plinius* nomen ſumpſiſſe *à Pyrrho* Achillis filio, ſcribit *lib. 7. c. 56.*

Athenæus & *Euſtathius* à *Pyrricho* Lacedæmonio dictam putant.

Alii ab *ignea* ejus *vi* sic volunt nominatam. Unde & Pyrrhichio pedi nomen, qui impetum habet similem militis in prælium ruentis.

Pyrrhichæ hujus saltationis facies vivis coloribus depingitur in convivio *Seutha Thracum Regis* apud *Athenæū* lib. 1. ex Xenophonte in Ascensu, ubi illud convivium ita describitur: *Posteaquam fœdera percussissent & cantibus celebrassent, surrexerunt primi Thraces, & ad tibiam cum armis saltarunt, gladiis utentes: alter denicq; alterum percutiebat, ut omnibus is vulnerari videretur, atq; consultò cadebat, quo efficiebatur, ut omnes exclamarent. Tunc victor eum armis spolians abibat, canens sitalcan:* Is erat illis cantus, qui Græcis pæan. *Alii ex Thracibus alterum tanquam mortuum auferebant, cum tamen nihil mali passus sit. Postea Ænianes surrexerunt & Magnetes, qui etiam καρπαίαν saltationem dictam, in armis tripudiarunt. Argumentum & consuetudo erat talis. Quidam positis armis arat & serit, crebrò respectans metuentis modo, supervenit latro, quo viso resumptis armis pugnat pro bobus: idq; in numerum & ad tibiam. Scaliger* sæpius citato loco, *lib. 1. Poët. c. 18.*

Fuit etiam Pyrrhicha saltatio alia dicta *Dionysiaca*, in qua *Liberi* patris apud Indos gesta saltabant. Accinebant simul & pulcherrima: nec non ex tibiis ὄρθιον νόμον.

SCALIGER de seipso scribit: Hanc, inquit, Pyrrhicham nos & sæpè & diu coram *Divo Maximiliano*, jussu *Bonifacii* patrui, non sine stupore totius Germaniæ repræsentavimus. Quo tempore aliquando vox illa Imperatoris, *Hic puer aut Thoracem pro pelle, aut pro cunis habuit.*

EPICHARMUS in Musis tradit, *Minervam* Dioscuris *Enoplion* vel armatam saltationem cecinisse. Hinc *Plato* in Cratylo ipsam quoque *Pallada*, ἀπὸ τῆς ἐν ὅπλοις ὀρχήσεως vult dictam, quia ὀρχεῖσθαι idem sit quod πάλλεσθαι. Cantum verò Enoplium *duobus dactylis* constare putant & *Spondæo*, ut: Hostibus obvius exit, Aggrediturque vagantes.

Athenæus lib. 14. Saltationis, inquit, olim in choris genus fuit εὔσχημον, καὶ μεγαλοπρεπὲς, decorum, magnificum, quodque eas ferè motiones, quæ in armis fiunt, imitabatur. Ob id *Socrates* eos, *qui optimè saltant, ad bellicas res* etiam esse *idoneos*. Cujus hos scribunt in poëmatis versus:

> οἱ δὲ χοροῖς κάλλιστα θεοὺς τιμῶσιν ἄριστοι
> ἐν πολέμῳ. Hoc est,
> *Qui rectè scivêre choris decorare Deos, hi*
> *Optimi & in bello.*

ὥσπερ ἐξοπλησία τὶς ἦν ἡ χορεία, καὶ ἐπίδειξις οὐ μόνον τῆς λοιπῆς εὐταξίας ἀλλὰ καὶ τῆς τῶν σωμάτων ἐπιμελείας. *Est enim saltatio velut armatura instructa ad procinctum meditatio, in qua spectatur non tantum ordinis conservatio & modestia, sed etiam qua corpus diligentia curatum sit.* Unde *Athenienses* ducem sibi creavère *Phrynichum*, quòd in fabula saltasset aptè Pyrrhicham. Apud *Lacones* etiam ἐμβατήρια μέλη erant ἐνόπλια, quemadmodum prisci Lacedæmonii *Tyrtei* carmina concinebant. *Arcades* præterea *armati*, ad armorum rhythmum tibiarum carmina canebant & saltabant, ut refert *Athenæus* lib. 1.

Fuit & *Castoreum* quoddam saltationis genus vocatum, in honorem *Castoris*, à Lynceo cæsi, institutum, in quo *juvenes armati* tripudiabant. *Natal. Com.* lib. 8. c. 9.

Phæacum quoque saltatio fuit μετὰ τῆς σφαίρας *cum pila*, de qua etiam *Athenæus* lib 1. *In Hoplopœa, puero citharam pulsante, alii consertis manibus cum cantu & saltatione pedes agitabant.*

Postremò jam paucis *de theatrico saltationum usu* dicamus, quia pleraq; scripsimus in cap. de usu Musices theatrali.

Fuit autem *theatralis saltatio*, teste *Luciano*, & *Scaligero*, *triplex*, pro modo, numero, genere fabularum. *Una in Tragœdia*, quam dixe-

runt

runt ἐμμέλειαν, quæ gravis erat & modulata, oratorum geſtu propior. Unde *Agamemnon* agens Hylas, cum ſeſe feciſſet grandiorem, correptus eſt à Pylade præceptore; ἀλλά συ μὲν, inquit, μακρὸν οὐ μέγαν ποιεῖς: (verùm tu quidem facis te longum non magnum.)

Altera in Comœdia, ſolutiore licentia κόρδαξ fuit dicta.

De *Samathero Logotheta* ſcribit *Nicetas* lib. 3. apud Manuelem Comnenum Imperatorem, quòd potuerit ad lyram canere & cytharam pulſare, atq; *cordacem ſaltare*, pedesq; celeriter, huc & illuc agitare fuerit promptiſsimus.

Tertia ſaltatio, laſciva, inconſtans *in ſatyris* appellata σικιννὶς, à *Sicinnio* quodam barbaro. Fuit ea maximè motoria geſticulatione creberrima & celerrima.

Κολαβρίζειν quoq; *Græcis* eſt σκιρτᾶν *laſcivè ſaltare*, Id genus ſaltationis petulantis & laſcivæ κολαβρισμὸς eſt dictus. Cantiones quas inter colabriſſandum cantitabant, κόλαβροι vocabantur, parumq; erant honeſtæ & ſpurcidicæ. *Athenæus* lib. 15,

Fuit & ſaltatio *molliuſcula*, *Anthema* à floribus dicta, quos hiſce numeris accinebant: ποῦ μοι τὰ ῥόδα; ποῦ μοι τὰ ἴα; ποῦ μοι τὰ καλὰ σέλινα: *Ubi mihi roſæ? ubi mihi violæ? ubi mihi formoſum apium?*

Addamus & hoc ex *Athenæo* lib. 14. *Pueros Arcadum* ad Timothei & Philoxeni modos tibiales in theatris *quotannis* ſaltare. Apud quos aliis ſe diſciplinis eruditos negare, haud indecorum eſt: *ignaros* verò *canendi & ſaltandi* ſe fateri, *turpe* cenſetur. Iidemq; greſſus ordinatè & pedetentim ad tibiam ſuſpendere meditantur, publicâq; impensâ & diligentia, ſaltatione cum exercitati fuerint, ſui *profectus in theatro ſpecimen* quotannis edunt.

Erat & ſaltatio quædam, quam dixerunt τοῦ κόσμου ἐκπύρωσιν *mundi incendium*. NERONEM verò, ſcribit *Scaliger*, ſaltare potuiſſe ῥώμης ἐκπύρωσιν, dignumque cenſet, cujus ἐκπύρωσιν ſaltaret totus mundus.

Ex his omnibus perſpicuum eſt, quanti veteres fecerint ſaltatio-

nis ſtudium, de quo *Plato* quoq; multis in locis mentionem fecit: *lib. 2. de leg.* inquit: ὁ καλῶς ἄρα πεπαιδευμένος, ᾄδειν τε καὶ ὀρχεῖσθαι δυνατὸς ἂν εἴη καλῶς, id eſt: *Quisquis ergò benè diſciplina inſtructus eſt, & ſaltare & cantare benè poteſt*, ubi quoq; τὴν τῇ μουσικῇ καὶ τῇ παιδιᾷ μετὰ χορείας χρείαν ὀρθὴν εἶναι, *choream cum ludis & muſica rectè cohærere* pronunciat. Et multa ruditate refertum ait, ut aliter tibia, citharaq; utaris, quàm ad tripudium opus ſit atq; cantum. Nudo autem utroq; uti abuſus eſt præſtigiatrici oſtentationi ſimilis, & à Muſis admodum alienus.

Et *in fine ejusdem libri, choreæ unam partem*, dicit, *in voce eſſe*, per numeros & concentus: *alteram in corporis motu*, per numerum & figuram. Ejus originem ita declarat: Οὐκοῦν αὖ ταύτης ἀρχὴ μὲν τῆς παιδιᾶς, &c. *Igitur & hujus quoq; ludi principium eſt, quòd quodvis animal naturâ ad ſaliendum comparatum eſt. At homo accepto rhythmi ſenſu, ſaltationem & genuit & peperit. Quum autem concentus rhythmum illum quaſi in memoriam revocaret & exuſcitaret; illi ambo unà conjuncti, choream luſumq; pepererunt*, ut in principio dicebamus.

CAPUT XIX.

De Uſu Muſices θεατρικῶ in ludis ſcenicis & theatricis.

NOn minus in Comœdiis, & aliis fabularum generibus, ludisq; ſcenicis, frequenti conſuetudine celebris, jucunda varietate inſignis, *modulatæ vocis* fuit *uſus*; ejusq; vel *naturalis*, quo nomine Cantores veniunt, qui aſsâ voce canunt, Chorus ipſe, primùm in ſcena, poſt extra ſcenam: præterea *artificialis*, illorum qui modos Tibiis faciebant.

Chorus eſt pars poſt actum introducta cum concentu. Hunc tractum non fuiſſe uniuſmodi, ſcribit *Scaliger* lib. 1. Poët. cap. 9. *Totus* enim aliquando fuit *cum cantu* & *motu* & *geſtu* & *ſaltationibus* ad tibias.

Choro autem de Comœdia nova ſublato, explebat officium *tibicen*.

Primos choros instituisse ferunt *Arcades* ex Dionysiacis tibicinibus, Timothei ac Philoxeni legibus, quibus & totius Musices attribuunt primordia. Chori tamen Philoxeno longè sunt vetustiores, adeò ut olim *actio Satyrica* in Tragœdiis *solo choro* constiterit.

Scaliger d.l. primum *Philammonem* Delphicum ad aram patriam in *honorem Apollinis* choros disposuisse scribit.

Lucius verò *Anilius* devicto ac triumphato Gentio Rege Illyriorum, in Circo scenam extemporaneam exhibuit. Ludosque edidit cum Thymelicis tum primùm, quos in Orchestra constituit. In Proscenio autem Tibicines cum choro. De qua re ita scriptum memoriæ prodidit *Athenæus* lib.14. dipnosoph. *Lucius Anilius* (Athen. Anitius) Romani exercitus Imperator, debellatis Illyriis, & Gentio, illorum rege, cum liberis capto, & Romam abducto, ludis victoriæ caussa editis, quovis risu digna multa fecit, ac excogitavit, ut est apud *Polybium* lib.30. Nam accersitis è Græcia clarissimis artificibus, extructâque in circo maximâ scenâ, primos induxit tibicines simul omnes, *Theodorum*, *Bœotium*, *Theopompum*, *Hermippum*, *Lysimachum*, in Græcia celeberrimos. Eos in proscenio stantes simul omnes, cum choro tibiis jussit canere. Motu corporis tibiarum modis apto illis per scenā lentè incedētibus misit, qui admoneret non placere illam cantionem, itaq; certarent vehementiùs. Dubitantibus ipsis, quidnam mandaretur, significavit è lictoribus quispiā, ut in sese mutuo versi cōcinerēt, ac *pugnæ speciē* repræsentarent. Quidnā vellet Anilius, tibicines ubi cognoverūt, tibias cantu inflantes, qui *ardori pugnantiū* militū conveniret, omnia permiscuerūt, medios choros perturbatos cum extremis confundētes, insanis modis ac temerariis cōplentes omnia, & tibiarū concentu dissoluto, in sese mutuo vicissim impetū fecerunt. In hos etiam ex adverso, perstrepētes chori ad scenam quatientes irruebant, ac rursum *velut terga vertentes*, pedem referebant. Ut autem saltator quidā præcinctus, ex tempore sese obvertens in tibicinē obvium, manus extulit, tanquā pugillatu dimicaturus, ingens plausus ac clamor spectatorū obortus est. Cōmissis illis duobus etiamnū decertantibus in orchestrā *saltatores* duo processerunt ad placidos concordesque

tibia-

tibiarum ſonos,& in ſcenam cum tibicinibus & ſaltatoribus, qui in caput ſe provolverent, aſcenderunt quatuor pugiles, His omnibus ſimul pugnantibus, gratiſſimum & lætiſſimum ſpectaculum fuit.

Polydorus autor eſt *lib.3.c.13* ubi ſcribit; In ludis Scenicis, anno U. C. CCC. XCI. C. Sulpitio Petico. C. Licinio Stolone Coſſ. teſte *Livio*, ex Hetruria ludiones accitos, qui ſine carmine ullo, ſine imitandorum carminum actu, ad tibicinis modos ſaltantes haud indecoros motus dabãt. Poſtea ſucceſſu temporis poſt annos centum & viginti, *ludus* paullatim *in artem* verſus eſt, cum in Scena Comici, Tragiciq; & cæteri Poëtæ ſua recitarent Poëmata: in ea etiam adhibebantur tibicines, citharœdi & hujusmodi, qui vel *in fine cujusq; actus* canerent. Cujuſmodi fuerint illi ludi, Apollinares ſcil: ſupra cap. 18. dictum eſt. Quos autem Ludiones ex Hetruria dicunt accitos, imitata poſtea *Romana juventus*, primò incõditis inter ſe carminib. jocularia fundẽtes: nec motus interim abſoni à voce. De nceps non inconditum & rude carmen, ſed modulatas Satyras, deſcripto ad Tibicinem cantu decoróque motu peragebant.

Livius Andronicus ab Satyris digreſſus *fabulam* argumento fecit, factamq; cùm ſępius egiſſet, obtusâ demũ frequenti uſu voce, puerũ, qui caneret, ante Tibicinem ſtatuit: inde ut ad Tibicinis latus *Hiſtriones* canerent, receptum, & quæ plura recitat *Sabell.* lib.3. Enn. 4.

De Muſicis inſtrumentis, in ludis adhibitis apud veteres, ita ſcribit *Johannes Baptiſta Pineas* ex illo Horat.

Tibia non ut nunc, orichalco juncta, tubæq;
Æmula.

Veriſimile eſt, inquit, urbium theatra initiò fuiſſe parva: & propterea ſcenã habuiſſe tibias tenues ac ſimplices. *Tenues* intellige, ſolas abſq; aliis inſtrumẽtis Muſicis: *ſimplices*, quia earũ foramina tantum eſſent quatuor. Poſt ea verò aucto populo aucta quoq; fuiſſe theatra; & primò additum *lituum:* deinde etiam *tubam.* Ut ſit ſenſus *Horatii*, *Tibiam junctam* fuiſſe *orichalco*, id eſt, aſſociatã lituo ex orichalco confecto: neque tantùm Muſicam ex tibiis, ſed etiam ex tubis conſtitutam. Ergò *tibiam* factam *tubæ æmulam* · quia tuba cõmixta cum ipſa, ſonum ſuum

non amiserit: quanquam ita acutus hic fuerit, ut tubæ strepitum imitaretur, ut annotat *Salmuth* lib. 1. in Panciroll. de reb. memorab. tit. de Aurichalco.

Quales fuerint *tibiæ dextræ* vel *sinistræ*, quibus modos fecerunt, dicetur ubi de Tibia agemus.

Prisci verò Latini in pagis & oppidis unico tantùm tibicine fabulas agitabant, ad cujus modulatum vocem ac gestum accommodabāt histriones, alioqui ob imperitiam non servaturi carminis rationem. Is igitur tibicen, posteaquam uni actori præcinuerat, cogebatur ad alterum huic responsurum transire, eiq; vicissim incentu tibiæ, metri modulos præire, atque hinc rursus ad alium: quòd rusticani homines absq; præeunte tibicine numeros probè observare non possent.

In ludis theatricis vel scenicis quoq; addebantur, qui in genere dicebantur *Thymelici*, quales sunt Cytharœdi, Psaltæ, lyristæ, tibicines in scenam dispositi, ut spectatorū aures demulcerent, à *Thymele* muliere saltante, & histrioniā exercente, sic dicti. Et saltatores in orchestra simul cum choro & modos facientibus erant, de quibus postea planiùs & pleniùs. Prodibant etiam *Hilarodi* in veste candida, virili, auro coronati, calceis primùm usi, deinde crepidis: similes his Aulodos, Magodos, Lysiodos dicit *Scaliger* lib. 1. Poët. c. 52. Erat *Aulodus* Hilarodo per omnia similis & par: Sed *Hilarodus* puero puellâvè psallente canebat: *Aulodus* tibicine modos faciente. Aulodo & Hilarodo præmiū corona, tibicini & Psaltæ nulla. Ac quemadmodum hi duo similes: ita Magodo & Lysiodo argumentum idem, modus diversus. *Ille* mulieribus personis virilia negocia & ad tympanum: *Lysiodus* muliebria virilibus agere & ad cymbalum. Et hæc introducta inter fabulas à quibusdam, sicut & *Mimi* & *Satyri*.

Hisce non absimilia habemus apud *Athenæum* lib. 14: Ubi *Hilarodos* etiam *Simodos* vocari ait, quod *Simus* Magnes aliis poëtis hilarodus elegantior ac concinnior, ut inquit *Aristocles* de choris.

Ut autem & hoc addamus, *Hilarodi vox* significat, hilaria, fausta, læta canentem, ut de amoribus & aliis rebus jucundis, sed condita quadam gravitate tragica.

Ilalon tibiam ac fiſtulam *Hebræis* dici monuit me(inquit *Dalechampius* in margine ad Athenæum) D. Mitalerius Viennenſis, indeq; vocatos fortaſsis fuiſſe *Ilalodos*, quos *Hilarodos* nuncupamus.

Cæterùm eoſdem ceciniſſe cantus Magodos & Lyſiodos, affirmat *Athenæus* ibidem.

Ariſtoxenus ſcribit, poſt Tragœdiam *Hilarodiam* eſſe graviſsimam, poſt Comœdiam ſummam eſſe *Magodiæ* gravitatem. *Magodiam* porrò idcircò nuncuparunt, quòd illis cantionibus *magorum* prodigioſa miracula exponantur, medicamentorumq; declarantur vires. Ea de cauſſa (addit *Dalechampius*) *apud Perſas honor* habebatur *Magis*, quòd putarent illos admirabili quadam poteſtate ventos poſſe cohibere, pluvias ciere, tum etiam, quòd illos crederent ſimplicium pharmacorum facultates optimè noviſſe. Illis cantionibus non diſsimiles eſſe reor conciones & muſicos *cantus medicorum circumforaneorum*, quos *Charlatanos* vocat Italia.

Illis, quæ ſupra de choro diximus, hæc, majoris perſpicuitatis gratia, addere operæ pretium duximus.

Chorus autem, ut rem ab initio repetamus, in Comœdiis, Tragœdiis & Satyris peculiariter dicebatur *multitudo illa, quæ ſaltabat & canebat inter actus:* interdum & interloquebatur, hiſtrionis perſonam ſuſtinens.

Dici volunt ἀπὸ τῆς χαρᾶς à *lætitia:* Unde *Plato* 2. de legib. dixit, Deos noſtræ calamitatis miſertos, συγχορευτὰς & χορηγοὺς choreæ cantusq; duces dediſſe nobis Muſas & Apollinem μουσηγέτην, eosq; movere nos cum voluptate, chorumq; nobis ducere ᾠδαῖς τε καὶ ὀρχήσεσιν ἀλλήλους ξυνείροντας, cantibus & ſaltationibus nos invicem copulantes.

Ad eum autem modum, quemadmodum in acie militari fit, diſponebantur in Orcheſtra, quum ſtaret chorus, quæ erat pars quædam theatri, chori propria, dicebaturq; χοροστασία quaſi *in diſtinctas ſtationes chori diviſio.* Cum ingrediebantur εἰσόδιον, quando accedebant, canebant προσόδιον, vocabatur πάροδος vel παρόδια. Tum aut ſtantes canebant, quod στάσιμον nominarunt & συνόδιον, tum narrabant rei eventum.

Sed qui necessitate evenit exitus, utpote redeuntium denuò, erat *μετάστασις secessio*. Qui verò post hanc est introitus ἐπιπάροδος *accessus* reciprocus: in qua si saltatio prolixior, erat κόρδαξ: Si præcisior, κομμάτιον, ibi lugebant. Exitus autem chori postremus ἄφοδος & ξυνέξοδος, *discessus* vocabatur. Et carmen quoddam quod exeuntes cantabant, ἐξόδιον. In Synodio vel σασίμῳ Græci geminis concinebant tibiis, in cæteris unicâ tantum.

Partes porrò *Chori* duæ, Ordo & jugum. Et *Chori Tragici*, sunt *juga* quinq; ex tribus, & *ordines* tres ex quinque. Quindecim namq; constituebant chorum. Et juxta tres simul introibant personæ, si *secundum juga* accessus fieret: Sed si *secundum ordines*, quinq; ingrediebantur. Verùm apud veteres in *choro Tragico* quinquageni erant, usq; ad Æschyli fabulam, quam dedit Eumenides; turba enim ad harum multitudinem obstupefacta, lege ad quindenos est reductus numerus: ita ut essent paria, id est ζυγὰ vel juga quina, ex ternis versibus; unde qui cantum incipiebat, κορυφαῖος, proximus παραστάτης, tertius τριτοστάτης nuncupabatur. *Laërtius* autor est: eum qui cantum inciperet, altiore sono vocis usum: quo cæteri medioeri exciperent tono, atq; subsequerentur.

Comici porro *chori* personæ erant viginti quatuor, *juga* sex, quæ singula ex quatuor constabant. *Ordines* verò erant quatuor, quilibet sex viros continens. Carminum verò in choro decantatorum apud Comicos unum est παράβασις transgressio, cum ea, quæ Poëta ad theatrum loqui instituit, chorus præteriens eadem dicit. Hujus παραβάσεως vel transgressionis partes erant septem. *Prima* κομμάτιον, quæ erat brevioris partis constitutio, unde & nomen à præcisione vel incisione. *Altera* pars dicta *Anapastica*, quia plerumq; in *Anapasto* metro consisteret: postea suppositis etiam aliis pedibus nihilosecius nomen retinuit. Hanc quidem & παράβασιν dicunt, postquam μακρὸν brevis quædam est cantiuncula, uno absq; respiratione impetu decantata. Post hanc erat *Strophe* interius præcantata à choro ad spectatores converso, motuq; in dextram partem flexo. Cui *Antistrophos* respondebat, ubi cho-

rus

rus in latus siniſtrum movebatur, & totidem numeris priora veſtigia paribus temporibus relegebant. Qua reverſione ſubterlabentium adverſum *motum Planetarum* referri profitebantur. Dicitur & ἀντῳδὴ, à cantu cantui reſpondente. Huic *Epirrhema* ſuccedebat vel *Epodos*; quo in ſtatu diverſa à ſuperioribus accinentes, ſtantesq; terræ quietem repræſentabant: cui *antepirrhema* reſpondebat, quam ultimam transgreſsionis partem ſedecim, non amplius, verſibus conſtare, lex fuit.

Semichorus, ἡμιχόρειον; *Chori diviſio* διχορία; *alterna chori reſponſio* ἀντιχορία: hæc tria hoc eſſe videntur, ut choro in duas partes diviſo hæc ipſa res ſit διχορία, utraque verò pars ſemichorus, ſed quæ alternis cantant, ἀντιχορία vocentur. Præterea in choro *dextræ* partis *præſes* δεξιοςάτης dicebatur: *ſiniſtræ* alæ *dux* ἀριςεροςάτης: *Laterum præſes* λαυροςάτης: qui poſt hunc τριτοςάτης. Anteibat chorum *dux*, inde χοραγὸς dictus.

Choragium χορήγιον, locus ipſe, in quo erat Choragi apparatus. Hæc ex occaſione de choro (quæ ex *Julii Pollucis* lib. 4. c. 15. & *Scalig.* lib. 1. Poët. c. 9. & 11. collegimus) dicta ſufficiant.

Coronidis loco tantum adjiciamus, quæ idem *Scaliger* ſcribit *lib. 3. Poët. c. 97.* Negat (*verba Scaligeri*) Ariſtoteles ἀντιςρόφους habuiſſe Choros tragicos, quia non in narratione ſimplici, ſed in imitatione verſarentur. Itaq; etiam leges illas, quas νόμους dicebamus, ſuſtulit: permiſit cantiones, neq; hanc ob cauſsā harmonias illas duas admiſiſſe, τὴν ὑποδωριςὶ, καὶ τὴν ὑποφρυγιςὶ. Quia, inquit, ejuſmodi harmoniæ nō conſtant cantionū formulis, quæ dicūtur μέλη, quæ potiſsimū pertinēt ad Choros. Sed propterea quòd *Chori* ſint in primis ἠθικοὶ, illam, quæ vocabatur φρυγιςὶ, eis maximè cōpetere. eâ nāq; actiones aptiſsimè repræſentari. Abolet etiam ab uſu chori τὴν ὑποδωριςὶ: quòd hæc magnifica eſſet ac ſtataria; quorum neutrum conveniat Choris. Scenicis igitur negociis aptari hypodorion; quoniam ea interſint Regum atque Heroum: Phrygium decere perſonas humiliores: è quibus chori conſtent. Quæ fuit cauſſa, ut eorum animi demitterentur ad lamentabiles conqueſtiones in canticis, quæ à turbulentis abhorrent.

Cum

Cum igitur Chorus ſit otioſus curator rerum atq; eventorum, quæ in fabulis exciperentur, non ei competebat harmonia πρακτικὴ, qualis hypodorion & hypophrygion.

CAPUT XX.

De uſu Muſices ἀγωνιστικῷ ad certamina & ἀγωνίσματα Muſica; ubi & victorum ἀγωνιστήρια & Antagoniſtarum κολαστήρια vel ſupplicia.

Eſſe quandam *æmulationem honeſtam*, quâ quis ad virtutis ædem ſibi ſternit iter, & ſuperioris inſignia imitari ſatagit ſtudia & conatus, vel quâ inter æquales, & qui pari paſſu ambulant, alter alteri quaſi ſtimulum & calcar addit, ferventiori ingenii niſu labori cuidam incumbere, extra omnem poſitum eſt dubitationis aleam, & hæc ipſa æmulandi ratio verſatur in rebus laude & honore dignis, ut eſt apud *Ariſtotelem* 2. Rhet.

Præter hanc eſt *temeraria* quædam *æmulatio* vel æmula temeritas, quæ vituperii incurrit notam, quâ quis ipſe ignavus & ignarus alium artis alicujus peritum temerè æmulatur, nec artus humeroſq; ſuos librat atq; expendit, onusq; ſibi imprudenti κακοζηλίᾳ excœcatus imponit, cui non eſt ferendo, immemor illius *Apellæi: Ne ſutor ultra crepidam:* Et propterea non rarò magnas ſuæ *temeritatis* dant *pœnas*; quemadmodum de *Nearcho*, Pittaci Tyranni Mytelenenſium filio, de quo hæc recitat *Lucianus* πρὸς τὸν ἀπαίδευτον πολλὰ βιβλία ὠνούμενον: *Orphei*, inquit, *caput unà cum lyra in Hebrum fluvium projectum ad Lesbum pervenit. Leſbii lyram in Apollinis templo ſuſpenderunt. Hanc poſt multum tempus Nearchus, ſacerdote multis pecuniis corrupto, clàm abſtulit, & ſimilem aliam ſubſtituit, ſperans ſe divina quædam carmina, quibus ſylvæ atq; feræ mulcerentur, cantaturum. Verùm cum interdiu ſe in civitate parum tutum eſſe arbitraretur, noctu in ſuburbio inconditè pulſans, canes excivit, qui infelicem citharœdum diſcerpſerunt. Itaq; Orpheum non muſicis modis, ſed mor-*

tis ge-

tis genere imitatus est, nisi quod is à mulieribus, hic à canibus laceratus est. Hæc *Lucianus* dicto loco.

Utriusq; æmulationis in Musicis certaminibus veterum, fida rerum gestarum, conda promaq; historia, nobis porrigit exempla: lubet igitur tenui filo & stilo illa agonismata & certamina Musica percurrere, initium facientes à primis & rudioribus Musices initiis.

Inter majorū auctorū partem convenit, *in Sicilia* inventū carmen *Bucolicum*, appellatumq; βωκολιασμὸν: Propositis verò præmiis certare consuevisse Priscos, non vasis aut bucula, aut capro, sed pane, in quo essent ferarum expressæ imagines: ipsi aut stantes, aut sedentes, aut ducentes gregē, cum pera erant *omnium seminum* referta genere, quod Græci πανσπερμίαν nominant. Habebant etiam vinum in utre caprino: & ad manum baculum pastoralē, quod Latini *pedum*, ab usu consistendi atq; adhærendi, Græci καλάβροπα, & à venatione λαγωβόλον vocant, etiam κορύνη dictum, à clavæ specie, quam præ se fert crassitie capitata. Canebant autem coronati. *Cervorum* quoq; *cornua* proposita illis certaminibus legimus.

Victi *victor* panem, peram, utrem auferebat: atq; ex eo libabat Musis. *Victus* abibat per suburbia ac viculos: neq; enim ei urbē ingredi licebat. Panem quoq; rogare ad vescendum, ex præscripta lege mos fuit: quippe qui suum justo in certamine amisisset. *Victor* urbem abibat Syracusarum: in qua manendi, quoad ejus liberet, jus fuit. Tantum vero aberat ut panem rogando victi conditione uteretur, ut ultrò civium limina tum frugibus, tum vino aspergeret, porriciens libamēta cum cantu hoc:

δέξαι τὰν ἀγαθὰν τύχαν, δέξαι ὑγίειαν,
τὰν φέρομεν παρὰ τῆς θεοῦ τὰν ἐκαλέσσατο τήνα.

Transiit deinde in artem *lusus*, atq; etiam in *quæstum* abiit. Circumire igitur provincias & certare in Italia, qui se βωκολιασταὶς prædicarent, atq; alio nomine λυδιασταὶς. Unde & *Ludionum vox* perpetua mansit Latinitati. Inter quos ea tempestate præstitit *Daphnis*, adeò ut heroum ritu, à pastoribus certatim ejus interitus fuerit celebratus.

Utebantur autem fistula, musico instrumento, ut scribit *Scaliger* lib.1. cap.4.

In *certaminibus convivalibus*, qui carmine illo, quod σκολιὸν dicebatur (de quo cap. 19. de usu Musices in conviviis pluribus dictum) vicissent, *poculo* donabantur, quod à cantu illo ᾠδὸν appellabatur, cum *cæteris in certaminibus* acciperent *Lyrici* juvencā, quam & immolabant, & hircum *Tragici*, taurum *Epiri*, *Bucolici* vel vini vel lactis libatione contenti erant: idque Apollini, Musis, Baccho & Gratiis. Nam præmia à victo auferebant, non ea ab judice donabantur, ut scribit *Scaliger* prolixè lib.1.Poët.c.44.

ATHENIENSES accepimus olim extruxisse ædificium, & indigitasse ᾠδεῖον *Odeum*, quasi cantilenarium dicas: cujus habebat interior descriptio multa sedulia, multasq; columnas, tectum erat subvexū & acclive in unum assurgens fastigium: imaginem ferunt & simulacrum fuisse tabernaculi Regis. Ædificavit illud *Pericles*: qui ingenti studio in id incubuit, ut certamen Musicorum PANATHENÆIS celebraretur, digessitq; & ordinavit id ipse *Agonothetes* & *Athlothetes* creatus, quemadmodum certantes tibiâ & voce vel citharâ canerent, atq; ejusmodi imposterum in odeo exhibita fuerunt certamina Musica, ut legere est apud *Plutarchum* in Pericle.

DION quoq; autor est, *Trajanum* etiam Romæ *Odeum* ejusmodi fabricasse, operâ Apollodori architecti. *Panciroll.* rer.mem.lib.1.f.83.

PAUSANIAS in Achaicis memoriæ prodidit, Herodæ Altici jussu atq; impensis constructum pulcherrimū ᾠδεῖον, defunctū uxoris monumentum. *Scaliger* dict.l. in hoc Odeo Altici theatri Ægyptiorum Regum statuas fuisse, scripsit *Pausanias*.

Extra theatrum quoq; loca dicata Musis *Scaliger* asserit, eodem dicta nomine, *lib.1.Poet, c.21*.

Et cùm *Ludi Pythici* celebrari cœpti essent, antiquissimū omnium fuit certamen, ut *hymni in Apollinem* cum tibiis ad citharā canerentur præmio proposito: Et *primus* quidem omnium psallendo vicit *Chrysosthemis* è Cretâ, cujus pater *Carmanor* Apollinem de cæde Latronis Eubœensis sacrilegi purgasset. Consecutos postea *Philammonem* Chry-

sosthe-

ſoſthemidis ipſius,& Philammonis filiū Thamyrin. Nam *Orpheum* myſteriorum ſcientia & reliquâ vitæ dignitate elatum,tum etiam *Muſæum*,quod Orpheum ſibi,quem æmularetur, propoſuiſſet, negant in Muſicum illud certamen deſcendere voluiſſe, ut ſcribit *Pauſanias* in Phocicis. Id quod *Scaliger* approbat *lib.1 c.23.* qui in illis ludis Græcorum introductos ſcribit tibicines cum citharœdis; item cithariſtas ſine cantu: quorum appellarent πυθικὸν νόμον, ſic *Delphis* ad *ludos Pythios* citharœdi,tibicines & fidicines concurrebant, ut ſcribit *Alex* lib.6. cap 19.

Iisdemq; certaminibus præmia fuiſſe propoſita, ex *Philoſophorum coryphæo*,ſect.31. probl.11. elici poteſt; ubi rationem reddit,quare in ludis veterum, certantibus propoſita fuerint ἀγωνιςήρια vel ἆθλα: *Virtuti* verò *nulla*, vel quòd ſibiipſi præmium ſit, unde *nuda* pingi fuit ſolita, quæq; inſtar *Trianguli*, vultu ſtat ſemper eodem: δεῖ,inquit,τῆς ἀγωνίας τὸ ἆθλον κρεῖττον εἶναι. ἐπεὶ μὲν γὰρ τῶν γυμνικῶν ἀθλημάτων τὸ ἆθλον αἱρετώτερον καὶ βέλτιον τῆς ἀγωνίας. σοφίας δέ τι ἂν ἆθλον βέλτιον γένοιτο; In certaminibus verò olympicis præmium erat corona ex oleaſtro, quod patet ex *Ariſtoph. Pluto:* ὁ ζεὺς δήπου πένεται, &c.

Jupiter ſanè pauper eſt: quod te palam profectò docebo. Nam ſi dives is eſſet, quo pacto faciens is certamina Olympi, illic, quo Græcos omnes quinto quoquo anno coëgit, per Præconem pronuntiaret athletas victores, ubi coronaſſet oleaſtri corona? nam magis auro decuit, ſi dives is eſſet. Cumque Olympiade XLIIX. *tibicines* & *citharœdi* & *avlœdi* recepti eſſent, reportavit palmam de tibicinibus *Sacadas Argivus*,de citharœdis *Cephalo* Lampi filius,de Avlœdis *Echembrolus* Areas,ut ſcribit *Nat. Comes* lib.5. cap.1. *Sacadas* verò poſtea binis Pythicis ludis præmium meruit, teſte *Pauſania* in Phocicis. Alterâ verò *Pythiade*, quod olympiade 48. accidit, ut *coronarium* duntaxat certamen, ſubmotis præmiis, relinqueretur, cum primum pecunia eſſet præmium victorum. Hujus 48.Olympiadis anno tertio *Amphictiones* demum certamina Muſica inſtituerunt: *cantus ad citharam*, ut pridem, cantus etiam ad tibiam: *Pauſanias.* Octavâ *Pythiade* lege ludorum comprehenſi, qui *aſ-*

sis fidibus canerent & certarent, quâ coronatus fuit *Agelaus Tegeates*, ut est apud *Nat.Com.*lib.5. cap.2.

Laureâ autem *victores* donabantur corona, ut ex Epiniciis Pindari videre est, quæ corona propria illorum ludorum existimata est, idque cùm ob perpetuum victorem, tùm quia *laurus* credebatur *Apollini grata*, ob Ladonis filiam *Daphnen* in laurum conversam: δάφνη namq; est Laurus. Vide *Ovidium* 1. Metam. *Nat.Com.* lib.4. cap.10.

Alii tamen censent, multò ante instituta fuisse *Pythia*, quàm Daphne ab Apolline sit amata, & primis Pythiorum temporibus non erat adhuc inventa laurus. Antequam igitur inveniretur, vel ex palma, vel ex œsculo coronæ victoribus dabantur. Alii *poma* quædam Deo consecrata, victoribus donari solita, dixerunt, ut scripsit *Ister* in lib. de coronis.

Quemadmodum & veteribus Principibus usitatum fuit, convocatis hinc inde *doctis Poëtis*, Musicis propositis præmiis, instituere musica certamina. Ad illam consuetudinem videtur alludere *Theognis* sic canens:

εἴθ' εἴη σ' ἀκάδημε ἐφήμερον ὕμνον ἀείδειν: &c.

Utinam posses Academe amabilem hymnum canere. Præmium verò in medio puer pulchram coronam haberet.

Libet jam *singularia quædam certamina* annectere *Musicorum*, ubi agmen mihi ducat NERO Imperator, qui fidibus delectatus fuit ad insaniam usque; & in theatris Musicâ certavit inter citharœdos, Cajo Telesino & Suetonio Paulino Coss. eiq; victori magno applausu corona imposita est, ut autor est *Xiphilinus* in Nerone. Quàm trepidè verò anxieq; certaverit, quantâ adversariorum æmulatione, vix credi potest. *Adversarios* quasi planè ejusdem conditionis observare, captare, infamare, secretò nonnunquã, ex occursu maledictis incessere. *Iudices* autem, priusquã inciperet, reverẽtissimè alloquebatur, omnia se facienda fecisse, sed eventum esse in manibus Fortunæ, illos ut sapientes & doctos viros fortuita debere excludere, & quę alia scribuntur.

In certamine ita legi obediebat, ut nunquam exſcreare auſus, ſudorem quoq; frontis brachio detergeret. Quin & in *Græciam* cantandi ſtudio navigavit, omnibusq; ejus gentis ſpectaculis, cantu & certaminibus citharisticis ſeſe adjungens interfuit.

Idem NERO reverſus *è Græcia Neapolim*, quod in ea primùm artem Muſicis protulerat, albis equis introiit, disjectâ parte muri, ut mos hieronicarum eſt. Neapoli enim primùm citharœdi habitu prodiiſſe Neronem, memorat *Suetonius*: ac nè concuſſo quidem repentè motu terræ theatro, ante cantare deſtitit, quàm inchoatum abſolveret *νόμον*. Et *Romam* eo curru, quo Auguſtus triumphaverat, venit, & in veſte purpureâ, diſtinctaq; ſtellis aureis chlamyde, coronamq; capite gerens Olympicam, dextra manu Pythiam, præeunte pompâ cæterorum: cum titulis, ubi & quo cantionum, quovè fabularum argumento viciſſet. Statuasq; ſuas citharœdico habitu poſuit. *Suetonius*. Et civitates Achaiæ omnes citharœdorum coronas, in Muſicis agonibus partas, ad Neronem miſerunt. Quinquennale etiam ludicrum primus, ad morem Græci certaminis, è *Græcia Romam* traduxit: *Joviq;* Capitolino dicavit: in quo tàm verſu quàm proſâ oratione, Græce Latineque, tùm Muſica per Citharœdos & cithaniſtas, tùm Gymnicis ludis certabatur, ut ſcriptum reliquit *Alex.* lib. 6. c. 19.

DOMITIANUS quoq; Imperator inſtituit quinquennale certamen Capitolino Jovi, idq; *triplex: Muſicum, Equeſtre, Gymnicum*, ut annotant *Dion* & *Suetonius*.

EUNOMIUS quoq; Locrenſis Citharædus cum Ariſtone Rhegino Muſico in ludis Pythicis in aream deſcendit. In hoc certamine ferunt Ariſtonem invocaſſe Apollinem Delphicum, ut ſibi canenti foret auxilio, quòd à Delphis Rheginenſes olim eſſent profecti: Eunomium autem reſpondiſſe, Rheginenſibus ne certandum quidem omninò de Muſica, apud quos Cicada vocaliſsimum animal voce careret. Cum autem utrisq; certantibus, Eunomio chorda una fracta defeciſſet, *Cicada* ſupervolans aſtitit, & ſupplementa vocis fecit, atq; ita victor eſt declaratus, ut ſcriptum reliquit *Strabo* lib. 6.

HIPPARCHION & RUFFINUS, præcipui apud Græcos citharœdi, quum ſolennibus ludis, qui decimo quoquo anno apud Juliopolitas agebantur, inter ſe certaturi eſſent, theatri tumultu commotus Hipparchion obticuit: Unde proverbio occaſio data, *mutus Hipparchion*, de illis, qui repentè ſilent, à quibus tamen grande aliquid exſpectatur, ut notat *Eraſmus* in chiliadib.

STRATONICUS citharœdus, cum adverſarios Sycione ſuperaſſet, trophæum Æſculapio poſuit, inſcribens: *Stratonicus ex malè citharam pulſantibus*, ut ſcribit *Athenæus*, lib. 8. c. 7.

ARISTONUS citharœdus, cum ſexies viciſſet Pythia, ut Lyſandri Lacedæmonis gratiam iniret, pollicitus eſt, cum denuò victoriam habere contingeret, præconis voce pronunciaturum Ariſtonum Lyſandri ſervum victorem fuiſſe; apud *Plutarchum* in Lyſandro.

ELEATHEREN quoq; narrant, Pythicam palmam vocis cauſſa reportaſſe, cùm alioqui cantilenam non ſuam decantaſſet: *Heſiodum* verò *repulſam* tuliſſe, quòd carmina ſua ad lyram canere non didiciſſet; teſte *Pauſania* in Phocicis.

NICOSTRATUS & LAODOCUS Citharœdi, cum inter ſe concertarent, dixit Nicoſtratus, Laodocum eſſe *in magna arte parvum*, ſe autem *in parva arte magnum*; ſatiusq; ſibi eſſe non domum divitiis, ſed artem ſtudio & diligentia augere; ut prodidit *Ælianus* lib. 4. de var. hiſt.

Eodem modo, ſed infelici planè, ut fingunt, eventu, MARSYAS APOLLINEM in certamen Muſices provocare non dubitavit, & eâ quidem lege, ut victo victor, quodcunq; libuiſſet, imperaret; *Pauſania* atteſtante in Phocicis. In illo certamine cum *Apollo* citharam pulſaſſet, mox ore canebat: At *Marſyas* tibiis inflandis tantum erat peritus, quare etiam victus pœnas dedit ſuæ temeritatis.

Alij his addunt, quòd *Nyſæi Judices* ſint electi. Nam primùm tibiis ita eſt uſus *Marſyas*, ut auditus ſtupore repleretur, appareretque ob ſuavitatem longè præſtare adverſario. Cum verò judicibus ſimul artem oſtentare decreviſſent, ajunt, *Apollinem* rurſum ad citharam cantum accommodaſſe, quare vicit tibias repetitas. At *Marſyas* nitebatur docere judices, quòd præter omnem æquitatem vinceretur: quòd artis & non vocis comparationem fieri oporteret, ad quam cithara & tibiæ

eſſent

essent referendæ,non autem res duas cum una debere conferri. *Apollo* respondit,quod nihil plus æquo obtineret,quia Marsyas,quòd sibi conveniret,fecisset,cum tibias inflasset:oportere igitur hanc legem utrisq; imponi,ut vel ambo vel nemo ore uteretur, sed solis digitis proprium usum ostenderet. Illud certamen commissum fuit non procul à Celænis,vel Apamna civitate juxta lacum. Victus igitur ab Apolline *Marsyas*,de pinu,arbore propinqua,*suspensus*,*excoriatus* fuit.Pænituit tamen celeriter *Apollinem* tãtæ acerbitatis,quare *chordas Citharæ* infregit, quas cùm *Musæ* invenissent, *Mesen* addiderunt, *Linus Lichanon*,*Orpheus hypaten*,*Thamyris parhypaten*, ut est apud *Natal.Com.*lib.6.Mythol.c.15.

Simili fide Poëtæ tradunt,SIRENAS aliquando *Musas* in certamen cantus *provocasse*, Junonis suasu: verùm hæc temeritas illis malè cessit. Cùm namq; prius alatæ essent Sirenes, Musæ alas victis evulserunt, coronasq; ex illis factas capitibus imposuerunt: quod factũ memorat *Crobylus* lib.1.in Creta juxta civitatem illa de caussa *Apteram* dictam. Hoc nomine postea *alatis capitibus Musæ* putabantur fuisse, præter unam, quæ illarum erat mater,ut recitat *Nat. Com.* lib. 7. c.13.

Ex *Nicandro* item *lib.4. Alteratorum* accepimus,*novem* FILIAS PIERI (qui eo tempore regnavit in Emathia,quo Jupiter cum Mnemosyne in Pieria Musas genuit)chorum suum *Musis opposuisse* certamenq; Musicum in Helicone fuisse commissum. Quando autem filiæ Pieri canebant, omnia caligine obscurabantur, nihilq; ad choréam obtemperabat. At Musarum cantu sistebatur cœlum,astra,mare, flumina,& Helicon voluptate delinitus,ad cœlum usq; crescebat: donec eum consilio Neptuni Pegasus inhibuit,verticem pede percutiens. Quia verò certamen inierãt cũ deabus,Musæ eas in aves transformarunt numero novẽ.

De THAMYRA à Poëtis,quibus quicquid fingendi semper fuit æqua potestas, hæc accepimus, illum carmen adeò sonorum & concinnum composuisse, ut ab ipsis Musis compositum videretur, proptereaque Musas elato animo convitiis affecisse, inq; certaminis arenam provocasse, verùm cum ipsius vitæ dispendio. Cum namque in Messenia ex Oechalia civitate Dorium versus proficisceretur, *Musas obvias* habuit,& cum iis pactus est, si vicisset,se velle cum omnibus congredi:sin

victus fuisset, illarum arbitratu se pœnas subiturum (ut scripsit *Myrleanus Asclepiades*) & statim *victus, oculis captus est*, & *canendi scientia privatus*: ut ex *Homero* Iliad. β.. refert *Natal. Com.* lib. 6. c. 14.

Quemadmodum & *Linus*, Amphimari Neptuni & Uraniæ filius, cum de Musices gloria certaret cum *Apolline*, ab eodem *occisus* est, ut scribit *Pausanias* in Bœoticis. Aurea sanè *Hesiodi* sententia, quam si observassent, facilè hoc malum evitare potuissent, quando canit:

Ἄφρων δ' ὅσκ' ἐθέλει πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν,
Νίκης δὲ στέρεται, πρός τ' αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει.

Id est:

Stultus est, qui voluerit cum potentioribus contendere;
Victoria enim privatur, & præter pudorem dolores patitur.

Muß den Spott zum Schaden haben.

CAPUT XXI.

De usu Musices θρηνητικῷ in funerum & exequiarum deductionibus.

EST certè omnium consensu *Musica* omnium miseriarum & dolorum efficacissimum solamen, saluberrimum Nepenthes, & præsentissima Panacéa, qua ceu emplastro & malagmate quodam tristitiæ vulnera obligantur & leniuntur, molestiarum gravitas minuitur atq; abigitur: adeò ut non absq; ratione *Nutrix illa apud Euripidem Medea* hominibus illis succensere videatur, quòd harmonicos concentus læto fortunæ cursu adhibuerint, hymnosq; tantùm *in conviviis* cecinerint: nullus verò Musicam ostenderit, quæ tristitiam abigat & repellat. Quare ex illius nutricis sententia, in luctu potius quàm re læta adhibenda esset Musica: quia convivia satis ipsa per se læta sunt, *in luctu* autem quærendum aliquid, quo minuatur dolor, quod ipsum annotavit *Muretus* lib. 6. var.

lect. c. 16. Subjicere libet *Euripidis* verba ex Græco in Latinum traducta: ubi nutrix illa sic loqui introducitur:

(Καιούς δὲ λέγων, κ' οὐδὲν τι σοφούς &c.

Id est:

Ineptos si dixeris, nec ulla ex parte prudentes;
Majores homines, non errares.
Quod quidam Hymnos ad celebritatem
Et ad compotationes & circa epulas
Invenerunt, vitæ jucunda oblectamina.
Stygias verò mortalium nullus tristitias
Invenit Musicâ & multichordis
Canticis sedare, ex quibus mortes
Gravesq; fortunæ subvertunt domos.
Atqui has quidem utilitas mederi
Canticis mortales. Ubi verò lauta
Convivia, quid frustrà intendunt vocem?
Præsens enim habet oblectationem à sese
Convivii frequentia hominibus.

Hac absque dubio causâ moti veteres, cantus & instrumenta musica in exequiis peragendis adhibuerunt. Quemadmodum *de Trausis*, gente Thracibus finitimâ, *Herodotus* scribit *in Terpsichore: Edito*, inquit, *infante, cum ploratu* commemorant, quantum calamitatum illi perferendum sit vitam ingresso, contrà *defunctum* hominem *cum lusu laticiaq;* efferunt, recensentes quàm multis malis subductus sit: ut eleganter & prolixè hac de re scribit *Erasmus* in adag. *Optimum non nasci. De Getis* quoq; refert *Pompon. Mela* lib. 2. de situ orbis, quod arbitrati fuerint, longè melius esse mori, quàm vivere. Proinde *puerperia* lugebant, *funera* autem & lusu & festo cantu celebrabant. Hoc etiam *Causianis* attribuitur.

Et *mortuos* olim *ad tubam ferri solitos* indicat *Maro* in Æneid.

It cœlo clamorq; virûm, clangorq; tubarum.

Et *Persius*:

Hic tuba, candela, tandemq́ beatulus alto
Compositus lecto.

Romæ quoque nobiles & fortunati homines efferebantur cum tuba, quod *Propertius* innuit:

Nec mea tunc longâ spacietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei.

Præterea tibiæ quoq; ac tympana adjungebantur, & ea omnia, inquit *Polydor.* lib.6.de Invent.c.10.ut hominum, mortuos lugentium, animi languentes, ejusmodi sono excitati, minus dolorem sentirent, qui ijs oblectamentis facilè distrahi soleant. Illas *tibias funerales* & dextras appellarunt. *Pratinas Phliasius* vocat γηνιδόνα:

Habebant itaq; *Romani* suos Tibicines, qui post ultimam conclamationem præcedentes funus, nœniam funebrem, quâ laudes defuncti & facta recensebant, pudorem, integritatem, fidem, canebant, non saltabundi, ut olim, sed stantes Phrygio modulo. Is enim modus erat accommodatior.

Siticines apud Romanos erant, qui apud *sitos*, hoc est, *vitâ functos & sepultos*, canerent tubâ diversâ à cæteris tibicinibus. Alij *sicinistas* vocant. *Gellius* lib.20.c.2. Græcis τυμβαῦλαι dicuntur.

Galen. βομβώδεις, δ' εἰσὶν ἔπεροι, τοῖς ἐξευρυτάτων αὐλῶν ἐοικότες ὁποίους ἔχουσιν οἱ τυμβαῦλαι καλούμενοι.

Nonius etiam scribit *Siticines* dici, qui apud funeratos & sepultos, hoc est, jam sitos, canere soliti erant, honoris causa, cantus lamentabiles. Iidem Romani *Præficas*, quæ luctui pręficerentur, precio conducere solebant, quæ cantu & funebri carmine lamentarentur, summasque defuncti virtutes non sine miseratione decantarent. Hunc lugubrem cantum *Næniam* vocarunt, quam Phrygum ajunt inventum. *Næniæ* quoque Deæ sacellum ędificarunt ab urbe semotum extra portam viminalem, quod cantu querulo funeribus præesset, ut autor est *Alex. ab Alexand.* lib.2.c.4.

Nænia carmen erat lugubre, quod in laudem mortui ad tibiam canebatur à præfica sola, cæteris flentibus: cujus inventorem *Horatius* Simonidem Poëtam fuisse significat.

Olyphyrmum quoq; numerant inter Poëmata, quæ à lugentibus, aut aliâ quâ fortunâ mœstis canerentur.

Distinguit verò *Scaliger lib.1. Poët.* inter *Nænias, Epitaphia,* & *Epicedia.* Quæ ad rogum dicerentur, inquit, erant *Næniæ*: quæ ad tumulũ, *Epitaphia*· quæ in exsequijs, cum justa persolverentur, *Epicedia.*

Quidam *Linum* Poëtam primum *Threnos* fecisse narrant. Alij verò eum Herculi succensentem, quòd esset ineptior ad discendum, ab irato ingrato discipulo interemptum affirmant, ab reliquisq; discipulis defletum carmine, quod ab ejus nomine & nota ejulationis αἴ, *Ælinum* appellarunt.

Monodia quoq; dictus cantus lugubris, usu potius, inquit *Scaliger*, quàm ratione. In Monodijs solum affectum posuêre, ἠθοποιΐαν verò nullam prosopœiam nullam. *lib.3. Poët. c.122. Monodiam à Threno* distinguit. Fuit enim *Monodia*, quoties è Choro prodibat unus, qui defuncti memoriam lugubri carmine celebraret. Ad tibiam fiebat id Lydiis modis.

Elegiam quoq; in funeribus primùm dictam par est, id quod videre est apud *Ovidium* in funere Tibulli.

Theoclen quendam, sive Naxius ille, sive Eretriensis fuerit, furentem tradunt effudisse primum *Elegos.*

Neutiquam porrò εὐλεγίας dicimus, παρὰ τὸ εὐλέγειν τοὺς τεθνεῶτας, ut autumant Grammatici: sed à miseratione, quasi ἐλεὸν λέγειν. Iccirco Elegos *Horatius* vocavit miserabiles. Ἐλεός quoq; est nocturna avis apud *Aristotelem*, quam nos ululam dicimus.

Simplicius etymon, ἒ ἒ λέγειν. idem enim quod αἶ αἶ in Ælino, nam utraq; interjectio frequens omnibus Tragicis.

Didymus Elegiam definivit θρῆνον ᾀδόμενον πρὸς αὐλον. Est enim tibia lugubre instrumentum. Quare *ex ludis Pythicis repudiata* fuit tota *ars auledorum*, quia injucundum quiddam præ se ferret, cum elegi funebresque cantiones tibijs convenirent. *Scaliger* lib.1. Poët. cap.23.

Translatus poſtea *Elegorum uſus* ad longè diverſiſſima: ſcilicet *ad amores*, non tamen ſine ratione. Nam & frequens conqueſtio in amoribus & veriſſima mors, quæ à nobis amentiſſimis amentiſſimo atque ingratiſſimo vivitur ſexui, ut loquitur *Scaliger* lib. 1. Poët: cap. 50.

Magna verò fuit *apud antiquorum funera tibicinum frequentia*, unde etiam factum, quòd cum infinito ferè Tibicinum numero funera gravarentur, nec parum inſumeretur pecuniæ, *decemviri plures in funere Tibicines, quàm decem prohibuerint.* Nam ſi *Tullio* fides habenda, voluerunt decemviri, ut mortui tribus riciniis & vinculis purpuræ, decemq; tibicinibus efferrentur. Quo reſpexiſſe videtur *Ovidius* 6. *Faſtorum*:

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mæſtis tibia funeribus.
Adde quod Ædiliis, pompâ qui funeris irent,
Artifices ſolos juſſerat eſſe decem.

Atq; is quidem Tibicines iccircò adhibebantur, ut ad funebres eorum tibias (quas flamini audire nefas erat) *nænia*, mortui hominis laudandi cauſa, canerentur, autore *Feſto*.

Præficis peculiare fuiſſe *carmen*, commune omnibus funeribus; quod privatum facerent, mutatis nominibus defunctorum & familiarum, *Scaliger* docet *lib. 1. Poët. c. 55.*

JUSTINIANUS verò muliebrem Leſſum in funere, convertit in cantum, & præficarum loco *Pſaltrias* ſubſtituit. *In Novella 59.* enim meminit mulierum feretrum præcedentium & pſallentium. *Henr. Salmuth* in Guid. *Panciroll.* lib. 1. tit. de exſeq. mortuorum, f. 728. & ſeqq.

Alexandriæ obolis conducuntur, qui mortuos fleant: quod munus ſollicitè adeò ac plenè præſtant, ut ad eos pertinere funus putes. Ii igitur abire vocantur *threnodi*. *Cælius* lib. 17. c. 21.

Homerus Iliad. *ω.* in funere Hectoris luctuoſæ facit mentionem Muſicæ his verſibus:

——————————— παρὰ δ' εἷσαν, ἀοιδοὺς
θρήνων ἐξάρχους, οἱ δὲ στονόεσαν ἀοιδὴν

οἱ μὲν ἄρ' ἐθρήνεον. Id eſt, *juxtaq́ collocarunt cantores; Luctus principes, hi flebile carmen lamentabantur.*

Quemadmodum & *Græcis* in luctu *nenias* decantari ſæpius invenimus, qui *apio coronati*, defuncti laudes recenſere carmine, quod *Ialemon* vocant & res memoratu dignas claro præconio celebrare aſſueverant. Senatoribus verò ac patritiis atq; ſummis ducibus *tubâ*: minoribus & plebeis *exequiali tibia* canebant *tibicines*. Quam tibiam non in funeribus modò, ſed in ſacris, in ludis & conviviis adhibebant: Imperatoribus autem *pluribus tubis* mœſtum clangentibus: quod à caribus & Phænicibus deductum autumant, qui in funebri pompa brevibus tibiis magnitudine palmi, lugubre quiddam & ſtridulum ſonantibus, uti ſoliti fuerunt, ut ſcribit *Alex. ab Alex.* lib. 3. c. 7. Eæ autem tibiæ Phænicum lingua *Gringes* vocantur, quod iis in Adonidis luctu ſoleant uti, Adonidem enim Gringem appellant, ut notat *Eraſmus* in Adag. *ex Athenæo* lib. 4. dipnoſ.

Plato quoq; *lib. 7. de legib.* mentionem facit *carica Muſa*, quam interpretatur θρηνῳδίαν ᾠδὴν, lugubrem cantionem.

Heſychius indicat, ad pompas funebres *conduci* ſolitas *è cariâ fœminas*, carinas dictas, quæ lamentantium perſonam agerent.

Tympana etiam inter alia inſtrumenta olim in *funerum* deductione adhibebantur, ut refert *Aphrod.* in probl.

In *Pythonis funere* tibias inflaſſe & funebre carmen modosq; *Lydios* accinuiſſe fertur *Olympus* teſte *Ariſtoxeno*.

Ex his aliquantum conſtare arbitror, quàm celebris apud antiquorum parentalia fuerit Muſices uſus, quem comprobat, quod *Achillem demortuum* à Muſis deploratum, cumq; *muſicis inſtrumentis* ejus pompam exſequialem ductam fuiſſe, propterea quòd & ipſe citharæ pulſandæ artem addidiciſſet, memorat *Natal Com* lib. 9. c. 12.

Et frequentiſſimum fuiſſe, *næniam atq; cantu lugubres* decantari etiam *in Imperatorum & magnorum ducum funeribus* deducendis, liquidò manifeſtant, quòd *funus Auguſti* Senatus Rom. inter alia complura *triumphali pompâ* ducendum curarit, præcedente victoria, quæ in curia

erat, *canentibus næniam Principum liberis utriusq; sexus*, ut scribit *Suetonius*.

Mortuis ATTILA & BELA Hunnorum Regibus, lectissimi Equites magnifica illorum facta modulato cantu cecinerunt. *Sigon.* lib.13. imp.occid. *Bonfin.* lib.7.dec.1.

In DEMETRII funere, theatrico apparatu peracto, *Xenophanes* quidam ingeniosissimus modulator tàm incredibili suavitate carmen sacrum apud *Plutarchum* cecinisse legitur, ut & remorum pulsus carmini respondentes flebilem efficerent concentum, magna cum sonoritate conjunctum.

Quod de *Trausorum* & *Getarum* consuetudine diximus, hoc *Ludovicus Cortusius*, JCtus Patavinus, suo tempore celeberrimus, in suo testamento posteritati ni fallor, in mentem revocare voluit. Is enim, ut *Bernhardinus Scardeonius* de claris JCtis Patavinis lib.2.refert, moriens, contra communiorem mortalium morem, ex testamento *interdixit* suis propinquis *lachrymas*, & solitas funerum lamentationes *Ennij* summi vatis exemplo, (quî tale sibi conscripsit *Elogium*:

Nemo me lachrumis decoret, neq; funera fletu
Faxit cur? volito vivus per ora virûm.)

& quæcunq; lugubria solent ad mœsticiã parari, abesse prorsus voluit, addita etiam ex legato gravi mulctatione hæredi, si id facere neglexisset. *Contrà* verò pro his *acciri jussit*, Musicos, Cantores, Citharœdos & *Tibicines* omnis generis, qui vario concentu, unà cum Clero funeris pompam partim præirent, partim sequerentur, usq; *ad quinquaginta*, quibus singulis *mercedem* dimidij aurei nummi dandam statuit. Et quod *duodecim puellæ* innuptæ amictæ *viridibus pannis* feretro subirent, usq; ad templum, ubi se sepeliendum mandaverit: quæ omnes pariter de more lætantium, quæcunq; vellent, modulantes alta voce concinerẽt, relictâ singulis certâ pecuniæ quantitate, dotis caussâ &c. Obijt anno salutis M. CCCC. XVIII. 16. Cal. Aug. sepultus *Patavi* in *æde* vetustissima *S. Sophiæ*, ubi ejus Epitaphium videre licet, referente *Camerario* cent.1.operar.succis.c.12.

CAPUT XXII.

Varia Veterum Cantiones.

ATHENÆUS *lib.* 14. *deipnosoph.* recenset aliquot veterum cantionum genera & ὀνομασίας: multæ namque fuêre cantilenæ, aliæ alijs artibus, temporibus, nationibus convenientes.

PISTORES habebant, quam canerent ad molas, ἱμαῖον vocabant: ut est apud *Aristoph.* in Atticis & *Callimachum* in Hecate. *Athen.* ἱμαῖος ἡ ἐπιμύλιος (ᾠδή) καλουμένη, ἣν παρὰ τὰς ἀλέτας ᾖδον. Cantio *Hymæa*, quam & *Epimylion* vocant, cantari solitam ab ijs, qui in pistrino molunt: ab ἱμαλὸς voce fortassis dictam, quæ Doriensibus fuit mensuræ genus: ἱμᾶν quoq; significabat trahere & haurire apud *Athenæum* & *Aristotelē*. Unde quidam *Himæan cantionem* propriam fuisse scribunt aquam haurientibus. *Callimachus* ἀείδει, inquit, καὶ πού τις ἀνὴρ ὑδατηγὸς ἱμαῖον. ἱμαλὶς quoq; significat genium, qui molendinis præerat, estq; inter Cereris cognomina. Eadem ἐπιμύλιος ᾠδὴ dicitur etiam ἐπαντλαῖος & ἐπίνοστος, autore *Hesychio* & sic esset eadē nominis ratio ac τοῦ ἱμαίου. Nam ἱμᾶν est ἀντλεῖν. Manifesta etiā erit ratio, si dicatur ἐπακταῖος, ab ea quæ dicitur Poëtis ἀκτή cerealis seu farina, ut notat *Casaub.* lib. 14. in *Athen.* c. 3.

Ælianus lib. 7. de var. hist. scripsit, Pittacum admodū laudasse μύλην: addidit & rationem, propterea quòd, inquit, parvo in loco diversis esset potestas ad exercitandum.

Laërtius in vita ejus scribit, ipsum ad molas sese exercere solitū nec mirum sordidus enim fuit, & *natura sequitur semina quisq; sua.* Inde etiam *molaris* illa *de Pittaco* extat *cantilena* apud *Plutarchum* in convivio sapientum: Ἄλει μύλα ἄλει. καὶ γὰρ πιττακὸς ἀλεῖ μεγάλας μυτυλήνας βασιλεύων.

Oda illa, quam mulieres, cum pinserent, cantillarent, dicebatur quoq; τὸ πτιστικὸν vel πτισμός. Unde *Phrynichus*: Ego nunc nobis cantabo *Ptisticum* & *Nicophron* in Mechanicis: Verùm nunc accine nobiscum *Ptismum* aliquem.

NAUTARUM quoq; fuit cantio quædam, & ὑγλαρον est μῶλος quoddam musicum & nauticum παρακελευστικὸν in commentarijs Aristophaniorum Acharnensium.

Et *Durus Samius* refert in Alcibiadis navi ab exilio redeuntis Chrysogonum fuiſſe quendam modulatorem, qui tantâ arte remigum manus gubernabat, ut cum illi remorum pulſum cum Chryſogoni cantu conjungerent, jucundam audientibus redderent harmoniam, ut autor eſt *Cælius* lib. 9. antiq. lect. c. 10.

Sic Athenis facilis ac tuta in Delum & navigatio. Unde fiebat ut qui illuc ſolverent, inter navigandum *ſecuri*, nihilq; metuentes *canerent*. Mos autem erat *Athenienſibus*, ut quotannis navim ſolenni apparatu, religionis cauſa, Delum mitterent, quod indicat *Plato*. Hinc conſentaneum eſt, qui hac vectabantur, Hymnos quosdam in Apollinis laudem ſolitos fuiſſe decantare, ut ſcribit *Eraſmus* in Adagiis.

Pauſanias ſcribit, *Pronomum* tibicinem *Chalcidenſibus* Euripi incolis cantilenam præſcripſiſſe, ut eo carmine *Delum* venientes, loci numina ſalutarent.

Ad nautarum, cantiones referendum illud ex ornithogonia, ubi inter alia commendantur nautis *auguria cygnorum*: quòd iis in tempeſtate viſis, nautas hilariter canere & τὸ ἐυφημεῖν ſuaviter inclamare conſtet. Proptereaque, quia ſub mortem ſuaviſſimè canere dicitur,

Cantator cygnus funeris ipſe ſui,

Adſcribendum hoc cenſent periclitantibus nautis, quod illi ſub mortem, quam ob oculos verſari cernunt, cygnis apparentibus dulciùs modulentur, certò perſuaſi, ſe liberatum iri.

Cygnus in auguriis nautis gratiſſimus ales;
Hunc optant ſemper, quia nunquam mergitur undis.

Cruquius in Horatio:

TELAM TEXENTIUM cantilena fuit dicta αἴλινος, cujus meminit *Epicharmus* in Atalantis. *Non* autem *hac confundenda* cum aliorum ſcriptorum *alino*. Nam illi ælino nihil commune cum textoribus, ſed triſtis cujusdam cantionis eſt nomen, ut in verſu intercalari apud *Æſchylum* αἴλινον, αἴλινον εἰπέ. τὸ δ' εὖ νικάτω.

Euſtathius de lino & ælino cantilenis diſputans, ἡ μὲν τοι, ait, ἐξ Ἐπιχάρμου χρῆσις ἐθέλουσα τὴν αἴλινον ὠδὴν τῶν ἱσουργούντων εἶναι, οὐ τὸν Λίνον τὸ κύριον ἐγκεῖσθαι τῷ αἰλίνῳ βούλεται, ἀλλὰ τὸ λίνον. id eſt, Epicharmus vult, αἴλινον

fuiſſe

fuisse cantilenam telam tractantium,& à lino appellativo nomen habere,non à Lino proprio. *Linum* enim scribunt ab Hercule interfectum, & à reliquis discipulis carmine, quod ab ejus nomine nota ejulationis, *Aï*, *Ælinum* appellarunt. *Euripides* verò scribit Linum & Ælinum cantari *οὐ μόνον ἐν πένθεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐπ' εὐτυχεῖ μολπῇ*, non solum in luctu, sed etiam in lœto feliciq; cantu.

Cantilena ad LANIFICIA accini solita dicebatur ἴουλος. *Semus Delius* verò *lib. de Paanibus* scribit, *ordini manipulos* separatos, vocatos fuisse ἀμάλας, collectos & in unum fasciculū colligatos οὔλας & ἰούλας.

Itaq; & *Cereris* fuit *cognomentum*, quæ in segete viridi χλοή, *Chloë*, in matura *Iulò* ἰουλώ dicebatur. Sic ab ijs quæ Ceres invenit, & fruges, & hymnos quibus dea celebrabatur, οὔλας nominabant, δημητρίουλος & καλλίουλος *Cereris cantores*, suis canticis acclamantur, & segetum fertilitatem atq; copiam rogantes, canantesq;,

πλεῖστον οὖλον ἵει,
πλεῖστον οὖλον ἵει.

Plurimos spicarum manipulos mitte.

Appellarunt autē οὔλας quasi ὅλας, *ex pluribus* enim manipulis fiebat *unus* οὖλος, vel à torto vimine, quo constringebantur. Nam οὖλον est συνεστραμμένον πλεῖστον οὖλον οὖλον ἵει, οὖλον ἵει sic emēdat *Casaubonus* in Athen.

De hac cantione ita scribit SCALIGER lib.1.c.4. Poët. *In Messe* Cererem & Liberam plurimùm in ore habebant, quod carminis genus nominabant ἴουλον. *Spicam* enim veteres sic vocabant, ab aceris tenuitate atq; aristularum: quare *lanam* quoq; eadem voce *ob filiorum* frequentiam. Atq; iccircò lanificarum benè ominantium hoc item ipso vocabulo dictas memoriæ prodidêre. Et *lib.1. Poët. cap.55.* annotat, hanc cantilenam communi nomine dici cum messorum cantu.

MESSORUM porrò cantus dictus fuit λυτιέρσης, ut est apud *Theocritum*, cujus hanc ferunt originem. *Lytïerses* Midæ nothus regius celænas habitavit, qui agrorum cultui cùm præter modum studeret, viatores ad convivia invitatos cogere solitus fuit, ut secum essent in opere messorio. Pigriores etiam verberibus affecit, defatigatione

verò laſſos obtruncavit,reſectis deinde atq; rejectis capitibus,tùm inter manipulos conditis cadaveribus cecinit. Unde ductum proverbium, ut qui non ex animo,aut coactus caneret, λυτιέρσαν ᾠδὴν ᾄδειν, *Lytierſam cantionem canere* diceretur. Idem Lytierſes inſtituit,ut in honorem Midæ æſtivus (Thericos) aut *meſſorius hymnus* caneretur. Hunc quidam Herculis manu perijſſe ferunt, quod redargui ait *Scaliger* temporum ſupputatione. Quidam ipſum in meſſe nimio ſtudio captum atq; labore delaſſatum interijſſe. Sed quocunque fato uſus ſit,illud conſtat: Colonos ad Patris ſolatium *lugubrem cantum* condidiſſe,quem poſteri anniverſario cultu ad aras meſſorias celebrarent.

EX JULIO POLLUCE *lib.4.cap.7.* & SCALIGERO *lib.1.Poët.c.4.* accepimus, *Maryandenos*,qui ſunt populi finitimi Bithynis,ſimili more, alia fabula eadem anni tempeſtate *cantionem* habuiſſe nomine *Borcon*, alij ſcribunt Borimon. Hic autem Borimus Upii Regis fuit filius,qui Jollæ quoq; & Maryandeni pater fuit. Hunc ajunt Juvenem in venatione meſſis tempore mortuum: alijs placet,puerum à meſſoribus aquatum miſſum, *correptum à Nymphis* diſparuiſſe,unde νυμφόληπτος vocatur. Id quod veriſimilius eſt: vetuſtiſſima namque tenuit conſuetudo, qua priſcorum Regum liberi armentorum cuſtodijs apponerentur, ſicuti de *Paride atq; Ganymede* ſcriptum eſt. Hic igitur Borimos vel Borcos potius honoratus fuit poſt fata lugubri inter Agriculturam cantione eodem nomine, *Heſych.* duobus locis nominat Bormum,vocatq; βῶρμον, ait, θρῆνον ἐπὶ βόρμου νυμφολήπτου μαριανδηνοῦ.

NYMPHUS lib.1.de Heraclea, de Maryandenis loquens, ait, Apud eos, cantiones itidem nonnullas audire & intelligere eſt,quas patriâ conſuetudine cantantes, hominem priſcum quendam nomine *Borcum*, inclamant,eumq; narrant viri divitis ac illuſtris gnatum,forma & ætatis vigore alios excellentem cum ſuis intentus negotijs, meſſoribus,quòd biberent,dare vellet, ad aquam hauriendam profectum evanuiſſe. Itaq; illum quærere indigenas, cum flebilium verſuum lamentis evocantes, quibus omnes ad hoc uſq; tempus uti perſeverarunt.

Huic

Huic ſimilem facit *Scaliger*, quem Ægyptij *in Adonidis memoriam* vocabant *Adonyma* & *Adoniaſmon* & *Adonima aden*, ſicut ejusdem gentis cantus ille fuit *Maneres* dictus, ab eo, qui ipſius agriculturæ authorextitiſſet: quem etiam Muſarum diſcipulum autumant, inque convivijs canebatur. Hunc primi regis ipſorum filium, præmaturâ morte cum deceſſiſſet, inſtituta ſoli ipſi cantilena publica Ægyptij lamentis decorant, ut ſcribit *Herodotus* lib. 2.

ARISTOXENUS lib. 4. de Muſica referente *Athenæo*, lib. 14. ſcribit, priſcas fœminas ceciniſſe cantionem quandam *Calycen* dictam. *Steſichorus* meminit *Calicæ*, quæ *Evathli* juvenis amore capta, â Venere precatur ejus nuptias: contempta verò à faſtidioſo & renuente juvene, præcipitio ſeſe interemit, id quod circa Leucarum factum eſt. Ejus virginis mores apprimè fuiſſe pudicos Poëta finxit, ut quæ conſuetudinem juvenis non prorſus & quovis modo cuperet, ſed optaret, ſi liceret Evathlio virgo nubere, aut ſi, quod in votis erat, obtinere non poſſet, abire vita.

Idem ſcribit *Harpalycen ab Iphiclo*, quem impotenter amabat, contemptam mœrore contabuiſſe, inſtitutumq; ab eventu illo virginibus cantionis certamen, quam *Harpalycen* nominant.

In *Eoris* de *Erigone* quædam canebatur, quam ἀλῆτιν vocabant.

APOLLINI quædam ſacra cantio *Philelias* dicta eſt, ab intercalaris verſu, qui proprius ei aſmati. ἔξεχε, ἔξεχε ὦ φίλ' ἥλιε.

In Sicilia quotannis *Cereri* Liberam quæritanti, accinebatur poëma, quod *Perſephate* dicebatur. Tale eſt apud *Theocritum* Herculis in Hylæ deſiderio. Fuit & illud in uſu, quod in *Horarum gratiam* concinebatur, authore *Theodorico* Colophonico.

BALNEARIIS item ſuum erat, quemadmodum hodie *dulcianorum* apud Gallos.

Item FULLONIBUS & LIGNATORIBUS apud *Feſtum* lib. 11.

Præficis quoque peculiare fuit cantilenæ genus, ut ſupra *cap. 23.* diximus.

Eorum qui PECUDES DUCEBANT ad pascua cantio fuit *βουκολιασμός*. Id genus cantionis reperit *Diomus Siculus* bubulcus. Quemadmodum & *Scaliger* lib.1. Poët.cap.4. modulationem in pastionibus primùm inventam, quod alibi annotavimus. Ποιμενικὰ illi dicebantur cantus, quibus opiliones sese atq; alios oblectarent. *αἰπόλια* à capellis quasi *αἰγοπόλια*: βουκολικὰ à bobus, quæ & nobilissima habita est. Συβώτια à suibus, quod canerent subulci.

Hujus generis extat Poëma, quod composuit *Friphanis* poëtria, Menalcæ venatoris amore capta: per varios enim sequuta saltus, canens semper atq; sævitiam objiciens: *νόμιον* inscripsit. Ejus paucula illa extant verba: *μακραὶ δρύες ὦ κα μενάλκα*. *Scaliger* lib.5. Poët. cap.5. *Sero* appetente diei, quasi receptui cum canebant, *pastores*, ut è pastu greges evocarent suavissimis numeris.

Ovidius lib.4. Tristium, de varijs cantiunculis sic canit:

Hoc est cur cantet vinctus quoq; compede fossor
Indocili numero cum grave mollit opus.
Cantet & innitens limosus pronus arena
Adverso tardam qui vehit amne ratem.
Quiq; refert pariter lentos ad pectora remos
In numerum pulsâ brachia versat aqua.
Fessus ut incubuit baculo saxoq; resedit,
Pastor arundineo carmine mulcet oves.
Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis,
Fallitur ancilla decipiturq; labor.

IN VINDEMIA cum primùm mustum gustabant, ita canere mòs fuit: *Omnis gratia vetus, Novum vinum bibo, Veteri novo morbo medeor.* Unde & *Meditrina Dea*, cui libarent tunc, & *Meditrinalia sacra*, à medendo. *Scaliger* lib.1. Poët. c.55.

Homerus etiam meminit Musices & saltationis in Vindemia *lib.σ. Iliad.* his versibus:

τοῖσιν δ' ἐν μέσσοισι πάϊς φόρμιγγι λιγείῃ &c.

Id est:

Hos

Hos inter medios puer citharâ sonorâ suaviter citharizabat: chorda autem bellè resonabat tenellâ voce: hi autem pulsantes terram simul cantuq; sibiloq; pedibus tripudiantes sequebantur.

ADMETI NAENIA dicebatur tristis & lugubris cantilena, quod defunctâ *uxore Admeti,* quæ vitam mariti suâ cariorem habuit stridulæ quædam & lugubres cantilenæ decantarentur assiduè apud Admetum, donec mota Proserpina remisit uxorem Alcestiden, ut fabulantur. Meminit hujus *Euripides* in Alcestide. Et *Aristophanes* in Vespis:

ᾄδει κλέωνος λαβόμενος τῆς δεξιᾶς
Ἀδμήτου λόγον.

Canit Cleonis apprehensa dextra
Verbum Admeti.

Interpres citat hos versiculos ex fabula Ciconijs:

ὁ μὲν ᾖδεν Ἀδμήτου λόγον πρὸς μυῤῥίνην
ὁ δ᾽ αὐτὸν ἠνάγκαζεν ἁρμοδίου μέλος.

Id est:

Atq; is quidem canebat Admeti modos, Ad myrtum, at alter adegit Harmodij melos ut caneret.

Apud Spartanos, brumæ tempore cœlibes ex Magistratuum edicto cogebantur forum vestibus spoliati obire, *cantilenam* in se compositam concinentes, meritò nimirum ita puniri se, quòd non parerent legibus, teste *Plutarcho* in Lycurgo.

Huc referre libet, quod *Athenaus de choro Syrbenaorum* scriptum reliquit, in quo singulos oportebat canere, *quicquid visum fuisset & in buccam venisset,* nihil attendentes aut auscultantes, quicquid cantet vel assidens proximè vel chori ductor ac præcentor, sæpius ipse, quàm cæteri tumultuosior ac magis incompositus.

NUTRICIAS CANTILENAS *Jovianus* vocavit *Nænias:* propterea, quòd vulgus in Italia *Nutrices Nænas* dicunt: ut opinor, à cantiunculis, quæ sunt similes cantibns præficarum. At veterés Nutri-

cum cantiunculas *καταβαυκιλήσεις* nominarunt. *Baucis* enim nomen in re futili; ut notat *Scaliger* lib.1. Poët.c.30.

Ex his perſpicimus, datam ſcilicet eſſe Muſicam, tanquam lac animæ, & gratiſſimum ſolicitudinis lenimentum, & laborum ſolatium atq; remedium, ad inducendam humanarum calamitatum oblivionem, quibus vita hæc noſtra undiq; ſepta deprehenditur, cùm & ipſi agricolæ rudes & calloſi, æſtivo ſole, intolerabiles alioquin labores, ſylveſtri Muſa & cantu attenuent: & ruſtica anus, quæ vel antelucanis horis nere aut lanam ducere nunquam ceſſat, cantando omnia leviora facit: ut paulò ante ex *Ovidio* adduximus. Immò poſt imbres & turbulentiſſimas tempeſtates Muſica fluctuantibus Nautis portus, ipſis infantibus à natura inſita, quorum vagitum ad nutricum cantum ſedari certũ eſt, quæ ſunt verba *Henrici Salmuth*, in lib.1. Pancirolli de reb. memorab. tit. de Muſica.

Syntag-

SYNTAGMATIS MUSICI TOMI PRIMI PARTIS SECUNDÆ, MEMBRUM POSTERIUS.

De MUSICA VETERUM ORGANICA ET INSTRUMENTIS MUSICIS.

CAPUT I.

PROOEMIUM.

De Musis, & Apolline, omnis harmonici concentus autoribus & præsidibus, deq; earum numero.

MUSÆ antiquis omnium Poëtarum, Cantorum & cantilenarum autores putabantur, cui Musarum choro APOLLINEM adjunxerunt, quem propterea μουσηγέτην, quasi ducem & principem Musarum, vocari asserit *Ioh. Pier.* lib. 47. Hieroglyph. Quemadmodum *Plinius* lib. 37. cap. 1. in Gemma illa (Italis Agata, Latinis Achates dicitur) Pyrrhi Epirotarum Regis, hujus rei imaginem nobis suggerit. Gemmæ enim isti vena

inerat, quæ Apollinem in medio novem Musarum choro cum insignibus suis, citharâ canentem, repræsentabat.

Has Musas quidam *Recentiores* Jovis ex Mnemosyne dixerunt filias, quia eruditionis omnisq; scientiæ promptuaria quædam cella sit Mneme, vel memoria, à qua Mnemosyne originē ducit. *Alÿ* Memmonis & Thespiæ filias putarunt, unde apud Thespienses fuêre Musarum ludi, qui *Musea* dicti sunt: in quibus proponebantur cantilenarum & harmoniæ præmia victoribus, ut scribit *Natal. Com.* Mythol. lib.7.c.15. Nutricem habuerunt Euphemem, ut memoriæ reliquit *Euphranor* lib. de Tibicinibus.

Easdem non modò Musices musicorumq; Instrumentorum, verùm variarum etiam disciplinarum inventrices scripsit, &, quid quæque invenerit, patefecit versibus Græcis *Callimachus* in quodam epigrammate, quorum Latina translatio hæc est;

CALLIOPE *reperit sapientes provida cantus*
Heroum: CLIO *citharam clarißima: vocem*
Mimorum EUTERPE *tragicis lætata querelis.*
MELPOMENE *dulcem mortalibus attulit ipsa*
Barbiton. at suavis tibi tradita tibia fertur
TERPSICHORE. *Divumq;* ERATO *mox protulit hymnos.*
Harmoniam cunctisq; POLYMNIA *cantibus addit.*
Uranie cœli motus atq; astra notavit.
Comica vita tibi est, moresq; THALIA *reperti.*

Alÿ Musarum studiorum varietatem his expresserunt versibus:

CLIO *gesta canens transactis tempora reddit.*
MELPOMENE *tragico proclamat mœsta boatu.*
Comica lascivo gaudet sermone THALIA.
Dulciloquis calamos EUTERPE *flatibus urget.*
TERPSICHORE *affectus citharis movet, imperat, auget.*
Plectra gerens ERATO *saltat pede, carmine, vultu.*
Carmina CALLIOPE *libris heroica mandat.*
URANIE *cœli motus scrutatus & astra.*

Signat cuncta manu, loquiturq́ue POLYMNIA *gestu.*
Mentis Apollineæ vis has movet undiq́ue Musas:
In medio residens complectitur omnia PHOEBUS.

Demetrius verò *Byzantius* lib.3. poëmatis, non Musis, sed ipsi APOLLINI musicarum rerum inventionem attribuit: ipsumq; & tibiam & citharam & fidium cantus invenisse, tradit. Cujus rei fidem facit quod *Pausanias*, inter *Apollinis sacrificia* hymnos cum tibiarum sono decantari fuisse solitos scripsit. Et ejusdem *Apollinis* in Delo *signum* fuit, hoc habitu, ut dextrâ arcum, sinistrâ Gratias teneret, & Gratiarum alia tibias, alia lyram, alia fistulam ori Apollinis admoveret. Hinc propter Musicæ inventionem *Athenienses Apollini cicadas*, canorum omninò animalis genus *consecrarunt*, quod ex his *Aristophanis* enarratoris verbis ex Græco in Latinum translatis liquet: Antiquissimi Atheniensium aureas cicadas capillis implicitas gestabant, quoniam cùm musicæ sint cicadæ, sacratæ sunt Apollini: qui patrius Deus est illius civitatis. *Natal. Com* Mythol.lib.4.cap.10.

Platonici Musarum nomine harmonicos *cælestium motuum interpretantur concentus*, & à Jove, mundi totius spiritu & mente, cœlestes moveri sphæras, unde Musici cantus Musarum nomine significati coориantur, quia ubiq; vigeat Jupiter, & cœlum, velut citharam quandam, verset, harmonicosq; proliciat cantus. Unde *Marsilius Ficinus* in Jonem Platonis hæc annotat: *Jupiter*, inquit, *mens Dei est, ab hoc Apollo, mens animæ mundi, & anima totius mundi, octoq́ue spharærum cælestium animæ · quæ novem animæ, novem Musæ vocantur, quia dum cælos harmonicè movent, musicam pariunt melodiam: quæ in novem distributa sonos, octo scilicet spharærum tonos, & unum omnium concentum, novem Sirenes Deo canentes producit. Quamobrem ab Jove Apollo, & Musæ ab Apolline, id est, mente animæ mundi, chorus Musarum ducitur: quia mens illa sicut ab Iove illustratur, sic & animas mundi spharærumq́ue illustrat.* Et post pauca. CALLIOPE, ait, *Musa vox est ex omnibus resultans spharærum vocibus.* URANIA, *cæli stelliferi, per dignitatem sic dicta.* POLYMNIA *Saturni propter memoriam rerum antiquarum, quàm Saturnus exhibet, &*

siccam frigidamq́; complexionem. TERPSICHORE *Iupiter: salutifer enim choro hominum.* CLIO *Martis, propter gloriæ cupiditatem.* MELPOMENE *Solis, quia totius mundi temperatio est.* ERATO *Veneris, propter amorem.* EUTERPE *Mercurij, propter honestam in gravibus rebus delectationem.* THALIA *Lunæ, propter viriditatem ejus, humore rebus exhibitam.* APOLLO *item Solis est anima: lyra ejus Solis corpus: nervi quatuor: motus ejus quatuor, annulus, menstruus, diurnus, obliquus: quatuor voces, neates, hypates: doriones gemini, quatuor sunt triplicitates, ex quibus quatuor qualitates temporum producuntur.* Hæc Marsilius.

Porrò *de numero Musarum* discrepantes sunt scriptorum sententiæ.

Scaliger lib.1.Poët.c.2. Priscis Theologis *duas* tantùm creditas Musas recitat, qui sese earum discipulos cecinêre: quarum altera sit dicta *μελετὴ*, quæ quidem meditando inveniret: altera *ποιητὴ*, quæ inventa certo disponeret judicio. Illámq; contemplativam dixerunt, quæ res à sensibus abstractas doceret; alteram ab efficiendo, practicam, quæ circa effectionem & omnes res mechanicas versaretur. Propterea verò, quòd eruerent ex ipsis exordijs rerum ignota vulgò monumenta; *tertiam* quidam adjecêre, quam *μνήμην* à memoria nominarunt.

VARRO etiam *tres* scribit fuisse Musas: unam, quæ aquæ nascitur motu: alteram aëris icti efficit sonus: tertiam, quæ mera tantum voce consistit. Eandem vel aliorum etiam præter Varronem sententiam recitat & examinat *Scaliger: tres* nimirum à quibusdam creditas Musas & *triplicem Musicam,* in harmonia, quam sola voce constare dicebant: in aëre, quæ proficisceretur ab instrumentis: & in aqua, cujus Ctesibium authorem tradit *Vitruvius*, atq; hydraulicam nominasse. Verùm, inquit *Scaliger*, hi minus purè tantam rem providêre, quippe etiam vox in aëris ictu constat. Est enim aëris percussio, aut ipse percussus aër. Præsertim quum in Fistula & tibia eadem, quæ & vocis materia sit: nempe flatus ipse: Quin etiam aqua neutiquam sonum edat ullum sine aëre.

D. AUGU-

D. AUGUSTINNS hanc de *Varrone* fert ſententiam. Non audiendi ſunt, inquit, errores gentilium ſuperſtitionum, qui *novem* Muſas Jovis & Memoriæ filias eſſe finxerunt; refellit eos *Varro*, quo neſcio, utrum apud eos quisquam talium rerum doctior vel curioſior eſſe poſſit. Dicit enim civitatem quandam, (*Gyraldus* colligit fuiſſe Sicyonem ex his verſibus;

Tres ſolas quondam tenuit quas dextera Phœbi,
Sed Sycion totidem ternas ex ære ſacravit.)

apud tres artifices, Cephiſodotum, Strongylionem & Olympioſthenem, terna Muſarum ſimulacra locaſſe, quæ in templo Apollinis dono poneret, ut quisquis artificium pulchriora formaſſet, ab illo potiſſimum electa ſumeret. Itaque contigiſſe, ut operâ ſuâ illi artifices æquè pulchra explicarent, & placuiſſe civitati omnes novem, atque omnes emptas eſſe, ut in Apollinis templo dicarentur, quibus poſtea dicit *Heſiodum* nomina impoſuiſſe. Tres autem propterea illa civitas locaverat, quia facilè erat animadvertere *omnem ſonum*, qui materies cantilenarum eſt, *triformem eſſe* naturâ. Aut enim editur *voce*, ſicut eſt eorum, qui faucibus ſine inſtrumento canunt: aut *flatu*, ſicut tubarum & tibiarum: aut *pulſu* velut in citharis & tympanis & quibuſdam alijs, quæ percutiendo ſonora ſunt.

CENSORINUS *lib. de die natali,* Muſas olim ait *tres* fuiſſe ideò exiſtimatos, quoniam organum quondam tres habuit intenſiones, *gravem, mediam & acutam*.

Hiſce non aſtipulatur *Plutarchus in Sympoſ. quæſt. 14.* ubi inquit: *Atq; hujus rei cauſa non eſt tribus Muſices generibus aſſignanda, diatonico, Chromatico & Harmonico: minusq; tribus Muſicæ diaſtematis,* νήτῃ, acuto: μέσῃ, medio: & ὑπάτῃ gravi.

Scaliger ternarium illum Muſarum numerum à canentium numero per initia conſtitutum affirmat. Itaq; eo creſcente ad quartam perſonam uſque additam à nonnullis & *quartam* Muſam. Auctâ deinde varijs in organis arte concentionum, etiam *ſeptem* proditas. Poſtremò ad *novem* uſque promotam frequentiam in eo ſtetiſſe.

ſtetiſſe. Qui *novenarius Muſarum numerus* uſu poſtea receptus. & comprobatus eſt ferè ab omnibus; primò ob ipſius numeri πλειότητα, vel perfectionem, ut primi quadrati, procedentis ex primo numero impari, ac impariter impari: eſtq; qui primus dividitur in tres impares æquales.

FULGENTIUS novem Muſas cum Apolline nihil aliud eſſe refert, quàm *decem humanæ vocis modulamina:* unde & *Apollinis cithara* depingitur *decachorda.* Et hoc ipſo denario numero nihil aliud deſignatur, quàm *quatuor primores dentes, quos lingua percutit; duo labra, quæ ſunt veluti cymbala verborum; linguam, plectrum; palatum, cujus concavitas profert ſonum; aſperam arteriam, quæ eſt meatus ſpiritalis; & pulmonem, qui veluti follis conceptum ſpiritum reddit & revocat:*

CAPUT II.

De Generali Muſicorum inſtrumentorum diſtinctione.

QUod generalem Muſicorum Inſtrumentorum diſtinctionem ſpectat, *Iſidor.* Orig. lib.3.c.18. *tripliciter Muſicam diſtinguit:* In *Harmonicam*, quæ voce conſtat, eſtq; eorum qui aſsâ, quod dicunt, voce cantant: In *Organicam*, quæ flatu maximè indiget: Deniq; in *Rhythmicam*, quæ motu & impulſu digitorum exercetur, & pertinet ad nervos & ad pulſus: cui dantur ſpecies diverſarum citharárum, tympanum, cymbalum & ſiſtrum vel alia, quæ metallico rigore percuſſa cum ſuavitate tinnitum reddunt. Omnia igitur organa Muſica *Iſidorus* ad duas illas diſtinctionis illius partes, Organicam & Rhythmicam referre videtur.

Quidam ita inſtrumenta Muſica diſpeſcunt, ut *quædam* dicantur ἐμπνευστα, à ſpiritu & flatu, cujus officio maximè indigent, & eodem à reliquis diſtinguuntur. *Quædam* verò ſint ἐντατα, quæ chordis & fidibus intendũtur, quæ item κάθαπτα & ψηλαφητὰ, quia *digitis* tangun-

tur

tur & contrectantur; vel mediante etiam plectro: ψηλαφεῖν namque vox propriè de fidium contactu dicitur. Præter hæc sunt instrumenta *quædam* Musica, quæ dicũtur ἔνηχα sonora & ψόφου μόνον παρασκευαστικά, crepitu solùm resonantia, apud *Athenæum* lib. 14. dipnosoph. ubi ἦν γὰρ δή τινα καὶ χωρὶς τῶν φυσωμένων καὶ χορδαῖς διειλημμένων ἕτερα ψόφου μόνον παρασκευαστικὰ. καθάπερ τὰ κρέμβαλα. Id est: *Quin & alia diversa sunt, tum ab ijs, quæ animantis afflatu, tum ab ijs, per quæ protenduntur chordæ vel fides, crepitu solum obstrepentia.*

Johan. Guilielmus Stuckius lib. 3. antiq. convival. cap. 20. Prisci, inquit, sapientes *triplicem Musicam*, fecerunt, *mundanam, humanam, organicam.*

Mundanam eam censuerunt, quæ in concinno illo cœlestium corporum motu, atq; in elementorum dissimilimorum cõsensu, quasiq; concentu cernitur. Ejus motus concentũ inde colligunt, quòd tãtorum corporũ motus tacitus esse non possit: & quia concinnus fit, suavem esse necesse sit. Quam harmoniam non modò *Plato* & *Ptolemæus* tradiderunt, verumetiam *Homerus* & *Augustinus*, allijq; viri graves & sapientes, videntur approbare.

Humana Musica videtur ea dici, quæ fit hominis voce.

Organica quæ fit organis, ad edendos concinnos sonos affabrè factis. Organorum autem (ut in Protheoria in Psalmos *Chrysosthomus* scribit) alia sunt ἐμφυσώμενα, sive πνευματικά, *Plutarcho* ἐμπνευστά, quæ inflata ab hominibus sonum edunt, ut sunt cornua, litui, tubæ, buccinæ, tibiæ & fistulæ: Alia sunt ἔγχορδα, *Plutarcho* ἐντατά, quæ constant nervis & chordis, & vel plectro, vel digitis tanguntur, ut citharæ, testudines, lyræ, psalteria, sambucæ, panduræ, barbiton, nablium, pectis & alia hujus generis. Alia verò κρουστά, quæ pulsantur, ut tympana, sistra, cymbala & campanæ. Unde & *sonorum tria genera* pulsantur, quorum *primum* viva voce animantis edatur: *secundum* fiat organorum inflatione: *tertium* deniq; pulsu.

Sed plenior Instrumentorum Musicorum distributio infrà in corollario tradetur.

CAPUT III.

De Fistulæ notatione, materia, structura vel figura, speciebus, inventione & usu.

F*istulam* omnium Instrumentorum Musicorum origine & inventione esse primam, inter omnes fermè concors & unanimis est sententia, quippe *Pastorum inventum*, quod est vitæ genus antiquissimum, propterea primo loco de ea agere instituimus.

Nominis originem considerantes, *quidam* Fistulam dici volunt ad similitudinem fistulæ, vel tubi, per quem in aquæductu aqua elabitur. *Alij* à Græco φυσάω deducunt, quod est inflo, vel inspiro, expendentes soni fistularum effectionem; flatu enim vel spiritu sonoræ redduntur.

Scaliger lib.1.Poët. cap.4. Fistulam, hoc nomine Latinis vocari asserit ab hiatu.

Hebræi fistulam נֶקֶב Nækæb, à Nakab, id est, perforando, vocant, à perforatione foraminum.

Græcis σύριγξ dicitur, à sibilo, quem edit, conjunctum namque quendam stridorem vel sibilum habet fistulæ sonus, cum suavitate & dulcedine, quod patet ex illo *Theocriti* Idyll. 1. ἁδὺ δὲ καὶ τὺ συρίσδες (linguâ doricâ) *dulce canis fistulâ.*

Notationem habes Etymologicam; cape & *materiam*, quæ principiò fuit arundinacea, aut à cicutis petita. Neq; verum est, inquit *Scaliger*, quod ait *Servius*, cicutam esse internodia calamorum, sed frutex omnibus notus caule aut vacuo, aut eâ medullâ, ut facilè exenterari & exterebrari possit, quod Græci dicunt συριγγοῦσθαι, in fistulam excavari.

Galli etiam atq; accolæ insulani ex calamis fistulam fecerunt olim, quum alij ex avena compegissent. *Virg.* Eclog.1.

Sylvestrem tenui Musam meditaris avena.

Avena ſumitur pro fiſtula, ex avenæ culmo facta, quod paullò poſt dicit calamo agreſti ludere, pro fiſtula ex calamo. Calamus enim propriè eſt frutex aquatilis fiſtulis aptus, canna minor & arundine.

Structuræ modum & *figuram* quod ſpectat, *ſingulares* primùm fuêre tubuli, mox *bini* cohærentes, quæ lino aut cera jungebantur. Setæ quoque quia magis ad manum, quàm linum præſtò eſſent, pro lino, uſu fuêre receptæ. Crevit autem ſucceſſu temporis tubulorum numerus ad *ſeptenos* uſque magnitudine, omnes inter ſe impares, ſed certâ proportione ad alæ figuram: in ſummo quà inflabantur, æquales: inæquales, quâ exit ſpiritus. Eandem admodum ineptè *Romæ* à recentioribus pictam affirmat *Scaliger*, tanquam in utrem omnes cannas injicientem: propterea quòd ignorabant id, qua ratione poſſent diſtantia tubulorum ora percurrere non ineptè: Quæ nunc *organa* vulgò vocant, & referunt priſcam Syringa reipſa & artificio ac ſuavitate ſuperant.

Deſcripſit & materiam & modum & numerum *Poëta* illo verſu *Eclog. 2.*

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula.

Diſpar hìc non ad numerum referas, qui denotatur voce ſeptem: ſed ad quantitatem continuam, inæqualemq; magnitudinem, quia aliæ alijs ſunt majores. *Cicutæ* nomine *Servius* hìc ſignificari ait ſpatium inter modos cannarum, ut fiſtula ſit ſeptem diſparibus internodijs, cerâ fortaſſe compactis, quod diſplicet *Scaligero*, ut dicebamus.

Primam fiſtulæ *inventionem Pani*, Paſtorum, venatorumque & univerſæ vitæ ruſticanæ præſidi attribuunt, qui primus ſcribitur *ſeptem* calamorum concinnè inter ſe connexorum fiſtulam excogitaſſe, ut canit *Maro* Eclog. 2.

Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Inſtituit.

Quod ex Mythologia de *Syringe Nympha* à *Pane* adamata deducũt, quæ,ut fabulantur , cùm vim ipſius effugere non poſſet, in calamum ſcribitur converſa,ut canit *Ovid*,lib.1.Metam.

Panaq; cùm prenſam ſibi jam Syringa putaret,
Corpore,pro Nympha calamos tenuiſſe paluſtres.

Cumq; ad ripas Ladonis fluminis Pan aliquantulum conſtitiſſet, *ventusq; calamos* leviter agitaſſet, quidam perforati harmoniam emittere, ac ſuavem reddere ſonum deprehenſi ſunt. Hos carpens Pan, fiſtulam,cùm illos inflaſſet,paulatim invenit: qui calami cùm nati eſſent in *Ladone* flumine,& Syrinx ſive fiſtula quæ ſonum emittebat,vocata fuit *Ladonis* filia,ſcilicet quæ nihil aliud erat,quàm *calamus*. Nam *Syrinx* σύριγξ vel fiſtulam vel cantum fiſtulæ apud Græcos denotat. Teſtatur & *Lucretius lib.5.* calamos à vento agitatos ſibilum priùs emiſiſſe,ac poſtea in locis paludoſis id à paſtoribus obſervatum dediſſe facultatem inventioni, ut patet ex his:

Et Zephyri cava per calamorum ſibila primum
Agreſtes docuêre cavas inflare cicutas.

Hunc ipſum Pana memorant ad montes Nomios non procul à *Lycoſura* urbe fiſtulam inveniſſe,ubi *Molpea* fuit vicus & templum Panos. Hujus rei narrationem legimus apud *Natal. Com. lib.* 5. Mythol. cap.6. Hujus *Panos comites* congeneres Satyri & Tityri dicebantur: iccircò quâ canerent arundinem etiam *Tityrmum* Dores nominarunt, ut notat *Scal.lib.1.* Poët.cap.4. *Polydorus* lib.1. de rer. invent.cap.15. ſcribit, ex ſententia Euſeb. lib.2. de præp. Evang. *Cybelen* inveniſſe fiſtulam. *Euphonon* hexametrorum ſcriptor lib. de Poëtis lyricis tradit, fiſtulæ cui *unicus* & ſimplex eſt calamus, inventorem eſſe *Mercurium*: (μονοκάλαμος Grçcis dicitur)vel,ut alij memoriæ tradiderunt,*Seuthen* & *Rhonacen* Medos, Ejus verò,quæ *multis* eſt compacta calamis (quæ πολυκάλαμος dicitur) *Silenum*: Illius autem quæ *cera* conglutinatur (τῆς κηροδέτου) *Marſyam.* Κηρόπλαστον vocat Poëta quidã apud Plutarch. lib. περὶ τῆς ἀοργησίας his verbis: ὁ τῶν βουκόλων κηρόπλαστος ὀτοβεῖ δόναξ ἀχέτας ὑπνοδότων νόμον. Id eſt, bubulcorum cera compacta fiſtula,canora,

ſopori-

ſoporiferos modos edit. Paullò antè dicebamus fiſtulam quandam *arundinaceam* à Tityris eorumq; nomine *Tityrmum* nominatam. Eſt & fiſtula alia *eburnea*, quam *Tonation* vocant, cujus ſingularem quendam uſum mox ſubjiciemus. Pana,quem inventorem dicebamus fiſtulæ,alterâ manu ſeptem calamorum fiſtulam,altera baculum incurvum geſtare ſolitum fuiſſe dicit *Lucianus* in Baccho. Quem ipſum cuſtodem ovium poſſe gregis ubera implere exiſtimarunt, dum fiſtulam inflaret,ut ſcripſit *Ibicus* his verſibus:

O Pan paſcendis gregibus cuſtodia fida,
Ut labra auratis addita ſunt calamis.
Fiſtula dulce ſonet, nivei quo munere lactis
Ad Clymeni portent ubera plena caſas.

Fiſtulam quoq; ipſius *ſeptem* calamorum, modò ventorum varietatem,modò harmoniam *ſeptem tonorum* cœleſtium ſignificare tradit *Nat.* lib.5. cap.6. quia ad *ſeptem planetarum* imitationem ſeptem chordarum inſtrumenta muſica priùs fuerunt inventa.

Imò *Nymphæ* dicuntur à Poëtis fiſtulâ Panos delectatæ circa illum tripudiare,Hydriades ſcilicet,ſive aquaticæ, & Hamadryades, quemadmodum conſtat ex his carminibus:

Conticeant Pryadum colles fonteſq́; perennes
Ipſaq́; conticeant pignora parva gregis:
Fiſtula dulce canit quia Panos, labra canoris
Humida ut illius addita ſunt calamis.
Hunc circa ſtatuere chorum molli pede Nymphæ
Hydriades pariter Nymphæ & Hamadryades.

Fiſtulâ autem olim uſi paſtores,qui *præmijs* propoſitis fiſtulæ flatu *certare* conſueverunt,de qua re alibi diximus.

Theocrit. Idyll.24.

Dulcis autem mihi cantus, & ſi fiſtula cano,
Et ſi tibia loquor, & ſi calamo, & ſi fiſtula compacta.

Virgil. Eclog.3.

Cantando tu illum? aut unquam tibi fiſtula cerâ

Juncta fuit? non tu in triviis indocte solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

Miserum Servius interpretatur, quale fiebat in trivijs & quadriviis à pastoribus in honorem *Dianæ*, id est, Proserpinæ, ad imitationem Cereris, eam inquirentis.

Similis locus est apud Theocrit. Idyll. 5.

Τὰν ποίαν σύριγγα &c.
Quam fistulam? tu enim quando serve Sybarita
Possedisti fistulam? quid non adhuc cum Corydone
Sufficit tibi stipulæ foramen sibilare habenti.

Tum propter hanc caussam Pastores fistulæ sono usi, quia *Pecora* & armenta, fistularum sono audito, avidiùs escam sumere atque compressiùs pasci in herbis meminit *Paulus Diaconus* lib. 5. c. 37. Itaq; Pastores, bicornibus fistulis (*Seckpipas* septentrionales vocant) ludunt.

Mantuanus *Tonium* fistulicinem paganum, *Saccomusa* ludentem in Bucolicis eleganter his versibus depingit:

Et cum multifori Tonius cui tibia buxo,
Tandem post epulas & pocula multi colorem
Ventriculum sumsit, buccasq; inflare rubentes
Incipiens, oculos aperit: ciliisq; levatis
Multotiesq; altis flatu à pulmonibus hausto
Utrem implet, cubito vocem dat tibia presso.
Nunc huc nunc illuc digito saliente vocavit
Pinguibus à mensis juvenes ad compita cantu
Saltidico, dulciq; diem certamine clausit.

Quam suprà diximus fistulam *Tonation*, hujus egregiam persensit utilitatem C. *Gracchus*, qui quoties apud populum *concionem* habuit, vel à tergo Servum Erycinum Musices gnarum astare jussit, qui occultè illâ fistulâ *pronunciationis* formaret modos, aut nimis remissos concitando, aut plus justo concitatos revocando, ut scriptum reliquit *Val. Max.* lib. 8. cap. 10.

Fistularum quoq; quibusdam populis *in bello* fuit usus, quemad-

modum Lydos Syringibus & alijs instrumentis musicis in acie instrui memorat *Herodotus*. Et Halyattes Rex Lydorum in bello contra Milesios fistulatores adhibuit, ut notat ex Thucyd. *Gellius* lib. 1. c. 11.

CAPUT IV.

DE TIBIA. Ejus notatione, descriptione, inventione & origine atq; partibus, variisq; ab Inventoribus speciebus.

TIBIÆ, inter Pastores post fistulam vetustissimæ, historia & consideratio locupletior, quam non absque ratione à vocis notatione, quæ sæpissimè nos in rei perceptionem deducit, exordimur.

Stuckius lib. de Sacris & Sacrificijs gentilium fol. 111. *Tibiam* Hebraicè appellatam memorat חליל *Chalil*, quam vocem LXX. interpretes αὐλὸν tibiam verterunt ut Ep. 5, 12. & alibi. Quo loco Thargum אבובא *Abbuba* interpretatur, quod fistulæ sit affinis. Rabbi Schelomóh hoc Instrumentum sic dictum vult à *concavitate*, quod sit concavum. Nam חליל *Chalil* est concavus. Unde *curva* tibia à Tibullo & *cava* ab Ovidio appellatur.

Tibullus Eleg. 2.

Obstrepit & Phrygio tibia curva sono.

Ovid. lib. 6. Fastorum.

Quæritur in scena cava tibia, quæritur aris.

Pagninus חליל tibia, inquit, sunt qui dictam putent, quasi prophanum instrumentũ, cujus sit usus in publicis choreis & solemnitatibus.

Græcis αὐλὸς tibia appellatur ἀπὸ τοῦ ἄειν, à flando, vel flatu, quippe describente Athenæo lib. 5 deipnosoph. αὐλὸς ἐστὶν ὄργανον, ᾧ διέρχεται τὸ πνεῦμα, organum, quod flatus permeat. Apud Latinos porrò *tibia* à tibijs ferarum & maximè ossiculis cervorum nomen traxit, è quibus olim conficiebatur.

Tuſcorum lingua Tibicines Subulones vocat à Subula, vel potiùs Subulonis cornu ſimilitudine. *Eſt* autem *Tibia*, eodem Stuckio definiente, Inſtrumentum Muſicum, oblongum, teres & foraminoſum, quod inflatũ & digitis modò adductis, modò reductis, temperatum, non injucundam reddit harmoniam: Unde Cic. de claris Orat. *Si*, ait, *Tibiæ inflatæ non referant ſonum, abjiciendas ſibi Tibicen illas putet.*

Apollinis quidam Tibiam ducunt eſſe inventum, cui rei argumẽto eſſe dicunt *ſimulacrum* illud *Deli*, quod ſuprà attulimus. Puerum præterea, qui laurum tempicam Delphos inferebat, Tibicen ponè aſſectabatur. *Plut. de Muſ.*

Alij malunt *Palladis*, à qua Apollo ſit edoctus; Hanc enim tibiarum uſum excogitaſſe ſcribit *Nat. Com.* lib. 4. c. 5. Et lib. 6. c. 15. Non procul ab Apamea civitate juxta lacum, in quo ad uſum tibiarum *optimi calami* gignuntur, tibias à *Minerva* fuiſſe inventas, fama eſt, quas cùm illa inflaret, ſeq; in lacu conſpexiſſet, oriſq; turpitudinem vidiſſet, & tumorem, illas *abjecit*, Secedite à me, inquiens, malæ corporis depravationes, ut eſt apud *Athen.* lib. 14.

Has tibias à Minerva abjectas *Marſyam* accepiſſe ajunt, quibus inflandis cùm ſibi jam peritior factus videretur Apollinem ad *certamen* provocavit. Hinc quidam Marſyæ tibiæ inventionem aſſignarunt, ut *Diodorus* & *Euſebius* & *Metrodorus* in rebus Trojicis fiſtulam & tibiam primùm Marſyam ſcribit inveniſſe in Celænis, cùm prius unico calamo uterentur.

Alij putant *Hyagnidem* ante Apollinem tibia ceciniſſe. Hic enim, inquit Apulejus, primus in canendo *manus diſcapedinavit*, primus tibias *duas uno ſpiritu* animavit & levis foraminibus acuto tinnitu & gravi bombo concentum Muſicum miſcuit, ut annotat *Cælius* lib. 8. antiq. lect. c. 3. Alij aliter ſentiunt.

Omninò verò in *Phrygia* primas tibias agnoſcunt. Adducunt pro ſe *Myſorum* gentem, quæ fuerit tibiarum peritiſſima. Et *Alcmana* Poëtam, qui tibicines barbaro, nec alio nomine deſignavit, Sambas, Adon, Telus. Item *Hipponacten*, apud quem nomina ejusdem notæ:

Cion, Codalus, *Babus:* Unde proverbium *κίων ἢ βάβυς αὐλεῖ.* *Scaliger* lib.1.Poët.c.20. *Julius Pollux* tibiarum, inquit, *partes* sunt, *γλῶτται* lingula, unde dicuntur *γλῶτται ἐξηυλημέναι* lingulæ cantu attritæ. *τρυπήματα* foramina. Hinc *αὐλοτρύπης* tibiarum perforator. *βόμβυκες, ὅλμοι, ὑφόλμια.*

Tùm etiam *φορβειὰ* Tibicinibus conveniunt: *Phorbion* autem dicunt pellem ori Tibicinis circumpositam, ne rimam labellum conciperet: scholiastes Aristophanis in vespis sic scripsit: *φορβειαὶ εἰσὶ τὰ δέρματα τὰ περὶ τὸ στόμα τῶν αὐλητῶν προσδεσμούμενα, ὅπως ἂν σύμμετρον τὸ πνεῦμα πεμπόμενον, ἡδεῖαν τὴν φωνὴν τοῦ αὐλοῦ ποιήσῃ.* Translatè enim dicitur de corio velut capistro, quo Tibicines ora sua muniebant, aut ne nimio flatu labia scinderentur, aut ut expiati aëris moderatione inflatus lenior esset, sonusq; gratior auribus accideret.

Plurima autem accepimus tibiarum genera & nomina. Ab Inventoribus verò nomina ferè nulla, præter illam tibiam, cui *Libyn* cognomen fecit *Sirites,* qui in Libya primus Tibicen fuit. *Athen.* lib. 14. Libyn, inquit, Tibiam Poëtæ appellant, uti scribit *Duris* lib. 2. de reb.gestis Agathoclis, quòd Sirites primns tibicinum artis inventor, è gente Nomadum Libycorũ fuerit, *ὃς καὶ κατηύλησε τὰ μητρῷα πρῶτος,* primus ad matris Deorum sacra tibiam adhibuit. Verum hic *Sirites* non tibias reperit, sed *viam* excogitavit *inflandi* arte tibias, ut notat *Casaub.* lib.14. in Athen. cap.2. Alijs *Libijs* tibia, quæ & *matroa* dicitur inventum *Euterpes* maxime: quamvis eam *matri Deorum* quidam tribuant. Et ea de caussa absq; dubio Ovidius:

Ante Deûm matrem cornu tibicen adunco,

quod hoc tibiarum genere maximè mater illa Deorum delectaretur.

Est & *Athena* tibiæ genus, quæ forte *Palladis* fuit, nomen enim convenit, qua *Nicophelen* Thebanum ad Minervæ hymnum inprimis usum ferunt: Cumq; diversæ essent ob diversa modorum genera tibiæ, & non ijsdem omnnò Dorij, Lydij & Phrygij modi incinerentur, primus ejusmodi tibias excogitavit, quæ inflatæ *modos omnes* eædem redderent, ut *Pausanias* memoriæ tradidit in Bœoticis.

CAPUT V.

De variis Tibiarum generibus & appellationibus, à regionibus & gentibus desumptis.

VAria quoq; à varijs regionibus & gentibus memoriæ tradiderunt scriptores *Tibiarum genera*. *Tyrrhenos* non uno genere memorant contentos. Singulari canebant in sacris eáq; *anea:* tanto apud eos in honore, ut non solùm ad ejus sonum *pugiles* certarent: verumetiam quum in servos *flagris* animadverteretur, tibiæ sonum adjungerent. Quin etiam quod mirêre magis, inquit Scaliger, *coqui* ipsi ad ejus flatum epulas appararent: Unde Eubulus apud Athen. lib. 9. ait *moris fuisse, ut si quid peccasset coquus, tibicen vapularet*. Altera fuit non singularis, sed *composita* ex *duobus tubulis*, quasi inversa Syrinx. Namq; infernè tubus minor inflabatur bucca: unde spiritus in majorem subibat, movebatq; aquam, quæ intus erat, atq; ex ea multisonam edebat harmoniam.

Iulius Pollux lib. 4. Tyrrhena, ait, tibia, inversæ Syringi similis, cujus quidem *arundo ferrea* est, quæ infernè inflatur, spiritu quidem minore, sed propter aquam ebullientem major sono ipsius spiritus aura emittitur. *Multisonans* hæc tibia est, & ferrum vocem reddit validiorem.

Phœnices usos fuisse Xenophon tradit, *Gingris*, tibijs nempè palmũ longis, stridulum sonum ac lugubrem edentibus, quibus & *Cares* mortuos lugent, nisi fortè Caria Phœnice vocata est, ut apud Corinnam & Bacchilidem legitur. *Cinyris* non Gingris quidam legendum putarunt, quia κινύρας ἦχος καὶ βόμβος θρηνώδης sit. Eorum judicio adversantur citata pòst autorum testimonia. Hesychio γίγγρος & γιγγρία est μικρὸς αὐλὸς ἐν ᾧ πρῶτον μανθάνουσι, parva tibia, quâ *tyrones* prima rudimenta canent. Illas autem tibias Phœnicum linguâ Gingros vocari asserit Athen. quòd eas inflare moris esset in *Adonijs*, in luctu & threnis Adonidis:

Adonim enim, vel Adonidem, *Gingren* appellant. Alijs placet à fictitia voce γιγγρὶ nominatas esse tibias gingrinas. *Festus* deducit à gingrire, quod *de anseribus* propriè usurpatur, & Arnobio anserum clamor gingritus est, ut notat Isaacus *Casaubonus* in Athen. lib. 4. c. 23.

Julio *Polluci* quoq; *Gingras* est parva quædam tibia, lamentabilem emittens sonum, lib. 4. c. 10. Ubi dicit *Phœnicum* quidem eam esse inventũ, Caricæ autem Musæ persimilem, ubi & illud nobis in superiorum fidem suggerit. Sed Phœnicum, inquit, lingua Adonim Gingram vocat, & ab hac tibia nomen desumpsit, in cujus luctu illam ad cantum accommodabant. Sicut affini voce apud affines *Ægyptios Ginglarus* habita est, pusilla tibiola sono acuto ad monodias. Gingrarum meminit Antiphanes in Medico, Menãder in Carina, & Amphis in Dithyrambo, his verbis ex Græco in Latinum translatis:

Habeo verò Gingram sapientissimum. Ecquis iste Gingras est? novum nostrum Inventum quoddam theatro nunquam monstratum: usitatum verò Athenis in convivijs jucundissimum.

Ab hoc instrumento dicuntur γίγγρεντα μέλη, *luctuosa carmina* Axionico in Phileuripide. Athen. lib. 4. annotat *Alexandrinos* tibiarum inflandarum artem, *Auleticen* vocant Græci, præcipuè callere, non earum solum, quas (αὐλοὺς παρθενίους καὶ παιδικοὺς) *virginales* & *pueriles* nuncupant, sed illarum etiam quas (ἀνδρείους) *viriles* nominant, & Citharisterias, quod earum sonus citharæ modis concineret, & dactylicas: Virilium autem *perfectas* alias, alias his *perfectiores*, quod digitis multis opus esset in moderandis fingendisq; sonis. At *Etymos*, quorum meminit Sophocles in Niobe & Tympanistis, non alias remur esse tibias, quàm *Phrygias*, quarum usum *Alexandrini* quoq; non ignorãt, veluti & διόπων (à *duobus* tantùm *foraminibus*, quibus pertusæ sunt, has sic vocant) & μεσοκόπων. *Hesych.* μεσόκοποι, ait αὐλοὶ οἱ ὑποδεέστεροι τῶν τελείων μέσοι.

Athen. scribit μουσοκόπους quasi *Musis dignas*, eas sic appellãt, aut Musas defatigantes. Alias ὑποτρήτους nominãt, subtus pertusas foramine,

præter ea, quæ in media fistula recto ordine patent, in ima parte obliquè aperto, quod minimo digito contegantur. *Elymorum* meminit quoq; *Callias* in Vinctis. *Iuba* tradit à Phrygibus repertas fuisse, vocariq; *Scytalias* ob earum crassitiem parem Scytalis Laconicis. Illos in usu quoq; Cyprijs esse Cratinus Junior in Theramene scribit. Habuêre & Alexandrini cognitas, quas *Hemiopos* dicunt, ab Anacreonte sic memoratæ: Ὡς ἐρασμίη σ᾽ ὦ θέραψ θυμὸν ἐσέβη, τερένων ἡμιόπων ὑπ᾽ αὐλῶν ἀρχεῖσθαι: Videtur Poëta Artemonē compellare olim servū, postea luxus & mollitiei perfectum exemplum. In illum aut alium similis conditionis, similiumq; morum invehens Poëta; Quæ, inquit, libido, ô Serve te invasit, saltandi *ad teneras hemiopas* tibias, *Casaub.* lib. 4. c. 24. in Athen.

Minores hæ sunt quàm perfectæ, & sono minus claro tanquam ex dimidio perforatæ. Eadem itidem *Hemiopos* tibia est cum puerili, ad canendi certamina minimè idonea, propterea que apta convivijs, quamobrem teneram vocat *Anacreon*.

CAPUT VI.

De varijs Tibiarum generibus, à varia apud varias gentes materia.

MUltiplex quoq; apud diversas nationes olim ad tibias conficiendas quæsita *materia*. Scythæ anthropophagi & Melanchlæni item Arimaspi ex *aquilarum ac vulturum ossibus*, Apud Ægyptios multisonans, πολύφθογγος erat tibia, *Osiridis* inventum, *è calamo hordaceo*. Thebanis fuit *ferina* quædam tibia, quam ex *hinnuli* membris compegerunt, sed hujus exterior pars, *ære* inducta erat. Unde à ferarum ossibus θηρίον αὐλὸν nuncuparunt.

Jubas quoq; autor est è crurum *ossibus hinnullorum* & *capreolorum* tibias fieri solitas.

Ex *asininis* ossibus atq; *argento* confecerunt Theatrales. Cicero facit mentionem *eburnearum*. *Arundines* accepimus ex Theophrasto,& Plinio. Internodium radici proximum excidebant ad lævam tibiam; quòd subesset cacumini ad dextram.

Plinij locus est lib.16.cap.36. Sed tunc,inquit,ex sua tantùm *harundine* quamq; congruere persuasum erat: & eam, quæ radicem antecesserat, lævæ tibiæ convenire: quæ cacumen dextræ. Antiquissimam Scaliger è *Sambuco* emedullacam scribit. E *buxo* primi Phryges excavarunt eam,quæ *Berecynthia* cognominata fuit antea dicta *Elymos*. *Cornu* verò adjectum fuisse tibiæ Phrygię accepimus, de quo sic scribit Isaacus Casaubonus lib.4. in Athen. c.25. Cornu illud, quod adjicitur,tibiæ Phrygiæ proportione respondet codoni tubæ, id est, eandem vim habet ad exacuendum gravem aliàs tibiæ Phrygiæ sonum, quam in tuba codon. Fuit eadem tubæ Tyrrhenicæ perquam similis. A *buxa* apud Poëtas buxea dicitur tibia. Ovid.12.Metam.

Non illos cithara: non illos carmina vocum
Longaq; multifori delectat tibia buxi.

Et Mantuanus:

Buxea quid lætos modulatur tibia cantus?

Est & tibiarũ species latina,*obliqua*,unde eam πλαγίαλον vel πλαγίαυλον dixerunt,Libycorum inventum. Scaliger Afros primos invenisse notat eam,cui Plagion & Plagialon fecêre nomen,non quòd esset curva,ut quidam sunt arbitrati: sed quia à *latere inflabatur*, quemadmodum & Germanica.

Alij canunt in Phrygia à Mida primùm excogitatam. Tale instrumentum musicum est, quod hodie *cornu* vocant. Cornu etiam pro tibia Tyrrhenos & Cretas usos accepimus: etiam Romanos olim *ad prælia*,etiam Helvetios. Nunc Germani,inquit Scaliger, cornua è buxo efficta multis foraminibus inflant magno spiritu,non sine gratia & decore,præsertim in nocturnis festivitatibus, *vocem namq; humanam in primis imitantur,eamq; vehementer contentam*; Ad prælia verò tibias cum tympanis.

Alexandrini quoque habuêre è *loto* exenteratam tibiam, cujus meminit Euripides tùm alibi, tùm in Bacchis his verbis:

Εν Φρυγίαις βοαῖς ἐνοπαῖσί τε
Λωτὸς ὅταν εὐκέλαδος
ἱερὸς ἱερὰ
παίγματα βρέμῃ.

Hanc illi patriâ voce Φώτιγγα nominarunt. Græci, ut est natio sibi arrogans omnia, non Alexandrinis, sed Thebanis attribuunt.

Fuit & tibia ἱπποφόρβος dicta, quam Libyes tuguria habitantes invenerunt; ejusque materia fuit *decorticata laurus*.

Cor ligni extractum, acutissimum dat sonum, & equorum acrimoniæ convenientem, hac enim apud *equorum pascua* utebantur, ut est apud *Jul.Poll.* lib.4.c.10.

Osiris excogitavit tibiam ex *hederaceis* internodiis multiforem: quum ante id temporis quaterna tantùm haberet foramina.

Nonnulli cætera â Diodoro Thebano, qui obliquos spiritui meatus aperuerit, addita prodidêre.

Hæc omnes â summo inflabantur directo flatu, præter illam, quam *Plagion* dixerunt, quæ ut dicebatur, â latere inflabatur.

Ægyptiorum πολύφθογγος tibia ex *hordeaceis* calamis conficitur.

Elephantinas apud Phœnices primùm fuisse perforatas testatur *Athen* lib. 4.

Diversos quoque diversarum tibiarum tradiderunt sonos: *Lævarum* namq; tibiarum veteres sonum agnovêre gravem, *dextrarum* acutum.

Latini *sinistras* dicunt acutiores, aptasq; rebus ludicris: Item *Serranas*: quibus ajunt foramina fuisse æqualia, veluti spondaicis. Non igitur constant sibi. *Spondaica* enim rerum gravium affines fuêre, quarum usus ad hymnos Deorum. Hac de caussa Phrygiis *foramina* erant inæqualia, sicut dactylicis, propter inæqualia intervalla: qualia sunt in temporibus pedis dactyli, quæ *ludicris* adhibebantur & ad hyporchemata. *Dextras* autem apud Romanos *funeribus* fuisse dicatas, alibi

etiam

etiam diximus, quum tamen in funeribus Barbari acutissimis uterentur. Dextras autem & sinistras appellarunt à lateribus, unde inflabantur. *Hæc Scaliger.*

Illa autem tibia, quæ *Phrygia* dicitur, à dextra unum, à sinistra duo habuit foramina.

Romanæ verò tibiæ primùm quaternis foraminibus constabant, postea tot pertusis excultæ fuêre, ut haud multum abessent à tuba. Addamus & hoc, quod *Syriacas* audaciam atq; impetum spirare prodiderunt. His similes sunt *Bombyces*.

Lacones suas tibias ἐμβατηρίας appellabant, quibus ad pugnas utebantur. Sonum illum *Castorium* à Castore, Ledæ filio. Sic habes tibiarum discrimina ex supradictis à gentibus & regionibus atq; materia. *Numerum* quoq; *Geminæ* enim, ut dictum, apud Tyrrhenos, quem numerum à Marsya institutũ prodidêre, quum antea essent singulares.

Singularis autem tibia dicebatur *Monaulos*, quam quidem Mercurii, alii Ægyptiorum inventum faciunt. Juba quoq; asserit, Ægyptios Monauli inventionem Osiridi asscribere.

Singulares etiam dicebantur *impares*, geminæ autem *pares*. Habes & figuram in magnitudine, inquit Scaliger. Nam Marsiæ tibias æquales fuisse puto: in Tyrrhenis altera major. Præterea *utre* addito *Ascaulon* longè diversa figurâ factam; Apud Mysos ac Pannonas tantâ acritate, ut penè tubam superet: apud Gallos plenior, raucior, gravior, mollior, adeò ut in cubiculis quoq; sine aurium offensione audiatur.

Insuper Tibia *Palæomagadis* vel *Magadis* dicta, eodem foramine tùm gravem, tùm acutum sonum edere poterat ἐν ταυτῷ, simul, ut scripsit Alexandrides in Hoplomacho, cujus senarium ita emendat Casaubonus:

Μάγαδιν λαλήσω, μικρὸν ἅμα σοὶ καὶ μέγα.
Loquar tecum ut Magadis altè & remissè.

Athen. lib 14. dipnos. dubitat *citharané* genus sit, *an tibiæ*. De Magadi cithara postea agemo Jon Chius verò in Omphale quasi de Tibia sic ait:

Λυδός τε μάγαδις αὐλὸς ἡγείσθω βοῆς.
Lydia Tibia Magadis voci praeat.

Quem Jambicum versum cùm interpretaretur Aristarchus, tibiæ genus esse dicit, contra judicium Aristoxeni, in lib de Tibicin.

Didymus etiam exponit citharisticam, & citharæ modis convenientem, memoratam ab Aristoxeno lib. I. de tibiarum perforatione: quo loco *tibiarum*, ait, esse *genera quinq;* puellarum, puerorum, citharisticas, perfectas. Deesse itaq; apud Jonem oportet jungenda vocabula, *Magadin* tibiam vocari, quâ etiam cum cithara canunt. Constat autem *Magadin* esse organum δίφωνον, quod ἐν ταυτῷ simul emittit vocem gravem & acutam harmoniâ, quæ dicitur διὰ πασῶν.

Jon Chius in Phœnice aliã tibiam vocat ἀλέκτορα, vel *gallum*, quæ dormientes cantu instar gallorum expergefaciat, his verbis:

ἐπῆδ' αὐλὸς ἀλέκτωρ Λύδιον ὕμνον Ἀχαιῶν.

Canebat vero Tibia Gallus Lydias Achivorum laudes.

Idem in custodibus:

Προθεῖ δὲ ποι σύριγξ ἰδαῖος ἀλέκτωρ,

Pracurrit verò fistula Idæus Gallus.

Buxeam innuit tibiam, ex Idæ lignea materia confectam.

Idem in 2. Phœnice:

Informem gestabat, gravemq; tibiam modis veluti cursu quodam acceleratis. Hos scilicet modos Phrygios innuit graves, quibus ideo accommodantur cornua, quorum sonus tubarum strepitui proportione respondet. Quid hic est, quærit Casaub. lib. 4. cap. 25. in Athen. ἔκτυπος αὐλὸς, An Tibia canora & benè resonans? *Sonus* namque ἔκτυπος est *clarus* & perspicuus. Propriè locum habet in ijs, quæ de alio sunt ἀκριβῶς expressa, &, ut Græci loquuntur, ἐκμεμαγμένα. Et ἐκμαγεῖον est expressa alicujus rei *effigies*.

CAPUT VII.

De Multiplici tibiarum usu atque ab eo, earundem ὀνομασίαις & nominibus, deque singularibus quibusdam modis & cantu tibicinum.

FRequentissimus fuit veteribus tibiarum usus in omni ferè festivitate, unde & peculiares ipsæ tibiæ sortitæ fuêre denominationes.

Choricæ dicebantur à Choris, in quibus earum concentus adhibebatur, de qua re pleniùs alibi. Primum autem *Sacadam* Argivum docuisse ferunt choros *tribus modis*, Dorio, Phrygio, Lydio, ita ut ne miscerentur. Iccircò ea lex τριμερὴς, sive τριμελὴς dicta. Alij *Clonam* scribunt. Horum tonorum quilibet communes tonos veteres habebat, διάτονον & χρωματικόν. *Olympus* addidit ἐναρμονικόν. Quemadmodum & ab *ætatibus* & *sexu* varia accepêre nomina. Diversæ enim ætatis diversiq; sexus in choris constituebantur homines. Hinc *virginales* tibiæ quibus virgines: *pueriles*, quibus pueri: ὑπερτέλειαι *perfectissimæ*, quibus ætatis perfectæ *viri* canerent. Idem Pollux, *Ad Parthenias, ait, tibias saltabant virgines; Puerilibus verò pueri accinebant; Tibiæ autem perfectissimæ virorum choris competebant.*

Præterea apud Lacedæmonios primum sub *Terpandro* factos in choris modos: in quibus saltata fuit γυμνοπαιδία. Postea sub *Thaleta* Gortynio, quo seculo duo floruerunt, *Polymnestus* Colophonius & *Sacerdos* Argivus, qui ad Terpandi æmulationem non γυμνοπαιδίαν, sed contraria canerent; quippe ἐνδυμάτια non nudi, sed induti. Sub Thaleta *Paanes*, sub Polymnesto *Orthia*, sub Sacada *Elegias* exercebant. *Scalig. lib. 1. Poët. 20.* Pratinas Phliasius (ref. Athen. lib. 14.) scribit, cùm tibicines & qui choros conficiunt, mercenarij in orchestram magno favore spectatorum prodirent ægrè nonnullos tulisse, quòd tibicines, ut erat patrius mos, cum choris non accinerent, sed chori cantarent cum tibicinibus.

Quàm igitur adversùs illos, qui hæc committebant, stomachatus sit Pratinas, hoc hyporchemate (*saliari* carmine, quod saltantibus accinebatur) planum facit, crebris Pyrrhichijs refertum ob celeritatem:

Τίς ὁ θόρυβος ὅδε;
τί τάδε τὰ χορεύ-
ματα; τίς ὕβρις ἔμολεν
ἐπὶ Διονυσιάδα
Πολυπάταγα θυμέλαν;
ἐμὸς ἐμὸς ὁ Βρόμιος. &c.

Id est:

Quisnam hic tumultus? quæ injuria
Erupit in Dionysiaca obstreperæ scenæ pulpita:
Mihi favet, mihi propitius est Bromius,
Mihi fremendum ac tumultuandum per montes
Concitato & vago cum Naidibus: Cygnorum instar
Varij modi sunt accinendi.
Tibijs cantiones praire gaudet rex Dionysius.
Post illas canat & saltet tibicen:
Tibia tantùm commessationum administra est,
Spectaculis commoda, quibus pugnant ardentibus animis pugiles,
Et ut quasi temulenti apud se non sint
In conflictibus bellicorum agminum duces.
Jam, ô Bacche rex, Phrynichi filium (Pratinam) varij chori præsidem
Pulsa & accende: calamo sacra ille prorsus
Loquitur, vultu gravi incedens versus rhythmo
Concinnos profatur: Adest nunc tibi terebro formatum corpus,
Arundo dextera, olim præstans virgo:
Meam Doricam Musam audi ô triumphator,
Hedera comam vincte, duplici janua in lucem edite.

Aliæ

Aliæ dictæ fuerunt ab uſu *Nuptiales* tibiæ: has monaulos ſcribunt ad Hymenæos, qui illis accinebantur: *Anaxandrides* in Theſauro. ἀναλαβὼν μόναυλον ηὔλουν ὑμέναιον ſumpto Monaulo Hymenæum accinebam. *Protagorid.* τῷ τε ἡδεῖ μοναύλῳ τὰς ἡδίστας ἁρμονίας ἀναμινυρίζει. Et jam Monaulo ſuaviſſimos concentus ſummiſſa voce meditatur & cantillat. *Athen.* lib. 4. ubi etiam Photingia & monaulia, κώμων ἐ πολέμων ὄργανα, commeſſationis non belli facit Inſtrumenta. *Amenias* in gloſſis ſcribit, Tityrinon monaulon appellari. Quod verò nunc vocatur καλαμαύλης arundinea tibia, monaulon quondam fuiſſe apertè declarat in Epigram. *Hedylus.* Alij binas dicunt fuiſſe junctas, easque impares; ac placet omen, inquit Scaliger, conjugij ſpecie. Sic cantus nupitalis (teſtatur Pollux) duabus tibijs canebatur, quarum altera major, abſolvebant Symphoniam. Parœnij & *conviviales* in convivijs parvæ erant utræque & æquales; compotationibus enim convenit æqualitas.

Ad hymnos idoneæ erant *Spondaica*; Ad Pæanes *Pithica*, quas & perfectas nominabant, canebant verò ineptum illud carmen Pythicum.

Cithariſterias cognominarunt, quarum cantus cum cithara compararunt. Erant in exſequijs *Funerales*. *Paratreta* etiam luctui conveniebant, acutè & lentè inflatæ, acutum & infractum ſpirantes. *Bombycibus* verò inflatus & furioſus cantus, rectis opus habet tibijs. Nonnulli etiam tibias *gradarias* vocarunt eas, quibus in itineribus utuntur, & *Dactylicas* ad ſaltationes. Alij non tibiarum, ſed modulationum & carminum has ſpecies eſſe ajunt.

Tibias *ſubtheatricas* ad modos Tibicinum retulerunt. *Julius Pollux* lib. 4. cap. 10.

Philoxenus autem in tibijs *certos* cōnſtituit *modos*; Primus: quos legem *Loricam* dixit à novo harmoniæ genere, quod receptum Pindari ac Simonidæ tempore legimus inter leges Lyricorum. Idque dicebatur agi λοκριστί. Dicebantur leges νόμοι, quia

nefas

nefas esset aliter facere. *Plutarchus*, in opusculo de Musica, putat huic nomini datã hanc significationẽ ob certã modulationis legẽ, cui carmina adstricta esse solebãt. *Aristoteles* verò quærens, cur νόμοι vocentur ὡς ἄδουσιν, id inde esse dicit, quod antequam literas scirent, cantarent *leges*, ne eas oblivioni traderent: eumq; morem apud *Agathyrsos* mansisse. Alij *Olympum* tibijs primùm leges instituisse memorant, idque in *Apollinis* honorem, quam legem à numerorum frequentia πολυκέφαλον indigitavit. Alij *Crateti* ejus discipulo hoc asscribũt. Olympi autem eam extitisse legem, quam dixit ἁρμάτιον. Unde & alia καταδάκτυλος nominata, frequens Stesichoro Himeræo. Et Olympi sunt *Epitymbij modi*. Isaacus Casaubonus in Athen. lib.14. cap. 2. αὐλήσεις modos tibiales vertit potiùs, quàm cantiones tibiales, etsi Latinis αὐλεῖν dicitur canere tibijs, & ἄυλησις Cœlio Aureliano cantio tibiarum.

Sed ea interpretatio confundit discrimen, quod est inter ᾠδὴν, sonum humanæ vocis, & ἄυλησιν, quæ tibiarum inflatu editur. Erant & alij tibiarum modi, pro diversitate argumenti diversi. Κῶμος erat ille tibiarum inflandarum modus, quo utebantur, quando ibant *comessatum*. Eodem dicebatur nomine saltatio, in comessationibus usitata; Festum item, quod magna cum hilaritate peragitur, tanquam à comessabundis, ut scribit Dionys. de situ orbis: κῶμον ἄγουσιν ἐριβρεμέτῃ Διονύσῳ.

Κῶμος item vocabatur Deus *præses comessationum*. Hesiodus in asp.

Ἔνθεν δ' αὖθ' ἑτέρωθε νέοι κώμαζον
ὑπ' αὐλοῦ.

Innuit *saltare ad tibiã* esse κωμάζειν τετράκωμος erat *cantilena tibialis*, ad quã *saltatio* exercebatur in *Herculis* victoris honorẽ tanquã ἐπινίκιον. Hesychii verba sunt: τετράκωμος μέλος πρὸς ὄρχησιν πεποιημένον, εἰς ἡρακλέα ἐπινίκιον. Appallat μέλος, quam Athen. ἄυλησιν: quia miscebatur in tetra como cantus cum tibiis. ἡδύκωμος quoq; Athenæo est ἄυλησις: He-

sychio

fychio γένος ᾠδῆς in dicacitatibus & *lusibus*. *Mothon* item modus tibialis, cum saltatione cani solitus. In *Bacchanalibus* ἐπίφαλλον modum habuêre. In *choris* χορεῖον, qui apud Hesych. χορεῖον, αὔλημά τι. In *Panibus* καλλίνικον, idem & saltationis nomen: Jungebantur nempe tibiæ cum saltatione. Fuit & *Sicinnus* genus cantionis & saltationis, atq;, ut putat Casaub. etiam αὐλήσεως, *pyrrhichæ* affinis: militum nempe & σύντονος. *Sicinno tyrbe* non erat militaris αὔλησις, sed in circulis & stationibus coactæ hominum turbæ usurpari solita & in ridiculis frequentata. Insuper species est aut *pars comi* tibialis ille modus, qui dicitur θυροκοπικὸν, Quo *Amatores ante ostium* moram deprecabantur; hic Elegiis conveniebat. Fuit namque una ex legibus ea, quam *Elegon* appellarunt. Idem modus concitatior, quum desperata omnia, tum *fores invadebant* & κρουσίθυρος nominabatur. Nam comessatores inverecundi cum incaluerant vehementius, fores pulsabant, tibias simul inflantes convenienter ei, quod agebant. Ejusdem argumenti, sed remissior modus est, παρακλαυσίθυρον. Κνισμὸς itidem Hesychio μέλος ἢ κνισμῷ αὐλούμενον, modus tibialis ad saltationem κνισμὸν dictum. *Pastores* etiam suum habuêre, quem vocarunt, βουκολιασμόν.

Modus etiam est *Hieraxius* unus. Est & *Cloca* tibialis modus, sicuti ἀπόθετος, quæ remitteret. Sunt & alia nomina κωμάρχιος, δεῖος, χοινίων, κηπίων ab autoribus modorum vetustiorum, addita posterius, quæ πολυμνάστια dicebantur. Erat quoq; *odontismus*, modus quidam tibiis canendi.

Modulatio etiam quædam *Castoria* est; quâ ut sæpius dictum, Lacones in *pugnis* utuntur, suo modo saltatorio. *Theracia* verò est Argolica; quam in *Proserpinæ* festis, *Anthesmophoriis* æstivo tempore tibiis faciebant.

Pythici verò νόμου vel modi, qui *in Pythiis* tibia canebatur, partes erant quinq;: ratio ac tractus totus in *Apollinis* pugna.

In prima fuit πεῖρα: in qua Deus cati militis præ se fert prudentiam, omnia tùm circumspiciens, tùm designans, quid pugnæ conveniens sit.

Secunda κατακελευσμὸς, in qua hostem Draconem *provocat* ad pugnam.

Tertius actus est Jambicus in ipsa *pugna: Iambus* enim præliator pes est ac sanguinarius. Eo in actu tibia saltandi numeros edit bellicę tubę: & dentibus frendentem *Pythona*, qui sagitta jam ictus est, exprimit, quem *Odontismum* dixerunt.

Quarta pars modi erat σπονδεῖον, ubi erat *victoriæ* repræsentatio & celebratio: quippe victis hostibus victimas cædebant ac Diis libabant, hoc autem est λείβειν, & σπένδειν. *Postrema* καταχόρευσις, oratio exultantis Dei, in qua *tripudii* certis legibus terram quatiebat, & ad victorialia carmina saltabat. Lege *Scalig.* lib.1.Poët.c.23. & *Jul.Pollucem* lib.4.c.10. Qui porrò modos αὐλήσεως vel cantus tibiarum dicit κρούματα, pulsationes; συρίγματα sibilationes, περετισμοὺς vel περετίσματα fremitus νιγλάρους.

Scholiaster Aristoph. in Acham. ubi Poëta dicit: αὐλῶν, κελευστῶν, νιγλάρων, συριγμάτων dicit esse τρῆμα & μέλος μουσικὸν παρακελευστικόν. De communitate verò & consensione tibiarum, quæ Græcis συναυλία dicitur, apud *Athen.* lib. 14. legimus, quæ de ea Ephippus in Mercatore scribit: Κοινωνεῖ γὰρ ὦ μειράκιον &c. *Communis est, ô adolescentule, tibiarum atq; lyræ cantus musicus nostris lusibus: cùm enim probè concordant, eum si quis modum intelligat, voluptas tunc percipitur procul aubio maxima.* Συναυλία igitur *contibicinium* consonans tibiæ cantus cum alio quodam organo musico, aut voce etiam vel rhytmo, vel quando duo tibicines idem canunt, vel cithara & tibia συμφωνεῖ.

Semus Delius lib.5. Deliadis: συναυλία ἦν τις ἀγὼν συμφωνίας ἀμοιβαῖος αὐλοῦ καὶ ῥυθμοῦ χωρὶς λόγου προσμελοδοῦντος, concentus tibiarum certamen fuit ac rhythmorum, absq; illius sermone, qui voce tibiæ modos æmularetur.

Antiphanes in Tibicine qualis esset συναυλία, ita declaravit:

A. quam quæso noverat is synauliam?

B. Illam enimvero scit adhuc: sed præterea canebant tibia, suorum docti concentuum numeros simul jungere cum dulci tibiarum sono, absq; sermone ingeniosè ac jucundè facientes reliqua, rectè indicantes singula nutu, quæcunq; proponerentur.

Julius Pollux dicto loco, Athenis, inquit συναυλία quædam erat concentus Tibicinum in *Panathenæis* concinentium. *Nonnulli* verò συναυλίαν accentus speciem esse putant, sicut & tibiæ cantum.

Telestes in *Asclepio* inquit: *Phrygum Rex* καλλιπνόων αὐλῶν leniter personantium tibiarum sacrarum *cantum primus* invenit, Δώριον ἀντίπαλον μούσης, Doricæ musæ æquiparandum: νομοαιόλον ὀρφναί πνεύματος εὔπτερον αὔραν ἀμφιπλέκων καλάμοις, variè modulatam tenebrosi (tibiæ obscuro tubulo abditi) spiritus auram levem atq; pernicem arundine circumplectens. Quidam *Ardalum voce* camere ad tibias instituisse scribunt, ap. *Polyd.* lib.1. c.15.

Alii ajunt *Pronomum* Thebanum primum tibia ad harmoniam cecinisse. *Scal.* lib.1. Poët. c.20.

Huc videntur posse referri, quæ Philochorus lib.3. Atthidis de Lysandro scribit: *Lysandrum* Sicyonium citharæ *cantum* junxisse cum tibia, quo genere concentus, primus est usus Epigonus. *Athen.* lib.14.

CAPUT VIII.

De Harmoniis & Modis Tibicinum Musicis.

Athenæus lib. 14 Deipnosophist. scribit; prioribus sæculis in musicis quod esset decorum & honestum observatum, διόπερ ἦσαν, inquit, ἴδιοι καθ' ἑκάστην ἁρμονίαν αὐλοί, &c. quapropter erant singulis harmoniis tibiæ peculiares, & ludis publicis, unicuiq; tibicinum, quæ modis quadrarent. *Tres* namq; olim habuêre *harmonias* & *tria genera tibiarum* diversarum, quod discrimen tibiarum primus omnium *Pronomus* apud vetustiores sustulit, quod *Casaub.* lib.14. c.7. in Athen. ex Pausania in Bœoticis: Τέως μὲν γε ἰδέας αὐλῶν τρεῖς ἐκτῶντο οἱ αὐληταί. καὶ τοῖς μὲν αὔλημα ἤυλουν τὸ Δώριον. διάφοροι δὲ αὐτῆς ἐς ἁρμονίαν τὴν Φρύγιον ἐπεποίηντο οἱ αὐλοί. τὸ δὲ καλούμενον Λύδιον ἐν αὐλοῖς ηὐλεῖτο ἀλλοίοις. Πρόνομος δ' ἦν, ὃς πρῶτος ἐπενόησεν αὐλοὺς ἐς ἅπασαν ἁρμονίας ἔχοντας ἐπιτηδείως. Πρῶτος δὲ διάφορα ἐς τοσοῦτον μέλη. ὑπ' αὐτοῖς ηὔλησε τοῖς αὐλοῖς.

Scaliger lib. Poët. c. 19. Per initia *tibiarum* ac *modorum duplicem* fuisse scribit rationem: *Doricam & Jonicam.* Duo enim fuêre liberi *Hellenis* Ἴων & Δῶρυς, quorum uterque, accepto à patre imperio, suam uterque partem ac nationem à sese denominavit. *Æolenses* inde Doriensium coloni. *Athen.* quoque tres annotat Græcorum nationes, *Æolas, Doras, Jonas*, quarum ut ingeniorum & morum, ita vestium & festivitatum & exercitiorum & artium non unus modus. Quare Harmoniæ modum, quem *Dores* statuerunt, *Doricum* nominant: quem *Æoles* cecinerunt, *Æolicum*: *Ionicum*, verò tertium, quem *Jonum* cantionibus audiverant.

Dorica vetus ratio, inquit, Scal. dicto loco, magnifica, sublimis, gravis, contenta, nihil habuit fusum, nihil solutũ, nihil hilare, nihil molle: Sed plenum, vehemens, paucis modicisq; flexibus, bellicis conveniens numeris & motibus. (*Pannorum & Getarum Scytharumq;, nostris etiam temporibus talem audivimus in Dalmatia ac Transylvania & Mysia superiore*) Athenæus ἡ μὲν οὖν Δώριος ἁρμονία τὸ ἀνδρῶδες ἐμφαίνει;

Dorica Harmonia virilem præ se fert gravitatem & magnificentiam non diffusa, aut hilarior, non varia, aut multiplex sed vehemens, severa & tetrica. *Æoles* exultationem addiderunt; tumidamque fecerunt atq; audacem: quanquam veterem simplicitatem retinuere, nec fregêre, sicut *Iones*.

Talis est (verba Scaligeri) *Germanorum, & bello apta, nec inepta conviviis, neque à conviviis aliena.* Itaque Lasus Poëta vocavit eam ἀμαβαρύβρομον. *Æolicus* igitur *modus* ἔχει τὸ γαῦρον καὶ ὀγκῶδες, ἔτι δὲ ὑπόχαυνον, superbus est, tumidus, subinanis & laxus. Hæc duo harmoniarum & modorum genera comprehendit *hypodorici concentus* νόμος, vel lex, quæ utriusque affinis, & quasi media efficta ab ambitiosis, dictaque iccirco ὑποδώριος. Hanc quidam *eandem cum Æolica* existimarunt, cujus facit mentionem Lasus Hermionensis hymno in Hermionem & Cererem: *Permitte me, Ceres, puellam*, (κόρη, *vox illa* Proserpinæ *privatim convenit*) *Plutonis uxorem Melibœam* (*cui olim* μέλαινα βοῦς

pud Cy-

*immolabatur apud Cyzicenos) hymno laudare, adhibitâ vocisq; adjuncta, Æo*lide *harmonia, qua cum gravitate fremit.*

Jonici modi similes sunt moribus Jonum autorum, molles, fluxique numerorum creberrimis concisiunculis. *Iones* enim posteriores mollissimè, atq; ut jocatur Scaliger, nepotissimè vixerunt, quorum hi mores; τῶν σωμάτων ἐυεξίας βρενθυομῶμαι: *ob pleniorem corporis habitum gloriosi, animosiores, & reconciliationes inexorabiles, contentiosi, nulla comitate humanitatevé adeuntes invitantibus, morum asperitate, citra ullum benevolentiæ & amoris indicium rigidi.*

Quapropter *Ionicorum modorum* genus ἐστι ἀνθηρόν ἀντι ἱλαρόν ἐστι, minimè floridum & lætum est, sed austerum & durum, in quo tamen deprehendas elatum quidpiam, generositatis non expers. *Recentiorum* verò *Ionum* ἤθη τρυφερώτερα mores deliciis corruptiores, eorumque itidem cantus ab illo vetusto multum diversus.

Fama est *Pythermum* Tejum in eo modorum genere invenisse & composuisse σκαιὰ κέλη, unde absque dubio *sinistrarum* tibiarum appellatio, quarum *Ionica* sit *harmonia*, quia Jonicus inventor. Vero igitur simile est Jonicum *Pythermum*, cantum suum accommodasse Jonicis moribus.

Quartum harmoniæ genus extra Græciam *Phrygium* à Phrygibus. Et sanè hi, quùm primi dicantur tibiarum autores, rem ipsam quoq; instituisse videntur, nimirum τὴν Φρυγιστὶ ἁρμονίαν. Unde apud Græcos Phrygia fuêre usu recepta tibicinum nomina, *Sambas*, *Adon*, *Telus*, *Ceon*, *Codalus*, *Babys*. Aristoteles lib. 8. polit. c. 7. scribit, *Socratem* in lib. de rep. rectè administranda, præter *Doriam Phrygiam* etiam *reliquisse*, idque eam ob caussam, quia ex omnibus organis musicis tibiam improbarit & rejecerit: *eandem enim vim habet in harmoniis Phrygia, quam in organis tibia*, utrumque ad animos instinctu divino concitandos, & ad affectus commovendos valet. Et omnis bacchatio, omnisque talis motus ex omnibus organis in tibiis est maximè: ex omnibus verò harmoniis & cantibus hæc organa cantibus *Phrygiis* maximè sunt decora.

Phrygium itaque modum in *orgijs Bacchi & Berecynthiæ adhibebant.*

Et *Dithyrambus*, cujus argumentum originem duxit à Baccho, ὁμολογουμένως εἶναι δοκεῖ Φρύγιος, ſine controverſia *Phrygius* eſſe videtur. Unde *Philoxenum* cum τῇ δωριστὶ harmoniæ Dithyrambum aptare tentaſſet, ab ejus natura raptum εἰς τὴν φρυγιστὶ, τὴν προσήκουσαν ἁρμονίαν, in Phrygiam, convenientem harmoniam, prodidêre. Itaque hanc harmoniam Phrygijs cantibus aptare maximè conveniens eſt, ut eſt apud *Philoſ. dicto lib. 8. Polit. cap. 7.*

Quintam porrò harmoniam, haud multum à Phrygia diſtantem faciunt. Minus enim eſt incitata. Nam in Phrygia excitabatur *impetus* ad inſaniam uſq;. Quod ex his etiam Philoſophi lib. 8. de Repub. cap. 5. verbis de modorum muſicorum affectionibus perſpicuum eſt. ἐν δὲ τοῖς μέλεσιν αὐτοῖς ἔστι μιμήματα τῶν ἠθῶν. &c. *In modis ipſis & cantibus ſunt* imitationes morum. *Tantum enim inter ſe diſtant, harmoniarum natura, ut, qui audiunt, aliter atq; aliter afficiantur, neq; eodem modo ad unamquamq; earum moveantur: ſed* ad has *quidam aliquantò mæſtius & contractius, ut ad eam, quæ* mixolydia *appellatur: ad illas mentibus remolleſcant, ut ad remiſſas & molles: ad aliam moderati fiant, maximéq; ſedati: cujusmodi quiddam efficere videtur ſola ex harmonijs* Doria. Phrygia *autem ad mentem inſtinctu divino concitandam valet.* Quibus conſonant verba *Poſſidonij* Philoſophi, ſcripta à Galeno in quinto ſententiarum Hippocratis & Platonis. Damon, *inquit* Mileſius *cùm ad tibicinam acceſſiſſet, quæ* Phrygijs *modis adoleſcentes quoſdam temulentos ad furorem uſque incenderat: juſſit* ad doricas leges *tonum demittere: quo illi demulſi quievère. Accepimus &* Teleſtæ *Selinuntij ſuper harmonia* Phrygia *&* Lydia *lepidiſſimos verſus:*

Πρῶτοι παρὰ κρητῆρας ἑλλήνων ἐν αὐλοῖς
Συνοδαποὶ πέλοπος ματρὸς ὀρείας
Φρύγιον ἄεισαν νόμον,
Τοὶ δ' ὀξυφώνοις πηκτίδων ψαλμοῖς
Κρέκον λύδιον ὕμνον.

E Græcis ad pocula primi cantum Phrygium
Montanæ matris cecinerunt Pelopis comites,

Cum

Cum Pectidum sonis Lydias hymnus strideret.

Quidam *Siriten* è Libya, tibijs canendi primum authorem extitisse memorant.

Alij ajunt *Lydios modos* à *Caryo* Lydo inventos, qui Jovis habitus est filius & Torebiæ. Quare *Torebum* quoq; legas horum modorum authorem. Carium igitur illum sive Torebum nactum puellas quasdam prope paludem, quam de matris nomine dixit postea, ab illis cantionum modos didicisse, quos & coleret & doceret. *Scal.lib.1.Poët.c.19.*

Heraclides verò in tertio de Musica negavit harmoniam ullam vel *Phrygiam* vel *Lydiam* debere appellari, cùm tamen etiam ὑπερφρύγιον, μιξολύδιον & ὑπερμιξολύδιον inveniamus. Ad illud Horat. Epodo IX.

Sonante mistum tibiis carmen lyra
Hac Dorium illis Barbarum.

Sic scribit Cassiodorus epist.lib.2. *Phrygius*, inquit, pugnas excitat & votum furoris inflammat. Quare cum hîc Horatius non bellicos furores *Antonij* sed ejus fugam, trepidationemq; canere velit, non putarim τὸ *barbarum* hîc appositè exponi posse Phrygium, neq; ob eandē caussam Lydium, qui Bacchicus est & mollis, contraq; nimias animi curas tædiaq; repertus; sed *mixolydium*, qui auditores graviore efficit animo, contractioreq;, ut dicebamus ex *Aristotele*; à quo dissentit Plutarchus, qui Mixolydium cōcentum affectibus refertum & Tragœdiis aptum facit. Reperisse eum primam *Sappho* Aristoxenus autor est, ab ipsaq; Tragicos didicisse, qui postea conjunxère *Mixolydios* modos *cum Doriis*, quorum alteri majestatē atq; auctoritatem, alteri affectus afferrent. *Damon* verò Atheniensis, ejus offensus gravitate adeò flexisse eam dicitur, ut illi contrariam fecerit: quam iccirco *Lydiam remissam* dici voluit.

Dorica igitur (ut pauci multi connectamus) erat apta animis componendis, perturbationum fluctibus æstuantibus, unde & Aristoteles sanxit pueros docendos τῇ δωριστὶ, quia media sit καὶ πρὸς τὴν ἀνδρείαν μᾶλλον. Hanc Plato in Lachete Harmoniā vocat μόνην ἑλληνικὴν, solā Græcā: *Æolica* exultationibus; *Ionica* vetus aspera, nova mollis. *Phrygia* & Lydia proximæ, utraq; acuta, hinc luctib. adhibitæ, quemadmodum 1. *Olympum*

pum ferunt cecinisse *Lydiis* modis Epicedia. Alii *Menalippidæ* attribuunt. Contra *Niobes nuptiis*, verum aliorum more, *Pindarum* accommodasse *Lydios* modos scripserunt.

Lucianus in Harmonide. καὶ ἐκδίδης, ait, ἁρμονίας διαφυλάττειν τὸ ἴδιον. τῆς Φρυγίου τὸ ἔνθεον, τῆς λυδίας βακχικὸν, τῆς δωρίου τὸ σεμνόν. Athen. li. 14. mentionem inijcit ἁρμονίας τῆς λοκρικῆς, quam animi affectus & mores scribit indicare.

Postremo Scaliger *Legum* (νόμων) *musicarum partes* omnibus modis communes facit has: θέσιν, soni demissionem in bisyllabis, ἄρσιν in trisyllabis, βάσιν æquabilitatem eodem tenore procedentem in pæconibus & proceleumatibus.

Συζυγίαν & διποδίαν reipsa dicit idem. Sed in longis pedibus διποδία non dicitur: breves enim unico tantum metro comprehenduntur. συζυγία autem tàm in δισήμοις & bisyllabis, quàm τρισήμοις, trium temporum & polysyllabis. Commune enim nomen ad utramque conjunctionem & longiorum & breviorum.

Plutarchus lib. de Musica de tibicinum nomis scribit. Traditum est., inquit, *Olympum*, cùm esset tibicen, è *Phrygia*, tibicinum *nomum* fecisse in *Apollinem*. Hunc *Olympum* ajunt avum fuisse eorum; qui descenderunt à primo *Olympo, Marsyæ* discipulo, qui nomos in Deos fecit. Is enim cum amasius esset Marsiæ, & ab eo artem tibia canendi didicisset, harmonicos nomos *in Græciam* intulit, quibus nunc Græci utuntur inferiis Deorum.

Verùm quia alibi plura scripsimus de Harmoniis, hìc calamum scriptionemque sistamus.

Caput IX.

DE PERITIS quibusdam Tibicinibus & Auletices cultoribus.

FUit olim apud *Græcos* omnes summo in pretio Musica, ideoq; tibicinum artem, summo studio discere cupiebant, eratq; auletice ipsa, ut loquitur *Athen.* lib. 14. περισπούδαστος.

Itaq; Chamæleon Heracleotes in lib. quem Exhortatorium inscripsit, tradit LACEDEMONIOS ac THEBANOS omnes huic arti operam navare, prætereaq; suo seculo HERACLEOTAS, qui Pontum incolunt & ATHENIENSIUM splendidissimos ut CALLIAM Hipponici filium, & CRITIAM Callæschri. Telestes enim in Argo tanquam divinam, hanc artem extollit, τὰν ὦν, ait, περὶ θειοτάταν Βρομίῳ &c.

Hanc artem maximè divinam, Bromio concessit veneranda dea (Minerva) sublimis & elatus spiritus, cum eleganti & arguta velocis manus celeritate. Laudi namque est tibicini εὐχειρία καὶ ταχυχειρία, apta & velox manus motio vel agitatio.

Hinc multi quoq; PYTHAGORICI hanc artem exercuerunt, ut EUPHRANOR, qui de tibijs librum conscriptum reliquisse memoratur, & itidem ARCHYTAS. Aristophanes in convivatoribus, quanto studio huic arti quondam incubuerint, palam facit, cùm ait: ὅστις δ' αὐτὴν αὐλοῖς καὶ λύραις κατατέτριμμαι χρώμενος, εἶτα με σκάπτειν κελεύεις. *Cùm ejus gratiâ tibijs lyrisq; tractatis mihi obtritæ manus sint, fodere nunc jubes.*

Tibiarum item ALEXANDRINI erant peritissimi. Nec earum solùm, quæ virgineæ puerilesq; vocabantur, sed earum etiam, quas viriles, perfectas, citharisterias, dactylicas &c. dicebant, referente *Philip. Camer.* cent. I. oper. subcis. cap. 18. & *Athen.* lib. 4.

Notatu dignissimum est Hedyli Epigramma de Theone ipsiusq;

filio THEONEM *μόναυλον* appellat, qui monaulo sciret canere, metri lex vetabat dicere *μοναύλης*.

> Τοῦτο Θέων ὁ μόναυλος ὑπ' ἠρίον ὁ γλυκὺς οἰκεῖ
> Αὐλητὴς μίμων κὴν θυμέλῃσι χάρις, &c.

Hos Græcos versus interpres *Athen.* lib. 4. sic vertit.

> *Hoc* Theon Monavlus *sub tumulo festivus situs est*
> *Tibicen, mimorum etiam in pulpitis ipsa gratia:*
> *Cæcus initio senectutis. Gnatum ille Scirpalum*
> *Ad huc infantem Scirpalum Eupalamum,*
> *Natales suos cantans: ut qui potuerit* (*ripere.*
> *Vel primoribus in hac arte viris ejus venustatis gloriam præ-*
> *Glauces musa consuetos lusus ille tibia personabat*
> *Et inter juvenes lepidum compotorem Battalum,*
> *Vel Cotalum etiam, vel Pancalum: at Theoni*
> *Calamavlitæ jam dicite, vale Theon.*

Ad quos versus Hedyli, *Isaac. Casaub.* in Athen. lib. 4. c. 14. hæc annotat:

εὐπαλάμους Græci vocant homines manu solertes: Poëta ait: *Scirpalum nomen hoc filio suo imposuisse, animo præsagientem futuram illius τῆς αὐλητικῆς peritiam. Tibicinum enim & eorum omniū, qui tractant organa ἐντατὰ καὶ ψηλαφητὰ, eruditos digitos esse oportet.* Sic paullò pòst ait *Athen.* EPIGONUM fuisse *μουσικώτατον κατὰ χεῖρα*. Significat & versu 6. cantilenarum illius dulcedinem. Et postea ait nomen Eupalami omen habuisse & evasisse illum tibicinum suavissimum. Ille enim tibia canebat musto ebria ludicra deorum, v. 7. Battalus, Catalus & Pancalus nomina sunt sodalium Theonis, sive Eupalami, qui soliti dies condere cum ipso potantes, meritò igitur Poëta illos testes ciet dulcium Theonis modulaminum.

Nobilis arte inflandi tibias fuit CEPHESIAS, cujus, cùm aliquando discipulū cecidisset, qui contentius æquo inflasset tibias, elogium hoc sanè divinū: οὐκ ἐν μεγάλῳ τὸ εὖ ἀλλ' ἐν τῷ εὖ, τὸ μέγα. *Scal.* lib. 1. Poët. c. 18.

Thebis Bœotijs posita est statua PRONOMI tibicinis, qui unus maximè appositè omniū ad aures multitudinis per mulcendas tibijs cecinit: & totius corporis motu mirificè spectatores in theatris delectavit. Huic

viro

viro Thebani & *Epaminondæ Polymnidis filio* in eodem loco statuas posuêre, Pausania teste in Bœoticis. Unde distichon illud:

> Ἑλλὰς μὲν Θήβας προτέρας προέκρινεν ἐν αὐλοῖς
> Θῆβαι δ' Προνόμον, παῖδα τὸν οἰνιάδου.

SACADAS tibicen, primus Pythicũ carmen Delphis cecinisse scribitur, & *Apollinem* iratum tibicinibus, propter *Marsyæ* & *Sileni* certamina, reconciliasse, apud Pauſ: in Corinth. ANTIGONIDES Satyri F. Thebanus tibicen calceamentis Milesiis & lascivioribus primum usus est. Hujus meminit Plinius. Idem, ut est apud Cic. in Bruto, discipulo frigenti apud populum dixit: *Mihi cane & Musis*. De eo vide nonnihil apud Gellium.

ISMENIAS Choraules peritissimus, *Antigenidis* discipulus, teste Boëthio, multis ægritudine laborantibus omnes animi molestias abstersit. (ut supra c.15. Membri 1. dictum) *Graviores enim animi motus musico concentu demulceri componiq; ignorat nemo*. Illustre & certũ in Saule est exemplum, omnibus Christianis notum, ut alibi dictum. Et Apollonius in historijs mirabilibus scribit ex Theophrasti sententia, μουσικὴν πολλὰ τῶν περὶ ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα γιγνομένων παθῶν ἰατρεύειν. ἰᾶται γὰρ φησὶν ἡ καταύλησις καὶ ἰσχιάδα καὶ ἐπιληψίαν. Et testatur idem paullò pòst, plurimos adhuc suâ ætate præsertim *Thebanos*, cantionem tibialem ad *morborum medelam* adhibuisse. Galeno καταυλεῖν τοῦ τόπου est super affecto loco tibia canere. Verùm ut ad *Ismeniam* revertamur, solitus ille erat stellis uti fulgentibus & preciosis, ut ea ars pluris æstimaretur. Itaq; Smaragdũ in qua sculpta fuerat Amymone, sex aureis denarijs in Cypro judicatã emit. Et cùm duo relati essent, imminuto precio, malè curatũ inquit; multũ n. detractum est gẽmæ dignitati. Hujus æqualis & æmulus fuit DIONYSIODORUS, ut scribit *Plinius* lib. 37. c. 1.

BATALUS Ephesius tibicen, calceamentis fœmineis primus omniũ in scena usus est, fractisq; cantibus tibiarũ *artem emollivit*. Hinc *Batali* vocantur *homines mulierosi*, & parùm viri homines. Erasmus in Adag.

AGATHON quoq; tibicen, alioqui cantilenarum suavitate commendabilis, sed mollitiei nota famosus. Ab eo *Agathonia cantio dicitur oratio blanda magis, quàm fructuosa*. Suidas & Zenodotus.

PHILISTUS Milesius Orator, musicæ primùm operam dedit, evasitq; clarissimus tibicen. Ad oratoriam demum conversus, auditor fuit Isocratis, qui eum αὐλοτρύπην vocabat. *Suidas*.

TELLEN tibicen & *Poëta* melius, (cujus meminit Diarchus Messenius) qui suavitate cantus sequenti proverbio locum fecit: ἄειδε τὰ Τέλληνος, *Cane ea, quæ sunt Tellenis:* quod *optima* fuissent. *Volaterranus*. lib. 20. Anthropolog.

XENOPHANTUS tibicen in funere regis *Demetrij Poliorcetis* carmen sacratissimum accinuit: cui *concinente remigio*, clangor cum modulatione quadam velut in planctu respondit carminū ad tibias ambitibus; ut scripsit *Plutarchus* in Demetrio.

Fuit & alius Musicus, XENOPHILUS, patria Chalcidensis, qui annos 107. vixit, citra ullum corporis incommodum, quæ magna est homini felicitas. Autor Plinius.

SCOPELINUS tibicen, *pater Pindari*, Lyricorum Principis; apud *Gyraldum* de Poët. hist.

MIMNERMUS Colophonius Poëta eliographus & tibicen clarissimus: apud *Strabonem* lib. 14. & *Volater*. lib. 17.

EVIUS tibicen Hephæstionis, tanta fuit in existimatione, ut ei ædes restituerit, quas *pueri Eumenis* priores ceperant: apud *Plutar. in Eumene*.

LAMIA, ætate Demetrij formosa meretrix, tibijs optimè fertur cecinisse, & canendi suavitate magnam apud homines promeruisse gratiam. Quâ arte *Demetrium* Poliorcetem inescavit, ut illá nihil haberet carius, quod majore benevolentiâ prosequeretur, autore *Plutarcho*.

EUCERUS fuit tibicen, natione Alexandrinus, ut est apud *Cornel. Tac.*

CANUS fuit choravles & tibicen, qui multas pecunias accepit à Galba, cùm eum in Cœna delectasset. *Mart.* lib. 10. Et concupiscat esse Canus ascavles. Tranq. Cano autem choravlæ mirè placenti denarios quinq; donasse prolatos manu sua peculiaribus loculis suis.

TONI-

Tonius nomen fistulicinis pagani apud Mantuanum scribentem in Bucolicis:

Et cum multifori Tonius cui tibia buxo.
Tandem post epulas & pocula multicolorem
Ventriculum sumpsit, buccasq; inflare rubentes
Incipiens oculos aperit, ciliisq; levatis
Multotiesq; altis flatu à pulmonibus hausto
Vtrem implet, cubito vocem dat tibia presso.
Nunc huc, nunc illuc digito saliente vocavit
Pinguibus à mensis Iuvenes ad compita cantu
Saltidico, dulciq; diem certamine clausit.

Pronomus tibicen fuit, qui barba utebatur promissa, & vestitu nimis accurato, adeò ut mollitiei suspectus haberetur.

Macrob. scribit, Octavium Herenum fuisse quempiam prima adolescentia tibicinem, qui artis suæ diffisus, mercaturam posteà instituerit.

De aliis tibicinibus passim & sparsim dictum, hæc modo scripsisse sufficiat.

Caput X.

De Imperitis quibusdam Tibicinibus, deq; tibiarum ὀλιγωρίᾳ & contemptu.

Bervulgato tritum est sermone veriverbium; *Ars non habet osorem, nisi ignorantem:* quod ipsum in præsenti negotio verum. Imò nulla res ad tantam pervenit perfectionem, adeò ut imperitæ multitudinis morsus effugere potuerit virulentos, de quâ vere illud dictum: *παντός τοῦ καλοῦ πράγματος φαῦλος κριτὴς ὁ ὄχλος*: Unde antiquitus ignorantiæ argumentum habebatur â vulgo probari: Cum *τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν* sit *τοῖς σοφοῖς ἀπαρέσκειν.* Vulgus

namq; de illis rebus, quæ laude digna, imperitè judicat, meritamque laudem detrahit, & contrà laude indignis laudem defert. Unde discipulo suo frigenti apud populum dixit Antigenides, *Mihi & Musis cane*, ut citat Cic. in Buto: & cap. 9. dictum est.

Propterea vulgi applausus & suffragia parvi fecerunt, quod Ælianus memoriæ tradidit de *Hippomacho* Tibicine, qui cùm videret à *plebe* laudari discipulum, quem tamen in arte peccare cognoscebat, baculo tactum desistere, jussit maximum, inquiens, erroris κριτήριον & argumentum esse, quòd ab ignarâ turba laudaretur. Cumq; Tibicini cuidam applausum fuisset, cõmoraretúrq; in proscenio adhuc *Asopodorus Phliasius*, Quid hoc? inquit, manifestum certè est, ingens aliquod malũ accidisse, quía non alio pacto à pluribus probaretur: apud *Athen*. lib. 14.

Et quod *imperitos Tibicines* spectat, & temerario quodam ausu artem ostentantes, non modo reprehensionis, sed pœnæ meritam quoq; incurrere notam certum est. Hinc in sacrificio tibias inflaturo *inscito* quodam *Tibicine*, bona ominari me oportet, inquit *Stratonicus*, libemus jam atq; Deos precemur.

Ritibus namq; sacrorum receptum olim, ut cùm sacra facerent, abstinerent ab omnibus malis verbis: propterea, qui aderant, monebantur *præconis* voce, ἐυφημεῖν, id est, favere linguis, & parcere verbis malè ominatis, attestante etiam *Ovidio* lib. 1. Fastorum;

Prospera lux oritur, linguis animisq; favete.
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.
Lite vacent aures, insanaq; protinus absint
Iurgia: differ opus lucida turba tuum.

Id verò maximè desiderabatur, cùm diis vota facerent: Hinc jocus hic Stratonici. Nam cũ inciperet tibias inflare Tibicen indoctus & malus, homo facetus significans malum hujus sonum non minùs, quam mala verba, à sacris summoveri debere, quando, inquit, ἐυφημία *ad preces necessaria, peractis istis, Diis vota nuncupabimus*, hoc est, postquam tibicen iste inflare tibias desierit: desinebat autem libatione & reliquis sacrorum ritibus peractis.

Telephanem inflare tibiam auspicatum, ut cantionis suę modos ac so-

num

num benè adaptaret, id ineptè facientem reprehendit, & velut ructare dixit idem *Stratonicus*.

Idem *Phaonem* tibia *Canere* dicebat non Harmoniam, sed *Cadmum*. Cadmi vita fuit calamitosissima. Propterea, qui malè & miserabiliter canit, is *Cadmum canit*. Athen. lib. 8.

Et dignas sanè suæ imperitiæ & temeritatis dedisset pœnas *Babys* frater Marsyæ quando *Apollinem* ad canendi certamen provocavit, nisi *Pallas* intercessisset, admonens, illum usq; adeò infeliciter & indoctè tibiis canere, ut omninò negligendus esse videretur, *κάκιον* ait, *βάβυς αὐλεῖ*. Quibus verbis commotus & pacatus Apollo, Babyn adeò contemsit, ut eum ne supplicio quidem dignum existimaret, sed sua potiùs inscitia satis graviter punitum crederet, unde proverb. natum. *Babys multò deterius cantat*, ut scribit *Erasmus* in Adag.

Præterea in quibusdam malè feriatis hominibus imperitia cum contemptu est, unde illa non hominis, sed bruti vox, *Scytarum Regis Ateæ* qui *Ismeniam* (alii scribunt Hismeniam) Tibicinem jussit in convivio tibia canere. Stupentibus autem tibiæ modulamine, cæterisq; plaudentibus, ipse Rex malle juravit se *hinnientem* audire *equum*: Usq; adeò aures à Musis remotas, animumq; in præsepibus habebat, non ad Musicam, sed ad Asinos & Equos audiendos natum; ut autor est *Plut.* orat. 2. de fort. Alex.

Hunc *Ismeniam* cum audiisset *Antisthenes Cynicus* à quodam deprædicari, ut optimum Tibicinem: At inquit, est homo nequam; Non enim si probus foret, Tibicen esset. *Plut.* in vita Periclis.

Sic in contemptum tibicinum *proverbio* jactatum fuit apud Priscos, ut legitur apud *Athen.* lib. 8. *Tibicinibus nihil esse mentis*, his versibus:

Ἀνδράσι μὲν αὐλητῆρσι θεοὶ νόον οὐκ ἐνέφυσαν,
ἀλλ' ἅμα τῷ φυσᾶν χ' ὡ νόος ἐκπέταται.

Id est:

Dii Tibicinibus nunquam mentem inseruêre,
Sed simul ac flarint, avolat illicò mens.

De quibus versib. If. Casaub. *in Athen. lib. 8. c. 4. sic scribit*: Non *carent difficultate, inquit, versiculi lepidissimi, quib. negatur* mens inesse tibicinibus.

Posteriore istorum versuum dicuntur Tibicines, dum tibias in-

flant, mentem amittere. Si amittunt, Ergo habent. Quare falſum illud in priore, θεοὶ νόον οὐκ ἐνέφυσαν. Aut igitur commodâ interpretatione molliendum, quod dictum videtur duriuſculè. Et accipiendum quaſi diceret, Datam quidem & Tibicinibus mentem à Diis: ſed non firmam, nec perpetuam: verum quæ tunc illis adimatur, cùm tibias inflant. Aut legendum.

Ἀνδρὶ μὲν αὐλητῆρι θεοὶ νόον εἰ ἀνενέφυσαν
ἀλλ' ἅμα τῷ φυσᾶν χ' ὁ νόος ἐκπέταται.

Stant ab hac emendatione particulæ μὲν & ἀλλὰ, ſi volumus earum vim rectâ ratione expendere.

Alcibiadem excuſant, quòd *tibias rejecerit*, earundemque ſtudium improbarit, non tamen abſque ratione, quia colloquia tolleret, & ori deformitatem afferret, adeò ut vix â familiaribus agnoſci poſſit facies. Tum etiam eo nomine vituperaſſe ajunt Alcibiadem tibiarum artem, quod Numinum quoque judicium induceret: *Palladis* inprimis, quæ quum ſe cerneret in *Tritonide* palude facie deformari, quum buccas inflaret, tibias infregit.

Melanippides de Minerva tibias projiciente, & tibicinum artem vituperante ſcribit his verbis: ἔρρετε ἔχεα σώματι λύμα. ἐμὲ δ' ἐγὼ κακότητι δίδωμι; Abite *in malam rem corporis probra turpia. Egone animum applicem rei turpi.* κακότητα appellat τὴν τῆς προσώπου ἀσχημοσύνην, id eſt, inde coram vultus compoſitionem tibias inflantium. *Ovid.* lib. 6. Faſt.

Ars mihi non tanti eſt, valeas mea tibi dixit.

Apud *Plut.* περὶ τῆς ἀοργησίας Satyrus ut tibias abjiciat ſic Minervam monet: οὔ σε πρέπει, ait, τὸ σχῆμα· τοὺς αὐλοὺς μέθες καὶ θ' ὅπλα λάζευ, καὶ γνάθους εὐθημόνει. Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. προνοητέον δὲ μάλιστα τῆς εὐσχημοσύνης. ᾗ καὶ τὴν Ἀθηνᾶν, φησὶν ὁ μῦθος, ἥτις ποτὲ ἦν, προμηθουμένην αὐτῆς τῶν αὐλῶν ἀπορρῖψαι τὸ ἐπιτερπὲς, διὰ τὸ ἀπρεπὲς τῆς ὄψεως.

Teleſtes in Argo hac de re ita ſcribit:

In montium nemoribus divam Minervam,
Deformitatem oris viſu turpem expaveſcentem,
Inſtrumentum ſtatim è manibus abjeciſſe.

Athenis quoque fuit *Minerva*, *Marſyam* Silenum cædentis, *imago*,

quod abjectas à ſe tibias ſuſtuliſſet; ut ſcriptum reliquit *Pauſanias.*

Ariſtoteles etiam lib.8. Polit. cap.6. potiſſimum tibias è puerorum inſtitutione abjiciendas cenſet, tum quia non ſit organum ἠθικὸν ἀλλὰ μᾶλλον ὀργιαστικὸν, ad mores mitiores exprimendos & inſerendos aptum ſed potiùs ad animos furore quodam Bacchico ſtimulandos accommodatum. His accedit tibiam hoc habere inſtitutioni & doctrinæ adverſarium, quòd tibiæ cantus prohibet ratione uti, τὸ κωλύειν τῷ λόγῳ χρῆσθαι τὴν αὔλησιν. Quocirca, ait, rectè veteres ejus uſum in pueris ac liberis hominibus improbarunt, cùm antea eo uſi eſſent: poſteriùs verò ſpreta eſt atq; improbata tibia, cùm jam melius, quid ad virtutem facerет & valeret, quid non, judicare poſſent.

Tum verò probabilius eſt, propter quod tibiarum inflandarum diſciplina nihil ad mentis agitationem conferat, ὅτι πρὸς τὴν διάνοιαν οὐθὲν ἐστιν ἡ παιδεία τῆς αὐλήσεως. *Minervæ* autem *ſcientiam* & *artem tribuamus*, hanc dicit eſſe cauſſam, quod tibias Minerva abjecerit, ut diximus.

CAPUT XI.

DE CYTHARÆ & LYRÆ notatione, Inventione, partibus, chordarum numero & circa illum Lacedæmoniorum ſeveritate, modis & cantu.

EX genere illorum Inſtrumentorum Muſicorũ, quæ ὄργανα κατὰ μίτον quæ fidibus, nervis vel chordis intenduntur, unde & χορδαῖς διειλημμένα, ἔντατα, καθαπτὰ & ψηλαφητὰ, quæ fidibus intenſa attrectantur vel digitis, aut plectro, ſive arcu ex pilo equino fides illidente. Et inter alia ψηλαφᾶν Euſtath. dicit eſſe muſicum vocabulum, proprieq; de chordarum contactu dici. *Ariſtot.* lib.8. Pol. cap.6. hæc inſtrumenta vocat ὄργανα δεόμενα τῆς χειρουργικῆς ἐπιστήμης, id eſt, quæ ſcientiam, in manuum opere muneréq; poſitam, deſiderant. Ex horum, inquam, inſtrumentorum genere prima oc-

currit *Cithara*, quam quidam à Lyra vel Testudine separant, atq; illam *Apollini* attribuūt inventori, *Lyrā* verò *Mercurio*. Cui obstare videtur, quod signum *Apollinis*, quod arcum dextrâ, lævâ Charites habuit, quarum una lyram, non citharam: altera tibias: tertia fistulam ori admoveret. Qnid quòd *Mercurius* primus commentus esse scribitur *ex Testudine citharam*. Lyram autem antea fuisse Chelyn, vel testudinē appellatam memorat idem Eustathius. Posset igitur hinc colligi citharam eandem esse cum lyra. Interim tamen videtur inter hæc organa fuisse quoddam *discrimen*. Nihil tamen certi de hac re statuere licet, cum promiscuo non rarò usu accipiantur.

Dicta autem fuisse putatur κιθάρα, quasi κινοῦσα, vel κέλθουσα τοὺς ἔρωτας, ut ex antiquis tradit Eustath. Vocatur item κίθαρις, quæ vox etiam pro *citharæ cantu*, atque interdum pro ipsa citharistica *arte* usurpatur. Quod ex Homero constat, Odyss. α, κήρυξ δ' ἐν χερσὶ κίθαριν περικαλλέα θῆκε Φημίῳ, Præco autem in manus citharam perpulchrā posuit Phemio. *Citharæ cantum* significat Odyss. θ. Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη κίθαρίς τε χοροί τε semper autem nobis conviviumq; gratum, citharæq; cantus, choriq;. Iliad. ν.

———— ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν, alij citharam & cantum, id est κιθαριστικὴν scilicet τέχνην citharæ artem alij Deus tribuit. Dicitur & cithara alio nomine Φόρμιγξ, ut apud Homer. Iliad. σ.

Τοῖσιν δ' ἐν μέσσοισι πάϊς φόρμιγγι λιγείῃ Ἱμερόεν κιθάριζε.

Hos autem inter medios, puer cithara sonora suaviter citharizabat. Eustathio hęc vox deducta videtur παρὰ τὸ φρείμιον, quod per syncopen dicitur pro προοίμιον, *Proœmium*, quod citharœdorum est proprium. Prius enim, quàm cantiones instituant, modos quosdam faciunt, quibus introducāt & attentos reddant auditores. Alij ita explicant, & dictam volunt παρὰ τὸ πρηγνῦσθαι τῆς οἴμης, quasi προοίμιγξ. In *conviviis* namq; *Deorum* solitum fuisse *Apollinem* citharam pulsare, deinde *Musarum cantum*, seu carmina fuisse subsecuta, prodidêre. Hinc apud Pindarum è secundo εἴδει Olympiorum ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι dicuntur, *hymni* vel cantilenæ, quæ *ad citharæ modos* canūtur, vel ad quas,

tan-

tanquam ad regulam, νόμοι, vel leges citharœdicæ accommodantur. Eurip. verò ſcripſit δυσφόρμιγγα ἄταν luctuoſam calamitatem: quaſi, quæ *lamentabili* & in ſuavi *cithara* ſono ſit decantanda.

Quo modo *Orpheum* ad inferos, ſumptâ citharâ, deſcendiſſe, atque cum mirificam quandam lamentationem ob denatam *Eurydicen* ceciniſſet, lacrymas inferis excitâſſe memorant.

Λύραν, autem appellatam notat Euſtath. quaſi λύτραν, ut ſcribit *Nat: Com. lib 5. Mythol. cap. 5. Mercurium*, ait, *primùm fuiſſe inquiunt, qui* lyram *invenerit, ut ſcriptum reliquit Pauſanias in Eliacis prioribus, quam etiam* Apollini, *cùm pax inter illos poſt furtum orta eſſet, largita eſt.* Unde Lyra quaſi *lytra* dicta fuit, præmium ſcil. & compenſatio pro bobus.

Et porrò *lyræ inventionem* ita deſcribit: *Erat autem* teſtudo, *quæ* χέλυς *à Græcis vocatur, in hunc modum formata, ut ait* Lucianns in dialogo Apoll. & Vulc. cùm *teſtudinem* mortuam ad *ripas* Nili *inveniſſet, brachia adaptavit, ac jugum induxit, calamosq́ poſtea agglutinans, & fundo ſubjecto quodam, ac novem deinde chordas ſuper calamis, tanquam anſulis intendens, jucundum quid modulatus eſt.* Id cùm in monte *Cyllene* proximo feciſſet, mons *Chelidorta* vocatus fuit, teſte, *Pauſania in Arcadicis. Nat Com. Mythol. lib. 5. cap. 5.*

Alij dicunt *tetrachordum* prius inveniſſe, ac *linum pro chordis intendiſſe*, quia chordæ nondum eſſent inventæ. Hanc *ſeptem chordarum* fecit *Apollo*, accommodans ad *Panos* fiſtulam Jovis & Thymbris filij. Nam hic lino ſoluto & adempto chordas intendit, unde dictus eſt *linum inveniſſe. Nat.* lib. 5. cap. 5. Cujus rei breviter meminit *Nicander* in Alexipharmacis:

> Αὐδήεσσαν ἔθηκεν ἀναύδητόν περ ἐοῦσαν
> Ερμείης &c.

Id eſt:

> *Muta priùs fuerat, vocalem reddidit illam*
> *Mercurius: demptâ carne è teſtudine, fundo*
> *Brachia bina locat, ſuper his chordasq́ tetendit.*

Idem Homerus teſtatur hymno in Mercurium:

> Ερμῆς τοι πρώτιστα χέλυν τεκτήνατ' ἀοιδόν

Mercurius utiq; primum testudinem fabricatus est canoram.

Postea *lyræ* vel testudinis *fabricationem* his versibus describit:

Πῆξε δ' ἄρ ἐν μέτροισι ταμὼν δόνακας καλάμοιο,
Πειρήνας διὰ νῶτα διὰ ῥινοῖο χελώνης: &c.

Id est:

Fixit utiq; in mensuris sectis arundinibus calami
Protensis per dorsa in pellem testudinis.
Circa autem pellem extendit bonis consilijs suis:
Ac cubitos (πήχεις) *imposuit, jugum* (ζυγὸν) *autem aptavit ambobus.*
Septem autem concinnas ovium extendit chordas,
Verùm postquam construxit ferens amabile ludicrum,
Plectro commovebat partim, hæc autem à manu,
Graviter insonuit, Deus autem pulchrè canebat
Ab extemporaneo conatus.

Ex quibus versibus præter alia *lyræ* vel testudinis *partes* percipere licet, quas has numerant.

Πῆχυς dicitur pars citharæ, vel lyræ, *verticillos continens*, quibus fides intenduntur & laxantur; ipsi autem *verticilli*, quibus fides vertũtur & intenduntur, dicuntur κόλλοπες, item κόλλαβοι, Eustath. κόλλοψ, ὁ παρὰ τοῖς ὕστερον κόλλαβος, δι' οὗ τείνονται αἱ χορδαί. Quidam scribunt ita dictos ab ipsa *materia*, ex qua fiunt. Est autem κόλλοψ *corium* durius, in cervicibus & dorsis boum aut ovium. Hom. Odyss. φ.

ὡς ὅτ' ἀνὴρ φόρμιγγος ἐπιστάμενος καὶ ἀοιδῆς, &c.

Sicut quando vir citharæ peritus & cantus
Facilè extendit novo in sinu (κόλλοπι) *chordam,*
Tangens utrinq; benè retortum intestinum ovis.

Et Lucianus. ἐνάψας δὲ νεῦρα, οὐδὲ κόλλοπι περιστρέψας, ἐμελῴδει ἄμουσόν τι καὶ ἀπῳδὸν, quibus verbis significat, Si quis tangat *& attrectet chordas, non* priùs justa soni *proportione verticillis intensas*, absonum & à *musica alienum concitari* strepitum, ἀγκῶνες item dicuntur *cornua citharæ.* Ζυγὸς in cithara vel lyra dicitur *jugũ* & pars illa, quam sinistra manus amplectitur. Sic observat *Theophrastus* lib. 5. de plantis, *ilicem* arborem esse utilem non simpliciter ad lyram, verùm ad ζυγὰ tantummodò.

πλῆκτρον in cithara, vel lyra dicitur id, quo fides ejus pulſantur. Pulſant enim radiolo, altera manu fides citharoedi, quod *plectrum* à percuſſione appellarunt: alterâ manu premunt nervos certis intervallis. Primus *Demopœtus* Sicyonius *plectri officium* ad ſolam manum tranſtulit. Quidam ab *Epigono* primùm omiſſum plectri uſum ſcribunt. Sic unguibus & digitorum ſummitate etiam nunc citharæ nervos temperant. Cujus autem chordæ ferreæ, aut ex orichalco ſunt, *pennâ* modulantur. Etiam digitalia argentea induerunt, quorum extrema pennarum cuſpidibus muniantur.

Lyram autem non plectri percuſſione, ſed *ſetarum* intentarum attritu tangunt, ut ſcribit *Scaliger lib. 1. Poët. c. 48.* qui, quod ſuprà dicebamus, *de Mercurio Lyræ inventore* ita ſcribit: *Lyra inventum Mercurio attribuunt: quum ad aridam teſtudinem offendiſſet pedem. Animadverſo enim, quem ex intentis nervis ediderat, ſono, lineas chordas intendiſſe. Deinde quum fratris Apollinis furto boves abegiſſet, iram ac ſupplicium novo chelys invento redemiſſe: viciſſimq; ab Apolline caduceum accepiſſe. Hujus hanc vim fuiſſe quidam ſcribunt, ut facile pax inter quoſvis, eâ virgâ interpoſitâ, conciliaretur. Ejus cùm vellet experimentum rei facere Mercurius, inter duos angues acerrimè inter ſe dimicantes, illam conjecit, qui repente facti ſunt amici, unde virga illa poſteà geminis anguibus circumvolutis fuit inſignita, qui concordiæ ſecuritatem denotabant, ut memorat* Nat. com. *lib. 5. Myth. c. 5. &* Servius *in 4.* Æneid. ſed ad lyram revertamur.

Acceptam Apollo *Lyram* ad *fiſtulæ*, cujus eſſet author Pan, *modulos* lineis exemplis chordis, atq; *nerveis* intentis adaptaſſe. *Nervos ſeptem* eſſe numero inſtituit: quot ipſe menſes in utero fuiſſet genitricis. Quam ob cauſſam ἑπτάκτυπον vocat Lyram Pindarus Pyth. β. ejus interpres ἑπτάμιτον. Nam eâdem chordâ ſeptem alioqui ſonos edimus. Sunt autem *Nervi* vel *chordæ*, fides ex inteſtino contorto & arefacto, quæ muſico inſtrumento intentæ, pulſu melodicos ſonos reddunt. Dicitur & λίνον *linum* chorda citharæ, quòd olim ex lino fieri ſolerent, quemadmodum & μίτοι, vel *fila* à Philoſtrato appellantur, unde ὄργανα κατὰ μίτον vocata dicebamus, ſic Syneſius hym. 8. ὑπὸ Δώριον ἁρ-

μογάν ἐλεφαντοδέτων μίτων λύρας Σπάσω λιγυρὰν ὄπα ἐπεὶ σοι μάκαρ. Ex ferro itẽ & chalybe, & orichalco fieri cõsuevere fides: *χορδοτονία* dicitur chordarũ *intentio* in lyra & instrumentũ *χορδότονον*, quo chordæ intenduntur.

Sed ut ad chordas redeamus, *octavam* additam scripsit Aristoteles, neque tamen eam, quæ media vocabatur antè, nomen amisisse. Alii ab *Apolline novichordam* scribunt Lyram editam, à *Musarum numero*, ut ait interpres Arati. Tametsi cum *Decachordo* etiam pingebatur: quippe cum Musis esset ipse decimus. Per quem numerum Fulgentius *decem humanæ vocis modulamina* denotari affirmat: *nempè* quatuor primores dentes, *quos lingua percutiat*; duo labra, *quæ sint veluti cymbala verborum*; linguam, *plectrum*, palatum, *cujus concavitas proferat sonum*; asperam arteriam, *quæ est meatus spiritatis: &* pulmonem, *qui veluti follis conceptum spiritum reddat & revocet*. Argivi verò *mulctam* dixêre iis, qui *pluribus septenis* uterentur. Neque enim jus erat, inquit *Plutarch.* lib. de Musica, quondam pro sua cuique libidine, ut nunc, fidibus canere, neque harmonias & numeros immutare. Siquidem singulis carminibus suam retinebant intensionem. Hinc cognomen apud Græcos invenerunt, ut *νόμοι* dicerentur, quasi leges: quòd cujusque intensionis receptam formam violare nefas foret. Hinc gloriari soliti *Lacedamonii*, se *τρὶς ἤδη σεσωκέναι διαφθειρομένην τὴν μουσικὴν* h. e. ter à se musicos esse coërcitos, qui in emendanda veteris musicæ harmonia perversè fuerant ingeniosi. Rectè scriptum *τρὶς* consentiente historia, quæ in *tres* Musicos *Terpandrum*, *Timotheum* & *Phrynidem* similem ob causam animadversum testatur *Casaub.* lib. 14. c. 6. in Athen. Et quidem in senatusconsultò Lacedæmoniorum, quo *Timotheus* urbe pellitur, duæ notantur causæ, *primò* quòd veterem musicam novis corrupisset inventis: *deinde* quòd indecoris figmentis suis de *Semelæ* partu juventutis animos corrumperet. Fecerat enim Semelem in *Bacchi* partu deformiter & indecore ejulantem, nullâ habitâ ratione majestatis illius Dei: quem par erat minore matris cruciatu & aliis legib. venisse in hanc lucem, quàm è vili popello homunculum aliquem *Casaub. lib. 8. c. 11.* Decretũ illud Litius *Gyraldus* de Poë hist. dial. 9. ex Boëtio his *verbis* recitat, annotante *Camer.* in operis subcesivis cent. 1. c. 18.

Quoni-

Quoniam *Timotheus* Milesius, in nostram veniens civitatem, antiquū cantum neglìgit, & septichordem citharam aversatus, multarum vocū consonantiam, h. e. polyphoniam inducens, infecit auditus juvenū per *chordarum multiplicitatem*, i. e. polychordiam & recentissimum melos induxit, & *variam* pro simplici & ordinata circuminduit modulationē, in chromaticum constituens *melιdiosin*, pro *enarmonio* faciens antistrophon alternam; accitus verò in Eleusiniæ Cereris certamen, indecentē dispersit fabularum successionem; *Semetes* n. dolores non sat justè juvenes docuit: Edoceri dicimus de his Reges & Ephoros, accusandū esse Timotheum, reassumendam verò undecim chordarū lyram excidentes superfluas, relicta septichordi cithara, ut quivis intuens urbis gravitatem, caveat in Spartam inferre quidpiam inhonestarum, indecentiumque consuetudinum.

Sic *Marc. Tull* 2. de leg. succinctè scribit: Illa severa Lacedæmon nervos jussit, quod plures quam septem haberet in *Timothei* fidibus *incidi*. Nec tamen defuerunt, qui antores essent, Timotheum cùm invidiam novitatis à se depulisset, producta in medium vetusta *effigie Apollinis*, in ipsa urbe Lacedæmoniorum inventa, lyram tenentis, quę *novem nervos* haberet, fuisse absolutum, ut notat *If. Casaub.* d. l.

Porrò *citharæ figuram apud* Græcos primùm fuisse concinnatam *Cepionis* tempore, qui *Terpandri* fuit discipulus, scribit Scaliger: fuitq; hæc ipsa appellata *Asias*, propterea quòd à *Lesbiis Asianis* fuerit importata. Hanc Hieronymus autor est effici solitam in modum Δ literæ, cum chordis viginti quatuor, & per digitos variis vocibus tinnulisq; ictibus in diversis modis concitari.

Cruquius ad Od. 10. lib. 1. Carm. Horat. inquit: Ex Idiomatis *Italico*, *Alemanico*, *Gallico*, *Flandrico* lyra ad huc suum nomen habet integrum, namq; & incurva est & *δελτωτῦ figuram* præ se fert intuenti propiùs. Citharam esse vòlunt vulgò nominatam *testudinem* à *forma* testæ ejus animalis; χέλυν *Cisthre* aut potiùs citherne, quę vox à cithara paucis immutatis deducta videtur.

Legem a. pulsandæ citharæ dedisse ferunt *Olympum* Mysium, Poëtam melicū & elegiarum. Ante Archilochū certos modos, vel νόμους citharæ-

dicos *Terpander* instituit, quos à se & à discipulo vocavit κηπίονα & περπάνδρειον.

A regionibus doricis duos, βοιώτιον & αἰόλιον: iccirco quia in Bœotia extitisse creditus est *primus citharœdus Amphion*, Jovis & Antiopes filius quem in Musicorum breviario, principem citharæ & citharœdicæ Poëseos architectum appellat *Heraclides*.

A *temporum* autem *celeritate* duos τροχαῖον & ὀξὺν qui multis constabat pyrrhichiis, & septimum τετραοιδὸν, qui erat ex horum quatuor compositus, Æolio, Terpandrio, Cepione, Bœotio. Idem *Terpander* primus adjecit ad Heroicos versus *Lydios* modulos. Et *Timotheus* Milesius Terpandri aut Neomysi filius citharædus, Euripidi coævus, sub Philippo Rege Macedonum, scripsit præter alia Nomos citharœdicos multis versuum millibus. *Scalig.*

Partes verò κιθαρῳδικοῦ νόμου, Terpandro dividente, hæ sunt, ut est apud Pollucem. ἔπαρχα, *preludia*, ἐπαρχία *initia*, μέταρχα, κατάτροπα *fugæ*, μετακατάτροπα *inflexiones*, ὀμφαλὸς *medium*, σφραγὶς *sigillum*, ἐπίλογος. ἐξάρχειν musicum verbum est, & citharæ sonos & modos inchoanti peculiare, ut odyss. δ.

Μολπῆς ἐξάρχοντες ἐδίνευον κατὰ μέσσους.
Cantum incipientes saltabant in medium.

Hinc Stesichorus Musam vocat ἀρχεσί μολπον h.e cantiones incipientem. Pindarus autem præfationes sive procemia, ἀγησίχορα, quòd choris & saltationibus præeant

Is *Casaub.* lib. 4. c 27. in Athen. manifesto esse falsum scribit τὸ ἐξάρχειν τῆς φόρμιγγος esse ἴδιον. Periti enim sermonis Græci sciunt, verbum hoc de omnibus promiscuè dici posse, qui faciendi aut dicendi aut canendi exemplum aliis præbent, ut in choro facit κορυφαῖος. Solent etiam citharœdi, ut & alii Musici, discipulis suis proponere, quas TABULATURAS vulgus nuncupat. Eæ sunt descriptiones phthongorum, ex quibus composita fuerit alicujus cantici harmonia. Res sanè pulcherrima & ingeniosissima: nam ea est quasi scriptura tonorum & soni.

Hujus præclari inventi auctorem facit *Eresius Phanias*, nobilis peripati-

ripateticus, *Stratonicum* cioharœdum, & τῆς κιθαριστικῆς διδάσκαλον: quādo lib. 2. de Poët. *Stratonicum* Atheniensem, scribit, existimari primum omnium nudis citharæ sonis, quôs vox non comitaretur, multas fides adjecisse, primumq; docuisse concentus musicos ac (διάγραμμα) numeros, varietatesq; designasse: *apud Athen.*

Græcis autem διάγραμμα συστήσασθαι est *Phthongorum systemata*, ut musici appellant, *in tabula describere*, ac spectanda oculis exhibere. Unde manavit *proverbium* de eo, qui *dicit idem sæpius*, & ut Poëta ait, *eadem oberrat chorda*, ἀφ᾽ ἑνός διαγράμματος ἀεὶ τὸ αὐτὸ ὑποκρίνει. Vehementer namq; Musicis fœdum est, in ijsdem fidibus sæpius hærere. Unde *Horatius* in arte Poëtica inquit:

——————————*Et citharœdus*
Ridetur, chordâ qui semper oberrat eadem.

Præterea ad illa Horat. lib. 4. carm. Od. 3.

O testudinis aurea
Dulcem: quæ strepitum Pieri temperes.

Annotat Cruquius. *Hoc ipsum*, inquit, *est chordarum seu fidium proprium.*

Nam ψάλλειν, quod est τῶν κιθαρῳδῶν κυρίως, ἐπὶ τὸ τῷ ἄκρῳ τῶν δακτύλων τῶν χορδῶν ἅπτεσθαι, ut ait *Suidas*, Id est, *citharœdorum est proprium, qui extremis digitis chordas tangunt.* Musici enim dicuntur suas χορδὰς ψάλλειν apud *Aristot.* in probl. vel simpliciter ψάλλειν: ut est apud *Plutarch.* in Pericle πρός τὸν υἱὸν ἐπιτερπῶς ψήλαντα, qui suaviter fidibus tactis luserat. Et chorda dicitur ψάλλεσθαι, quæ tangitur, movetur & impellitur. Hinc ὄργανα ψαλτικὰ & ἐπιψαλλόμενα, quæ pulsantur à psallente.

Tandem ut de *Citharæ cantu* aliquid dicamus, *Stesandrum* Samium, scribit Timomachus in Cypriacis, multum artem auxisse, primumq; Delphis cithara Homeri pugnas cantavisse. Alij *Oenopam* ad citharam primùm cantasse, eum post imitatis Achivo Polluce & Cynethensi Diocle. Citharæ cantum innuit etiam *Poëta Venusinus* lib. 1. Carm. Od. 15.

Imbelli cithara carmina divides.

Cithara,ut notum, *inepta* est rebus *bellicis*, ut quæ tubas & lituos requirunt, sed *apta mensis* ad hilaritatem & saltus. Unde Briscis ad Achillem scribit epist. 3. Heroid. molliciei ipsum incusans;

Et si quis quærat, quare pugnare recuses:
Pugna nocet: cithara, noxq; Venusq; juvant.

Dividere autem *carmina*, esse videtur quibusdam, carmina per citharæ nervos partiri, quod citharœdi faciunt, cùm modulantur, nunc enim hanc, nunc illam chordam carpunt, & de cantilena huic & illi chordæ aliquid impertiunt. Hoc modo per citharam carmina dividuntur: vel potiùs cithara carmina canuntur audientibusq; dividuntur.

Stuckius lib. 3. antiq. conviv. c. 20. Apud *Hebræos Peretim* dicit proprium esse fidicinũ, qui minutatim singula verba cantici instrumento musico accommodant & applicant, quod ferè fit imminutione, *Gallice frendons*. *German.* Leufflin sive risli, appellantur. Præterea sigillatim explorandæ chordę instrumenti musicis & ad concentum harmoniamq; ejus quod canitur accommodandæ sunt. Hoc verbum usurpatur Amos 6. ubi Arias putat genus cantionis *diatonicum* significari, quod ad voluptates magis & ad permulcendas aures natum esse videtur quod minutis temporum sectionibus, & modulis crebrioribus, præter vocum consonantiam, cætera *avium garritus* imitetur. Nudos verò & *solos absq; hominis voce cithara cãtus*, Menecharmus ait, primum invenisse *Aristonicum Argivum*, qui Corcyrę habitavit sæculo Antiochi.

Notatu deniq; dignissimum est, quod scribunt, *Aspendium* Citharœdum *novum* citharâ *ludendi modum* invenisse, *una tantum sinistrâ* nimirum manu, reliquis citharœdis utriusq; manus fungi solitis officio, tenentibus *dextrâ* plectrum, id quod FORES CANERE appellabant: *sinistris* verò digitis chordas carpentibus, INTUS CANERE vocabant. Difficilè igitur visum est, quod Aspendius citharœdus faciebat, qui nequaquam utraq; utebatur manu, sed totam cantionem *intus & sinistra* tantum manu modulabatur: atq; ita tacitâ leniq; modulatione sinistra contactis chordis, cantilena peragebatur, ut vox ad citharœdum duntaxat, aut proximè assidentem perveniret. *Aspendius*

quoq; est civitas Pamphyliæ teste Stephano: Inde *Aspendij* dicebantur, apud quos citharœdi hoc artificio præcelluisse videntur, *ut refert Erasmus.*

Tandem citharæ sonum *Aristonicum* Argivum introduxisse scriptum reliquit Menecharmus. Coronidis loco huic capiti de cithara & lyra adjiciamus *encomium lyræ*, cui ob harmoniæ & sonorum in ea perfectionem hominis vitam persimilem asseruit *Euryphamus* Pythagoræus. Lyra enim his *tribus eget, constructione, concinnitate, contrectatione:* quibus respondent *in viro felici, facultas, habitus* & *actio*, quorum absolutio sine internis externisq; instrumentis servari non potest. *Piccol. grad. 8. Phil. mor. cap. 10.*

De Lyra apud Philostratum in Iconibus hæc legantur:

Lyram pulcherrimum inventum geminis cornibus jugo, & Chely primus Mercurius compegisse, & post Apollinem ac Musas Amphioni Thebano dono dedisse perhibetur. Is autem Thebas nondum muris cinctas habitans, cantus misit in lapides, & audientes lapides concurrunt. Hæc enim picturæ insunt. Primam igitur lyram despice, an pro dignitate picta sit. Cornu nanq;, capræ esse petulcæ Poëtæ ajunt: ipso autem cornu, musicus quidem ad lyram. Sagittarius verò ad sua utitur commoda. Lingua quibus lyra indiget, ex buxo, omnia valida ac levia. Ebur in nulla est lyræ parte Hominibus elephantem adhuc, & ad quid ejus cornibus uterentur ignorantibus, & Chelis nigra quidem, sed adfabrè, & ut rei natura exigit, perfecta est, orbes flavis inter se umbilicis adnexos circundata. Nervi autem partim quidem magadi appositi sunt; umbilicisq; occurrunt, partim verò sub jugo cavi videntur. Hic utiq; ipsorum habitus aptissimus, cum directi in lyra reclinentur. Amphion autem quid ait? Quidnam aliud, quàm canit, & altera manus, mentem ad lyram revocat, ipseque tantum aperit dentium, quantum canenti satis est. Canit a (puto) terram, quæ cum omniũ genetrix, ac mater sit, muros sponte præbeat. Coma a. per se quoq; jucunda, fronti quidem oberrans, unà verò cum lanugine secundũ aurẽ descendẽs, auriq; nescio quid preferẽs, ac cum

mitra multò suavior, quàm gratias elaborasse Poëtæ ferunt. Dulcissimum ornamentum, & ad lyram postremum Mercurius amore captus, utroq; Amphionem munere mihi prosecutus videtur. Chlamys prætereà quam gestat, à Mercurio & ipsa; neque enim uno constat colore, sed mutat, ac juxta irim variat. In edito autem sedet, pede quidem terram concinnè pulsans, dexterâ verò nervos plectens. Canit & altera manus, in rectum promissos habet digitos, quod solam plasticen ausuram crederem. Estò, quæ vero ad lapides pertinent, quomodo habent? Omnes ad cantum concurrunt, & audiunt, ac murus fiunt: & hic quidem jam exædificatus est, hic verò ascendit, ille nuper prævenit. Ambitiosi, ac suaves sunt lapides, musicæq; obsequentes. At murus portis septem, quot lyra tenoribus constat.

CAPUT XII.

DE VARIIS Instrumentis, Lyræ & Citharæ proximis, de Scindapso, Helicone, Barbito, Trigono, Sambuca, Phœnice, Nablo, Pandura.

SImilitudine affinia Lyræ fuêre plura alia organa Musica. *Σκίνδαψος Scindapsus* fuit instrumentum musicum *τετράχορδον*, ejusq; chordæ ex *aurichalco* feriri solitæ, quos *mulieres* præcipuè *usa* traduntur. Numerus chordarum Lyra inferior: usus idem. Unde epitheton additum à Theopompo Colophonio:

> *Σκίνδαψος λυρόεντα μέγαν χείρεσσι τινάσσων*
> *Ὀξῆνον, προμάλοιο τετογμένον αἰξήεντος.*

Id est:

Scindapsum *magnum* lyræ similem *manibus pulsans & exacuens (acutiorem sonum moliens) ex viridi novellaq; myrica fabricatum.*

In secundo versu Casaub. legit ὀξύϊνον *fagineum*. Nam ὀξύα Theophrasti, quam scifcimam indigitavit Theodorus Gaza, judicio eruditorum *fagus* illa est, operibus ligneis apta arbor. Ex hac arbore factum Scindapsum ait Poëta.

Sed videntur ad scindapsi fabricam non unius generis ligna desiderata. Ideò addit περμάλλοιο πτυγμῶον ἀζήεντος, elaboratum *è ligno promali grandis*. πτυγμῶον interpretatur Casaubonus non de præcipua Scindapsi materia: sed de ligno ad quasdam partes necessario. Apud Laërtium *Scindapsus* sumitur pro vilissimo instrumento.

Ἑλικῶν *Helicon* alterum instrumentum, *à Musarum monte* nomen ducens, & chordarum numerum à *numero* earundem. Ἐννεάχορδον *igitur* vel *novem chordarum* fuit ὄργανον: quemadmodum scripsit *Ptolem. lib. de Mus.* quarum chordarum tres sunt ἐκ διὰ τεσσάρων vel epitriti; tres autem διὰ πέντε seu hemiolii & τρεῖς διὰ πασῶν. Ab hoc instrumento Musas dici ἑλικωνιάδας quidam putant, quòd hoc ipso impensè gaudeant.

βάρβιτος, vel βάρβιτον, *Barbytus* vel *Barbytum*. Instrumentum fuit musicum, multis intentum chordis, unde & Theocritus dixit βάρβιτον ἐς πολύχορδον. Neanthes *apud Athen. lib. 4.* τὸ βάρβιτον esse tradit *Anacreontis* εὕρημα, inventum: hoc multùm est usa *Sappho* & *Alcæus*. Gravis ei sonus extitit & aptus *Doriis*: quocirca Pollux etiam βαρύμιτον dictum prodit, quasi quod βαρεῖαν τὴν φωνὴν vel φθόγγον gravem sonum reddit. μίτους etiam fuisse vocatas τὰς νευρὰς alibi diximus, quoniam ante nervorum usum *lineis* utebantur staminibus.

Hujus mentionem facit Horat. lib. 1. carm. Od. 1.

— — *Si neq; tibias*
Euterpe cohibet, nec Polymneia
Lesboum *refugit* tendere barbiton

Et Od. 32.

— — *Age dic Latinum*
Barbite carmen
Lesbio primùm modulate civi.

Significat primum *Alcæum* barbito usum, unde *Lesboum* vocat *ab*

insula Lesbo, propter Alcæum & Sappho egregios *Lyricos ex ea* insula oriundos. *Tendere* autem, *ad fides* pertinet, quibus barbiton tenditur plectrisq; sive radiis percutitur. Unde *Halycarn.* lib. 7. βάρβιτα κρέκειν idem quod βαρβιτίζειν barbiton pulsare, quod apud *Athen.* etiam lib.4. est ὄργανον ἐντατὸν, καὶ πολύχορδον, instrumentis intensum, & multarum chordarum & citharæ genus gravius aliquanto sonantis.

Trigonon est instrumentum musicum, à triangulari figura nomen habens. *Juba* lib.4.hist.theatr. à Syris repertum fuisse tradidit. *Athen.* lib. 15. τρίγωνον εἶδον ἔχουσαν, ἥτ' ἦδε πρὸς αὐτὸ μέλος Ἰωνικὸν τι. Video habentem Trigonum, quo numeros *Jonicos* modulatur. *Athen.* lib. 4. inquit: *Alexander* ingenii sui tale quidam documentum publicè *Romæ* præbuit in eo, quod *Trigonon* vocant, instrumento, ut ad insaniam usq; Musices studio inflammaverit Romanos, (μουσομανεῖν dicitur) multiq; numeros ejus ac κρούσματα pulsus etiamnum recordantur. Hujus Trigoni in Musis *Sophocles* meminit.

Griesippus *Adulteris* nocturnas cantiones est commentatus, quibus evocent fœminas, *trigono & Sambuca* ludentes. *Athen.* lib.14. *Sambucam* autem, sive Sambicam, quæ triangularis citharæ species est, *Lyrophœnicem* appellant. Hujus inventorem fuisse *Ibycum* Rheginum affirmat, quemadmodum & Trigoni, *Heanthes* Cyzicenus lib.1. de Horis. *Polyd.* lib.1. c.15. Ab ipso Ibyco instrumentum *Ibycinum* fuit dictum, quo *Galli & Romani in militia* usi fuerunt. Apud Athen. lib.14. dicitur ὀξύφθογγον εἶναι μουσικὸν ὄργανον τὴν σαμβύκην καὶ τετράχορδον, acutum ejus esse sonum, & quatuor fidibus tensum organum.

Sambucam quoque usitatam scribit *Parthis* & *Troglodytis* Euphorion. Certum autem est, vetustissimos *Orientis populos* eo organo fuisse usos: inde transiit postea ad Græcos res & nomen *Daniel Propheta* cap. 3. ᾗ ἂν ὥρᾳ ἀκούσητε τῆς σάλπιγγος, σύριγγος, καὶ κιθάρας, σαμβύκης τε, cùm audieritis vocem Sambucæ. In *Chaldaico* textu est סבכא *Sabbeca*.

Semus Delius libr. 1. Deliadis scribit: Sambucâ primam usam

fuisse

fuisse *Sybilam*, nominatumque sic fuisse illud instrumentum à *Sambyce* inventore quodam.

Hieronymus ad *Dardanum*, modum conficiendi Sambucam ostendit quodammodo. *Sambuca* (inquit *Porphyrius in Ptolomæi harmonia*) triangulum instrumentum est, quod ex inæqualibus longitudine, sicut & crassitudine nervis efficitur. Hinc *Sambucistria* dicitur, quæ hoc instrumento ludit & utitur. *Euphorion scribit lib. de Isthmiis*, apud Mytilenen ex Musis unam cum Sambuca videri, Lesbothemidis opus.

Phœnicem Ephorus & Scammon lib. de Inventis, instrumentum vocant, repertum à *Phœnicibus*, ideoq; sic appellatum ab inventoribus. Semus autem *Delius* lib. I. Deliadis ita vocatum censet, quia ejus artifex cubitum è palma, quæ Deli est, fabricatus sit, διὰ τὸ ἐκ τοῦ ἐν Δήλῳ φοίνικος τοὺς ἀγκῶνας αὐτοῦ ἐξειργάσθαι.

Nablum esse *Phœnicum*, vel *Hebræorum* inventum, ipsum nomen indicio est, *inquit Casaubonus*. De Nablo ait Sopater, *neq; Sidonii Nabli fides sunt corruptæ*, in Portis:

οὔτε τοῦ Σιδωνίου νάβλα
λαρυγγόφωνος ἐκκεχόρδωται τύπος.

Interpres sic vertit. *Neq; Sidonii Nabla strepitus è faucibus personans fidibus excitatur.* Organi excavatam & carinatam partem alveo similem ita vocat. Ap. Athen. λαρυγγόφωνος τύπος, inquit Casaub. *periphrasis est fidium, per quas intentas sonus editur, ut per guttur vox predit.* ἐκχορδοῦσθαι dicuntur absque dubio *fides, quando longo usu ipsarum sonus minuitur* & deficit. Idem Sopater in Mystaci servulo scribit:

Νάβλας ἐν ἄστροις γραμμάτων, &c.

Id est:

Inter alia Musicorum instrumentorum *Nablas* suaviter canorus est: cujus lateribus affixa lotus inanima, emittit spirantem & animatam musam voluptatemque affert, chorum versus decantantem exhilarans ac Bacchico furore commovens.

Ευάζων vox alludit ad illud *Virgilii*,

— — *Evantes orgia circum.*

Hinc apparet in *Orgiis Bacchi*, animos eorum, qui festum celebrarent, *Nablis* ad choreas & tripudia *Phœnices* incitare solitos: Hinc *diminutiva* vox *Nablium*, cujus fecit mentionem *Ovid.* 3. de arte amandi:

Disce etiam duplici genialia nablia *palmâ*
Vertere, conveniunt dulcibus illa modis.

Protagorides quoque lib.2. de festis conventibus, qui ad *Daphnen* fiunt, instrumenti Musici, quod *Panduram* vocant, meminit.

Pythagoras, *Troglodytas*, inquit, *Panduran* ex ea *Lauro*, quæ in mari gignitur, fabricare. *Euphronon lib. de Isthmiis* scribit quos nunc *Nablistas*, *Panduristas* & *Sambucistas* vocant, nullis uti novitiis instrumentis, fidiumq; gravi sono: *Barbiton*, cujus meminêre *Sappho* & *Anacreon*, *Trigona* & *Sambucas* esse procul dubio. Ex quibus perspicere licet, unum ac idem instrumentum non raró pluribus vocari & indigitari nominibus.

CAPUT XIII.

DE MAGADI, Pectide, Psalterio, Epigoneo, Tripode, &c.

SUprà de tibiis mentionem fecimus Magadis ut tibiæ & attigimus dubitationem, *an tibia vel cithara* genus sit, ibidemque, adduximus testimonia, quæ stant à tibiæ parte.

Duris lib. de Tragœdia dictam *Magadin* vult *à Magdo Thrace*. Apud *Athen.* 15. 4. numeratur inter instrumenta, quæ tensis fidibus sonora sunt, μάγαδιν οἶδα δὲ ὅλι καὶ μάγαδις ὄργανον ἐστιν ἐντατόν, καθάπερ καὶ κιθάρα, λύρα, βάρβιτον. Novi & instrumentum *Magadin*, quod fidibus intenditur, quemadmodum cithara, lyra, barbitos. Et alicubi dulcissimus Anacreon inquit: ψάλλω δ' εἴκοσι χορδαῖσι μάγαδιν ἔχων. *Magadin* habens, *viginti fidibus* cano. *Nota chordarum numerum.*

Idem

Idem Anacreon *Magadin*,inquit,inſtrumentum dici, cantionibus aptum ψαλτικὸν ὄργανον, *a Lydis* repertum: quamobrem *Lydias* mulieres pſaltrias & cantatrices vocari *Ion autor eſt in Omphale*: ἀλλ' αἱ Λυδαὶ ψάλτριαι παλαιθετῶν ὕμνων ἀοιδοὶ τὸν ξένον κοσμήσατε. At vos Lydiæ pſaltriæ vetuſtorum Hymnorum cantatrices ornate hoſpitem.

Euphorion in lib. de Iſthmijs ſcribit, *Magadin* priſcum eſſe inſtrumentum,ſeroq; admodum ejus mutatam eſſe fabricam unà cum nomine, vocatumq; fuiſſe à poſteris *Sambucam*, frequentiſſimum id eſſe apud *Mityleneos* à *Lesbothemide*, antiquo ſtatuario *unam ex Muſis* ſculptam, quæ illud teneret,ut ſuprà c.12. etiam dicebamus.

Menæchmus lib.de artificibus, *Magadin*, ait, eandem eſſe cum *Pectide* & inventam à *Sappho*, ut mox dicemus.

Teleſtes in Hymenæo Dithyrambico, *Magadi quinq;* eſſe *fides* ait: *Alius alio clangore è cornu vociferans*, Magadin *irritabat (digitorum pulſu velut titillabat)* quinq; fidium *virgis diſtinctam, manum verſans celeriter, unde cuiſum iniit, eo recurrentem*.

Ariſtoxenus ſcripſit, *Magadis* & *Pectidis* absq; plectro uſum eſſe in canticis,ideoq; Pindarum in ſuo ad Hieronē Scolio, Magadin appellaſſe ψαλμὸν ἀντίφθογγον, (redditum mutuis vicibus: vel è contrarijs vocibus,quales ſunt *puerorum & virorum*, velut ſemper concentus adeſſet,nempe virorum & puerorum.

Phrynichus in Phœniſſis ait: ψαλμοῖσιν ἀντίσπαστ' ἀείδοντες μέλη. Cantici modos perſonantes reciprocatos.

Sophocles in Muſis:

πολὺς δὲ Φρὺξ &c.
Phryges *multi* Pectidis *triangula*
Concentus reciprocos voce modulabantur.

Eſt autem hoc in quæſtione etiam poſitum, cum inſtrumenta πολύχορδα, quæ multis fidibus tenduntur,in uſum tardiùs venerint,quo pacto *Anacreontis* ſeculo *Magadis* nota fuit.

Sed ſciendum,Magadin eſſe antiquum inſtrumentum,cum disertè Pindarus ſcribat *à Terpandro* excogitatam fuiſſe *Barbiton*, cujus ſo-

nus *Lydiæ Pectidi* æquiparandus sit: *Barbiton* (inquit) Lesbius *Terpander* invenit primus: Cùm in cœnis audivisset, sublimis Lydiæ *pectidis* canticum, suæ Barbito parem. Jam verò *Magadin* eandem esse cum *Pectide*, constat *ex Aristoxeno* & Menæchmo Sicyonio in lib. de artificibus, qui *Sappho* Anacreonte priorem, ante omnes *Pectide* usam fuisse scribit.

Euphorion lib. de Isthmiis scribit; *musica instrumenta, quibus multæ fides annectuntur, appellatione tantùm esse mutata, & antiquissimum fuisse illorum usum.*

Diogenes verò Tragicus in Semele, *Pectidem à Magade differre*, scribit.

Artemon lib. 1. de Bacchica intelligentia & studio, scribit; *Timotheum* Milesium opinione multorum *Magadidem* in usu habuisse, auctam fidium numero, ejusque rei caussa accusatum illum (ut cap. 11. pluribus annotavimus) apud *Lacedæmonios*, quod veterem Musicam labefactaret ac corrumperet, & cum fides supervacuas præcidere jam esset paratus, quidam, ostendisse stantem apud ipsos exiguam *Apollinis imaginem*, in cujus lyra tot essent fides, ab eodem situ & ordine porrectæ, ideoq; absolutum. Sophocles in Thamyra, facit mentionem *cantionum ad Pectidem*, easq; vocat κρουστὰ μέλη, quæ digito pulsatis organis, aut etiam quæ tibiis canuntur, *apud Athen. lib. 4.*

Sophoclis verba: οἴχωκε γὰρ κρουστὰ πηκτίδων μέλη. Telestes, τοὶ ὀξυ φώνοις πηκτίδων ψαλμοῖς κρέκον Λύδιον ὕμνον, cum *pectidum* sonis acutis Lydius hymnus strideret. *Athen. lib. 14.*

Sopater Parodus verò *Pectidem* vocat δίχορδον, ut quæ duobus tendebatur nervis: *Pectis* barbara musa superbiens (carica Musa) duabus attensis fidibus in manum quomodo tradita est.

Vocarunt & organa quædam musica *Pariambidas*, quasi Jamborum assеclas & comites, quibus jambi accinebantur.

Apollodorus autore Hesychio, παρὰ τοὺς ἰάμβους αὐτοὺς φησὶ πεποιῆσθαι, ὡς οἱ κιθαρῳδοὶ ᾄδουσι.

Athen. lib. 4. citat Epicharmum, qui in Periallo sic illarum meminit: Σεμέλα δὲ χορεύει &c. *Saltat Semele ad tibiam & ad citharam &* Pariambides, *lætatur ea, sonorum frequentamenta cum audit, dum levi celeriq; manu subtus tangunt, argutoq;* pectine *organa feriunt.* Casaub. lib. 4. cap. 25. in Athen.

Apollodorus scribit *Magadin* olim fuisse, quod *nunc* vocamus *Psalterium.* Hoc organum, *ut autor est Jubas*, Alexander Citherius fidibus refersit, & cum in *Ephesiorum* civitate consenuisset, hoc ingeniosissimum artis suæ inventum in *templo Dianæ* deposuit & dedicavit. *Athen. lib. 4.* Meminit Aristoteles *trigoni Psalterij*, cujus chordæ essent æquè intentæ omnes. Sicut autem pleraq; alia musica instrumenta *à Syris* mutuati sint *Græci*, ita hujus & inventum & nomen *Syris* imputarunt. Ac miratus sum sæpè (*scribit Causaub. lib. 4. animadvers in Athen cap. 25.*) jam inde à temporibus *Nabuchdonosori* vetustissimi Regis Babylonij, *Psalteriorum* nomen in ultimum ferè orientem penetrasse. Nam apud Danielem פסנתרין *Pesanterin*, Græca sunt ψαλτήρια.

Videtur autem Athenæus Psalterium distinguere ab alio organo, quod vocat ψαλτήριον ὄρθιον, quodq; proprio nomine *Lyrophœnix* dicebatur. De hoc fortasse debent intelligi *Chrysostomi verba* in protheorijs ad Psalmos, ψαλτήριον τῶν ἐνταῦθα μὲν ἦν πλὴν ὄρθιον, καὶ ἄνωθεν εἶχε τῶν φθόγγων τὰς ἀφορμάς.

Juba mentionem quoq; fecit *Lyrophœnicis ac Epigonei*, quod nunc in rectum Psalterium transmutatum ejus nomen servat, qui in illo usus est.

Psalterium id apud *Nonium* in voce dicteria, *orthopsallicum* Varro nominat: *Qui mobilis & Orthopsallica attulit Psalteria, quibus sonant in Græcia dicteria, qui fabularum collocant exordia.*

Dicteria, intelligit non jocos & sales: sed τὰ δεικτήρια, τὰ ἐνδόσιμα καὶ τὰς ἀναβολάς, qui artis suæ fidicinæ specimẽ & experimentũ præbẽt. Dictum putant, quòd rectum pulsaretur, vel quia sonaret intensos

numeros, vehementes & acutos, quales cecinit *Arion*, cùm eum Delphinus excepit. *Herodot. lib. 1.*

Epigonus autem construxit instrumentũ, in quo essent *chordæ quadraginta:* quod *Epigoneum* à se appellavit. Hunc Epigonum, genere Ambraciotam, produnt *à Sicyonijs* civitate donatum, quod fuerit musices peritissimus, & canens, *sine pectine manu* fides pulsaret, μουσικώτατ@ δ' ὤν κατὰ χεῖρα, δίχα πλήκτρου ἔψαλλεν.

Fuit & *Simi* commentum illud, quod ab eo *Simicum* appellatum, *quinq; & triginta* constabat *chordis*: à quibus eorum origo, quos nunc *Monochordos (Clavichordia)* vulgus vocat, in quibus ordine digesta plectra subsilientia reddunt sonos. Additæ deinde plectris *corvinarum pennarum* cuspides: ex æreis filis expressiorem eliciunt harmoniam. Me puero, inquit *Scaliger* lib. 1 Poët c. 48. *Clavicymbalum* & *Harpichordum*, nunc ab illis mucronibus *spinetam* nominant: (de quo plura & dilucidiora non injucunda im II. Theil Tomi Secundi legenda) Vetus *Monochordos* unico nervo contentus erat, *Arabum* inventum. *Trichordos* autem *Assyriorum* quod *Panduram* appellabant.

Pentachordos Scytarum fuit: ex crusta pelle bubula confectas chordas pulsabant *plectro*, quod ex *ungula caprina* optimũ habebatur. Durat etiamnum *plectri* usus in *Hispania & Psalterij:* cujus sonum miscent cum sono tibiæ, loco tympani: quod iccirco *tympanum chordatum* vocant. *Itali Tabassum*.

Fuit & aliud ad psallendum instrumentum, quod πῆλυξ diceba-tur.

Artemon, (*ut scribit Athen. lib. 14.*) de quodam instrumento, quod *Tripodem* vocant, hæc refert: *Ex instrumentis, ait, multa ne nos quidem scimus, an unquam extiterint, veluti* Zacynthij *Pythagoræ* tripus, *cujus usus brevi tempore duravit, seu* διὰ τὸ δοκεῖν ἐργώδης εἶναι κατὰ τὴν χειρουργίαν, *quod videretur operosus esse tractaturis manibus, sive ob aliam quamvis causam statim derelictus est, ac icircò multis ignotus. Simile id fuit* Delphico tripodi, *à quo & nomen inditum est: usum a. præbuit cithara triplicis. Nam stantibus in sede versatili (basi) pedibus quomodo sellarum, quæ circuma-*

guntur positus fiunt, per media spatia tria, quæ è pede ad pedem pertinent, fides extendit, cubito unicuique super adjecto, adaptatis infernè clavis, quibus fides intenduntur, addito suprà & communi pedibus omnibus lebetis ornatu & quorundam insuper aliorum appensorum, quæ sanè fuit lepida & elegans hominis imaginatio, præterquam quòd pleniorem & luculentiorem sonum reddebat. Cuique intervallo suos modos ille dispertitus erat, ut omninò tres *essent,* Dorii, Lydii, Phrygii: *sedens autem in sella, à tripode modicè distante, prolatâ sinistrâ manu pulsandis fidibus, & alterâ plectrum incutiens, in quancumque fortè incidisset, ex illis tribus modulationis speciem, sedem instrumenti pede in orbem agebat, volubilem ipsam & ad motum promptam, tanta velocitate consuetus manum huc illuc transferre, ut si quis ejus industriam non aspiceret, sed auribus judicaret tantum, facilè crederet* citharistas se tres *audire, diversos modos canentes.*

At verò instrumentum illud, quod in magna fuit admiratione, *post* ejus *obitum* confestim neglectum exolevit; *ut est apud Athen. dicto lib. 14.*

Tripus præbebat usum trium cithararum, ut tres citharædi concordes viderentur pulsare. Habebat enim triplicem harmoniam.

CAPUT XIV.

DE CARMINIBUS LYRICIS quæ Lyræ vel Citharæ accinebantur.

LYrica *carmina* dicuntur, quæ olim in conviviis & aliis festivitatibus, modulato cantu ad lyram pronunciabantur. Unde & *Lyrici* appellabantur, qui ejusmodi cantiones ad instrumenta musica exercebant: Et hinc appellationes, ᾠδὴ Ode & μέλος ad eadem traductæ. *Odas* quoque à canendo titulum suorum librorum fecit *Horatius.* μέλος item propriè dicitur carmen μεμελοποιημένον: id est, in cujus compositione habita ratio harmoniæ ut cani possit, quemadmodum *Pindaricas* cantiones inscri-

psĕre *μέλη*. Quanquam autem *μέλος* *Lyricorum* tantum fuit: *Melodia* tamen est *omnibus* cantionum sonis attributa. Sic Chamæleon.(*in lib. quem de Stesichoro scripsit*) *μελωδηθῆναι non solùm*, ait, *Lyrica, verumetiam Archilochi* & *Hesiodi* & *Mimermni* & *Phocylidæ* & *Homeri*. ut scribit *Scal. lib.*1.*Poet. c.*44.

Varia autem fuerunt *Lyricarum* cantionum genera, *Melos sive Ode*, (inquit *Scaliger*) quibus *amatorias* curas decantant. Primum hoc excogitasse *Alcmana* tradunt, primumq; ajunt dedisse *μέτρον ἀκόλαστον* lascivum. Aliis *Ametor Eleuthernæus* primus apud cives suos amatorias cecinisse cantilenas memoratur: cujus posteri propterea *Ametores* dicti sint.

Inque hoc genere plurimam fuisse *Sappho*, *Anacreontem* verò interspersisse mellis quandam dulcedinem memoriæ tradiderunt.

De *Alcmane* item Archytas Harmoniacus scribit ut ait Chamæleon, *amatoriis* versibus condendis omnium *principem* & ducem *Alcmanem* fuisse, *ἐρωτικῶν μελῶν ἡγεμόνα, καὶ ἐκδοῦναι πρῶτον μέλος ἀκόλαστον ὄντα καὶ περὶ τὰς γυναῖκας καὶ τὴν τοιαύτην μοῦσαν εἰς τὰς διατριβάς* erga mulieres petulantissimum, eum ante omnes in vulgus eam musam & ea carmina edidisse, quæ in hominum congressu & conventiculis canerentur, cujus perpauxillæ hæ reliquiæ, quovis nectare suaviores:

ἔρως ἐμὲ δ' αὖτε κύπριδος μέλιι γλυκὺς καθείβων καρδίαν ἰαίνει.

Stesichorus autem amori non mediocriter deditus, eum canticorum modum composuit, quæ olim *παιδικὰ* & *παιδιὰ* vocarunt, *οὕτω δ' ἐναγώνιος ἦν ἡ περὶ τὰ ἐρωτικὰ πραγματεία*, id est certatim hoc de amore scribendi negotium obibant, nec fuit tum aliquis, molestos esse qui putaret amoris Studiosos viros.

Erat & *Odæ species* apud *Laconas*, quà, si quis in *flagitio* deprehensus fuisset, *aram* quandam *obiens*, canebat sua probra.

Aliæ fuêre, quas *λοκρίας ᾠδὰς* nominabant quæ nihil aliud quàm *adulteria* & *stupra* continerent.

Clearchus in primo Amatoriorum, cantionem quandam *Nomiam* (id est, metricis legibus compositam) vocari tradit ab Eripha-

nide his verbis: Eriphanis, *condendorum versuum artifex perita cum venatorem* Menalcam *amaret*, *peresquendis quoque se feris exercebat, instigante desiderio palans, nempè errabunda huc & illuc properans, montium dumos omnes perlustraret, ut* Inus *discursiones præ illius erroribus fabulæ dicerentur, & non solùm feri diriq; amoris expertes omninò homines, sed etiam truculentißimæ bestiæ collacrymantes, miserias ejus deplorarent, & amatoriæ spei sensu tangerentur. Quamobrem cantionem illam edidit & vastas solitudines, ubi composuit, pervagata est. quod ajunt vociferans & eam canens, quam* Nomion *vocarunt: Ejus hæc est portiuncula:* μακραὶ δρύες ὦ μενάλκα.

Erant & alia genera *in laudibus Heroum, locorum laudationibus, rerum gestarum narrationibus.* His numeris etiam *Pæanes* solis *Diis* dicti, & *hymni* eodem argumento, sed stilo demissiore. Et *Epipompeutica,* quæ in pompis accinebantur, cujusmodi seculare carmen Horatianum, & *Epinicia,* haud absimilia Pæanibus. *Epinicia* autem præcipuè erant, quæ incertaminibus *victori* canebantur. *Hymni,* qui ad aras *Diis* dicebantur.

Pæanes, quibus gratulabantur *Diis,* immortalibus, pro *victoria in prœliis*, non incertaminibus. Peculiariter verò *Pæanes* dicebantur hymni, vel cantiones in laudem *Apollinis* (nec non *Dianæ,* secundùm alios) qui canebantur ad amoliendum & propulsandum aliquod malum, sive *morbi,* præsertim pestiferi, sive *belli,* aut etiam parta *victoria.*

Erat autem *Pæanum rhythmus* ille plerumque, qui à Sophocle ob servatur in Oedipode Tyranno hoc metro:

ἰήϊε Δάλιε παιάν.
Ieje' Delie Pæan.

Ipse namq; *Apollo dictus* fuit *Pæan*, ut testatur Macrobius. Alii dixerunt ἰὴ ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι h. e. à *medendo,* alii ἴε ἀπὸ τοῦ ἱέναι. Alii in utrumque conjunxerunt, ἰὴ ἰὲ Unde *Jejus Apollo* dictus est.

Quidam *Pæanes* dictos esse ferunt ἀπὸ τοῦ παύειν quod est *placare,* quoniam istæ cantilenæ canebantur, ubi vel *famem,* vel *pestem cessare* precabantur, vel aliquod *imminens malum divertere,*

tolli divino implorato auxilio. Inde *Æſculapius Paon.* dictus. *Nat. lib. 4. cap. 10.*

Quidam ἀπὸ τοῦ παίειν deducunt, atque hinc natum exiſtimant: Cùm *Latona* ex Chalcide Eubœæ civitate, *Dianam & Apollinem* in Delphos tranſportaret, evenit forte fortuna, ut juxta ſpecum, in quo *Pytho* latitare dictus eſt, prœteriret. Ubi verò jam proſiliens Pytho, impetu ferretur in illos, *Latona,* mulierum more, territa, filii auxilium inclamavit his verbis, ἰὴ παῦ, *jaculare fili.* Ibi *Apollo*, qui tum fortè geſtabat arcum, miſſo telo *Pythonem* interemit.

Scaliger dicto loco, agnoſcit *duo Paanum* genera: *Alterum*, quo in *victoriis* gratulabantur cum acclamatione: *Alterum* ſine exclamatione, quo *laudes* celebrabant ſine acclamatione, ut mox dicemus.

Prioris generis itidem *duo* videntur fuiſſe genera, quemadmodum ſcriptum reliquit Scholiaſtes Thucyd. lib. 1. ſcribit: Δύο παιᾶνας ᾖδον οἱ ἕλληνες, &c. *Duos Paanas* norunt Græci: *unum ante* prælium, *Marti*; *alterum* poſt prælium, *Apollini.* Illum *priorem* ἐμβατήριον παιᾶνα *congreſſivum* Pæana dixit *Plutarch. in Lycurgo*: hunc *alterum* ἐπινίκιον παιᾶνα, *victorialem*, idem Plutarchus in Romuli rebus appellavit. Videntur autem *cum Rhythmo & cantu* quodam fuiſſe, atque ideo *Paanes* dicti. Manſit apud imos etiam *Græcos*, inquit *Lipſius*, qui tamen *ut Chriſtiani, Vicit Crux* pro Pæane habebant. *Cedrenus* hoc tradidit in Baſilio Imperatore, pugnâ cum Manichæis: Voce magnâ Pæanem canentes, & illud (Σταυρὸς νενίκηκε) *Crux vicit* conclamantes, aggrediuntur hoſtes.

Paan ſine acclamatione eſt ille *Ariſtotelis in Hermiam* Aternenſem, unde & ſcias, quantus ille vir fuerit in poëſi: neque ipſo Pindaro minor. Scripſit etiam in *Lyſandrum* Lacedæmonium unum: qui ob dignitatem *in Samo* olim publice canebatur: ut Delphis *Paan alter* in *Craterum* Macedonem, admodulante Lyra puello impubere.

De hoc *Paane in Hermiam* ſic loquitur Democritus *apud Athen. lib. 15.* *At enim quod ab Ariſtotele doctiſſimo ſcriptum legimus, non quidem ſacer eſt hymnus, ut calumniatur Demophilus, qui Philoſophum violata reli-*

gionis criminatus est, tametsi quidam ab Eurymedonte scribant accusatum fuisse, tanquam impium, & in convivijs de Hermeja sacrum hymnum quotidie canentem.

Olim enim apud Græcos religioni habitum, *Paanem* in cujusquã *mortalium honorem* canere, scribit *Isaacus Casaubonus* in Athen.lib.6.c. 14. Verùm miratur illud Scaliger, quod *Athenienses* judicio prosecuti sunt *Aristotelem*: quoniam *in Hermiam*, qui esset mortalis, *tanquam in Deum*, Pæana condidisset: quum tamen viris *fortibus* daretur id. *Adulatores* enim, isto etiam genere honoris ornandos viros *principes*, censuerunt: eratq; etiam hîc tacita quædam consecratio, & in numerum Deorum relatio. *Defendunt quidam* Aristotelem, *quia non fuerit Paan, quippe in eo acclamatio nulla, sed potius* σκολιὸν μέλος.

Alij hanc addunt rationem, quòd ipse *Aristoteles* disertim fateatur, eum, quem laudat, mortem obijsse: quod Deo non convenit, cui proprius Pæan. Hæc verò scribunt *defensionis Aristotelis* verba: *Hermeja, ut immortali, cùm ego sacrificare non deliberarem sepulchrum, ut mortali, extruxi: immortalem verò famam ejus reddere cupiens, funebri commendatione, atq; laudatione illum cohonestavi.* His argumentis respondet, & *prioris* quidem *Scaliger*, quòd nimirum in plerisq; *&* confessis & receptis Pæanibus nullam inveniamus acclamationem, ut mox ex subjecto Pæane patebit. *Posteriorem* rationem refellit *Casaub.* lib.15. in Athen.cap.16. quia etiam *Castori & Polluci* canebatur *Paan*; quos è terris in cœlos transcendisse & mortem obijsse, omnes sciunt.

Jam ipsum *Aristotelis Paanem* subjiciamus, qui sic habet, & totidem verbis descriptus *ab Athen.lib.15. dipnosoph.*

Ἀρετὰ πολύμοχθε
Γένει βροτείῳ
Θήραμα κάλλιστον βίῳ. &c.

Virtus laboriosa generi mortalium, indiga vita pulcherrima: Ob tuam, virgo, formam Græcis mors est optabilis: tolerandiq; gravissimi laboris indefessa constantia: tali scilicet fructu mentes accendis, immortali, auro, pra-

stantiore, anteponendo vel parentibus, ac lenienti dolores somno. Tua causa divus Hercules, Ledaq; filij, multa perpessi sunt, gestis rebus potentiam tuam ac vim prædicantes. Tui desiderio Achilles & Ajax descenderunt ad ditis atria. Ob amabilem formam tuam se privavit lumine solis alumnus Aternea (Hermejas) quem actis rebus clarum & celebrem sempiternâ laude Musæ decorabunt, Mnemosynes ac Jovis filiæ, majestatem Jovis hospitalis extollentes, firmæq; amicitiæ præmia.

Est quoque sine acclamatione *Pæan* ille *Ariphronis* Sicionij *apud Athen. lib.15. Dipnosoph.* quem fecit in *honorem bonæ valetudinis*, jucundissimum & plenissimum gratiarum:

Ὑγίεια πρεσβίστα μακάρων,
Μετὰ σοῦ ναίοιμι
Τὸ λειπόμενον βιοτᾶς. &c.

Hoc est:

Sanitas ex omnibus beatis Dijs maximè veneranda, Tecum ô utinam degam quod vitæ superest: Benevola mihi contubernalis esto. Nam si qua voluptas ex divitijs aut prole percipitur, aut regio principatu, quod fortunatum ducunt homines; aut amoribus, quos occultis Veneris cassibus venamur: Aut si quod aliud est mortalibus benignitate Deorum oblectamentum; Aut si laborum quietem intermissionemq; nanciscimur, Tecum ô diva sanitas, florent omnia, tecum renidet gratiarum Ver: absq; *te verò ô nemo felix.*

Quod suprà dicebamus, *adulatores*, isto genere honoris ornandos viros *principes*, censuisse. Insigne extat publicæ *Atheniensium* adulationis monimentum, *Ityphallicum* scilicet dictum *Demetrio* ab Atheniensibus è Corcyra & Leucade revertenti. *Hic est ille* Demetrius Poliorcetes, Antigoni F. *qui* Demetrium Phalereū *Casandri Macedoniæ Regis auspicijs, sub specie Oligarchiæ* Athenis *dominantem urbe expulit, & pristinam Reipub. formam ob libertatem restituit: anno altero Olymp. CXVIII.* autore Diodoro lib.XX.

Tum igitur *populus Atheniensis* incredibili gestiens lætitiâ, ob recuperatam libertatem post annorum XV. servitutem, ut ornando Demetrio nihil reliqui fecit.

Facta sunt de illius honoribus Senatusconsulta; Et refert *Plutarchius*

chus inter alia decretum fuisse,ut,quotiescunq; in urbem veniret, *Demetrius* ijsdem ritibus ac *ceremonijs* peregrè adveniēs exciperetur, quibus solerent *Ceres* & *Bacchus*. Demetrium, inquit, *Athenas à Leucade & Corcyra redeuntem, Athenienses non solùm suffitibus, coronamentis & libationibus vini exceperunt, sed etiam* chori *processerunt ei obviam, cum* prosodijs *&* ithyphallis, *saltantes & canentes.*

Olim vero omnia hæc *Dijs* erant propria, *&* in illorum tantùm honorem fieri solita, cùm vel in pompa traducerentur, vel aliàs loco moverentur Deorum simulacra. *Primò* omnium autem *Demetrio* tributa sunt: ut ei obviam procederent *chori*, *prosodiaca* & *ithyphallica* in ejus gratiam composita carmina canentes. Quemadmodum *Paan Apollini propriè* sacrum fuit carmen, sic *Ithyphallicum Baccho:* neq; magis fas fuit isto, quàm illo genere carminis, persequi.

Simile etiam *Romæ* factitatum legimus: ut eorum nomina, quæ eximio honore vellent decorare, *saliari carmine* canenda decernerent. *Germanico mortuo* inter alios hic honor tributus, *autore Tacito lib. 2.* Et *M. Antoninus* Philos. mortuo filio *Vero*, jussit, ut nomen ejus *saliari* carmini insereretur.

Vetus quoq; *Ecclesia Christiana* hunc, ut videtur, morem ad pium usum traduxit: instituto, ut nomina *sanctorum martyrum*, & *aliorum* fide & meritis excellentium virorum, sacris *diptychis* inserta inter hymnodias recitarentur. *Casaub. lib. 6. cap. 15* *Possidonius* quoq; in 23. memoriæ prodidit; *Gallos* olim summo in honore secum habuisse *Poëtas* convictores, à quibus laudarentur, quorum Poëmata *Bardos* appellata scribit atq; ab illis cum cantu pronunciata. Contrà prisci epici vocabant eos *grassatores*. *Scal. lib. 1. Poët. cap. 54.*

Erant & quædam carmina, quæ canebantur *ad* organa musica, præcipuè *lyram*, quæ σκολιὰ μέλη vocata sunt: in quibus virorum *fortium* laudationes concinebantur, nihil à *paanibus* differentia, nisi materia, sive argumento. Canebantur *Scolia* in *con-*

vivalibus hilaritatibus, in quibus *poculum* circumlatum ᾠδὸς appellabatur, *quia non liceret absq; cantu vel propinare, vel excipere.* *Scolion* carmen autem dici volunt à *pede Scolio, Amphimacro:* Alij ab *obliquis tibiis:* Alij ab *ordine flexuoso*, quo caneretur. In *nuptijs* cani solitum à discumbentibus, *lauro* aut *myrta* coronatis. Eratq; σκολιὸν sicut *reptatu serpentum*, & quasi *serra dentes.*

Scoliorum autem *argumenta* fuerunt βιωφελῆ, *vitæ præcepta*; quin etiam existimat *Causaub.* in lib. 15. Athen. pleraq; illorum facta de *septem sapientum dictis* & responsis, ἀδόμενα olim dicta, quia moris ea erat constare in *convivijs.*

Timocreontis hoc est *scolion* de *contemptu divitiarum.*

ὤφελες ὦ τυφλὲ πλοῦτε,
μήτ' ἐν γῇ μήτ' ἐν θαλάττῃ
μήτ' ἐν ἠπείρῳ φανῆμεναι,
ἀλλὰ τάρταρόν γε ναίειν κ' Ἀχέροντα.
διὰ σὲ γὰρ πάντ' ἐν ἀνθρώποις κακά.

Fuit igitur ut dictum argumenti genus βιωφελὲς. Nec enim carminis *materia* solùm erat in laudibus virorum *fortium*, sed etiam in communibus *sententijs* & *adagijs*, & quocunq; genere *adhortationis* ad benè beatèq; vivendum.

Plato in Gorgia scribit Scolio cani solitum: ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον τὸ δὲ δεύτερον καλὸν γενέσθαι. τρίτον δὲ τὸ πλουτεῖν ἀδόλως.

De Scolio carmine plura diximus *cap. 19. prioris Membri, de usu Musices in convivijs.*

Erant insuper & alia, *Dithyrambica, Ithyphallica* & similia. Et *Dithyrambica* quidem in *Liberi* Patris honorem canebantur, qui ipse *Dithyrambus* dictus fuit: quippe bis natus, bis exivit è naturæ principijs, tanquam binas fores transmiserit, quasi δὶς θύρας ἀμείβων. *Archilochus.*

Διονύσου ἄνακτος καλὸν ἐξάρξαι μέλος
Διθύραμβον οἴνῳ συγκεραυνωθεὶς φρένας.

Stilus erat *tumidus*, atque ut ille ait, plenus Deo, plenus numerorum, plenus compoſitarum vocum, quas ampullas & ſeſquipedalia *Horat.* dixit, qui idem *Dithyrambos audaces* vocat lib.4. carm. Od.2. ubi de Pindaro loquitur.

Laureâ donandus Apollinari
Seu per audaces *nova* dithyrambos
Verba devolvit, numeriſq; fertur
Lege ſolutis.

Ubi Scholiaſtes addit. *Audaces* vocari, quia ſine certa pedum lege, æquali vocis ſono, & rhythmo cantabantur. Cruquius non tam ad cantionem ipſam rhythmicam, quàm ad *chorum Bacchicum* refert dithyrambos, qui ad numeros, nunc in dextrum, nunc in ſiniſtrum, magno & corporis & vocis motu & impetu contendebat: quod ſatis indicat *Alex. ab Alex. lib.4.c.17. genial. dier.*

Hinc διθυραμβικὰ δράματα & διθυραμβοποιοὶ, *Dithyrambici* Poetæ, quos ait Ariſtophanis interpres uti λέξεσι πολυπλόκοις, quod Horatius innuere videtur per *nova verba.* Athenienſes *Choros Dionyſiacos* & κυκλίους *circulares* omnibus prætulerunt. Unde & κύκλια μέλη exponunt, *Dithyrambica* & cantabantur â κυκλίῳ *Cyclico* quodam dicto. *Turneb. lib.1. c.4.* adverſ. Cum *rhythmo de cantu* fuiſſe *Dithyrambos* perſpicuum etiam eſt *ex Ariſt. lib. de Poët. c.1.* διθυραμβοποιητικὴ utitur ῥυθμῷ καὶ μέλει, καὶ μέτρῳ poëſis *Dithyrambica* numero utitur concentu & metro. Huc referas quæ de Phallophoris Mimis ſcripſit *Scaliger lib.1. Poet. cap.20. Phallophori* ait, *Mimi* non erant perſonati, ſed fuligine obliti & agninis amicti pellibus, quæ *Peſcia* dicta legimus in carmina Saliari. Ibant autem cum caniſtris & herbis, Serpillo, Acantho, Violis, Hedera, Corollis, ſaltabantque in numerum: atque in honorem Bacchi, cujus more victores hederâ coronabantur, quemadmodum Semus Delius author eſt, ita concinebant:

Τοὶ Βάκχε τάνδε μοῦσαν ἀγλαΐζομεν,
Ἁπλοῦν ῥυθμὸν χέοντες αἰόλῳ μέλει.
Καὶ μὰν ἀπαρθένευτον. οὔτι ταῖς πάρος

Κεχρήμεθα καινῶ δεοσιν. ἀλλ' ἀκήρατον
Κατάρχομεν τὸν ὕμνον.

Id eſt:

Hac te ſplendida nos Muſa Bacche honoramus
Vario ſimplices numeros fundentes carmine,
Intentatos ſanè aliis. Non enim uſitatos prius
Cantus afferimus, ſed illibatum
Exordimur hymnum.

Inde procurrentes obvium quemque ſubſannabant. Hoc enim differebant ab Ithyphallis, *eundo enim canebant: Ithyphalli ſtantes pronuntiabant*, ebriorum perſona & coronati. Hoc enim ebriorum fuit. Manuum quoque tegumenta gerebant ex floribus confecta, & tunicas albo ad medium diſtinctas à cinctura, quam cogebat velum Tarentinum, ad talos demiſſas. Silentio per oſtium ingreſſi ubi ad orcheſtræ medium evaſerant, convertebant ſeſe ad theatrum, ac dicebant:

Ἀνάγετε: εὐρυχωρίαν ποιεῖτε τῷ θεῷ: ἐθέλει γὰρ ὁ θεὸς ὀρθὸς ἐσφυρωμένος διὰ μέσου βαδίζειν. &c. *Abſcedite de via: laxum Deo ſpatium prabete: Erectus Deus malleo ductus per medium Theatrum ambulare vult.*

Scaliger libr. 7. Poët. cap. 8. olim non ſolùm *ad lyram carmina* accommodata fuiſſe notat, ſed & *ad Barbiton*, & *Scindapſum*, & *Citharam*, & *Pſalterium*, & *Fiſtulam*, & *Phorminga*, imò aſsâ voce multa & maxima ex parte decantata.

CAPUT XV.

De Artis Citharœdicæ studio & dignitate: De Peritis quibusdam Citharœdis eorundemq; factis dictisq;, & cumprimis Stratonici salsis dicteriis.

PRæterquam quod alibi, ubi de certaminibus quibusdam Musicis (cap. nim. 22. Prioris membri) egimus, honorum & præmiorum quorundam, Musicæ peritis exhibitorum, mentionem fecimus; quomodo NERONI Imperatori omnes victorum coronas ob præstantiam artis cithàristicæ Græcia obtulerit: fuit enim Nero fidibus ad insaniam usque delectatus; & in theatris Musica decertavit, & nihil æquè doluit, quàm quum citharædum malum se increpitum sensit; ut annotant *Salmuth. in lib. 1. Panciroll. de reb. memor. & Franc. Patritius. lib. 2. de regno tit. 15.* Unde & Nummos Lyræ nota percussit, & statuas sibi citharædico habitu posuit. *Pier. lib. 47. Hieroglyph.* Qunmodo item EUNOMIO citharædo Locris in Italia statua ob victoriam in certamine cum Aristone in Ludis Pythicis habito, posita sit, quo ipso ab artis præstantiam dignus judicatus est, cujus memoria erecto monumento assequeretur perpetuitatem. De his inquam & similibus licèt alibi pluribus dictum: Hoc tamen præterea loco de peritis quibusdam citharædis, deque artis cithàristicæ studiosis & fautoribus pauca dicemus De qua arte, in suo Cortegiano vel vita aulica, præclarè sentit *Castellianeus*, illamque extollit tanquam rem nobili viro, Principeque dignam. Quod *Alexander ille Magnus* suo testatum fecit exemplo, qui puer adhuc citharam pulsare didicit, qui magistro jubente quandam chordam tangere modulis convenientem: *Et quid interest*, inquit, *etiamsi hanc pulsavero?* Respondit ille: *Nihil interesse quà ipse Rex, plurimum verò, qua futurus citharœdus*; ut memoriæ tradidit *Ælianus lib. 3. de varia histor.*

Musicen namq; in suis Regibus Imperatoribusvè *Græci* valdè optarunt. Hinc CIMON in convivio *Themistocli* prælatus est, quòd jucundè ad lyram cecinisset. Et inter *Epaminundæ* Thebani virtutes inprimis laudant, quòd præclarè ad citharam cantabat, in quo præceptorem

habuit

habuit DIONYSIUM citharædum; *ut scripsit Franciscus Patritius lib. 2. de Regno lib. 15.* Ubi vult *Reges ac Principes à Musica non debere esse alienos, sed in pueritia, ut in ea erudiantur statuit, relaxandi animi gratia, quasi per ludum ac jocum, ut libentius alacriusq; ad alias graviores disciplinas redeant.* Hinc Lyra & Cithara olim tantam meruit laudem, ut plerosque Poëtas non solum commendaverit, verùm à suo etiam nomine inscripserit. Ab ea namque sunt *Lyrici* illi Poëtæ, quorum *primum* ALCÆUM Mitylenæum faciunt, qui *aureo plectro* præ carminis suavitate ab *Apolline* donatus dicitur. Propterea Citharædi olim apud Principes viros & Heroes summo habebantur in honore.

Quemadmodum Homerus Odyss. θ. memorat. *Alcinoum Regem Phæacum* carum habuisse DEMODOCUM citharædum, eumque vocasse θεῖον ἀοιδὸν *divinum cantorem* his versibus:

– – Τῷ γὰρ ῥα θεὸς πέρι δῶκεν ἀοιδὴν
τέρπειν, ὅππη θυμὸς ἐποτρύνῃσιν ἀείδειν.

Huic quidem Deus excellenter dedit cantilenam
Ad oblectandum, quocunq; animus impulerit ipsum canere.

Eundemque Magnanimus ille Heros & πολύτροπος *Ulysses* ex animo dilexisse fertur ἀχνύμενός περ id est, mente tristitiæ quadam nube obductâ, addito, divino hoc & aureo Musicorum elogio:

πᾶσι γὰρ ἀνθρώποισιν ἐπιχθονίοισιν ἀοιδοὶ
τιμῆς ἔμμοροί εἰσι καὶ αἰδοῦς, οὕνεκ' ἄρα σφέας
οἴμας μοῦσ' ἐδίδαξε· φίλησε δὲ φῦλον ἀοιδῶν.

Id est:

Omnibus enim hominibus terrestribus cantores
Honore digni sunt & reverentia, eò quod ipsos
Cantus Musa docuit, amat autem genus cantorum.

Et *Alexander Magnus* ARISTONICO citharædo, *statuam* æream in Apollinis Pythii templo poni præcepit, cum *cithara & lancea* prætenta: non solum quò illi honorem haberet, verumetiam ut Musicam ornaret, tanquam fortitudinis incitatricem; *ut autor est Plutarch. orat. 2. de fort. Alex.*

Sic HERMOGENES citharædus *Julio* Cæsari suavitate cantus admo-

dum

dum placuit, & DIODORUS cithariftes tempore *Vefpafiani* magno fuit in honore, cujus arte Princeps delectatus, multis eū cumulavit donis.

Apud Athen. lib.14. dipnofoph. AMOEBEUS citharœdus (caftiffimus, qui uxorem nunquam attigit) vocatur ἀνὴρ τεχνίτης κατὰ νόμους τῆς μουσικῆς, *muficorum numerorum & modorum artifex infignis.* Quo loco convivas, fumptâ citharâ, fic cantu delinivifse fcribitur, ut cuncti mirati fuerint, τήν τε κιθαρισιν μετὰ τῆς τέχνης ταχίστην οὖσαν καὶ τῆς φωνῆς τὴν ἐμμέλειαν, id eft, *velocitatem ejus in cithara pulfanda, fuavitatemque vocis argutam & modulatam.*

Hunc fcribit *Ariſteas*, (lib. de citharœdis Athenis habitantibus) apud theatrum habitaffe, eumq; ubi cantaturus exijffet, *Atticum talentum fingulis diebus accepiffe*, id eft fexcentos coronatos.

Fuit & THEOPHILUS quidam citharœdus, cujus hæc non illaudata de Mufica vox: μέγας inquit, θησαυρὸς ἐστὶ καὶ βέβαιος ἡ μουσικὴ ἅπασι τοῖς μαθοῦσι, &c. Hoc eft: *Magnus thefaurus ac ftabilis eft mufica edoctis ac inftitutis. Etenim mores illa format, iracundos & mente difcordes lenit.*

EPICLES citharifta magno fuit in pretio apud Athenienfes: quē *Themiftocles* oravit, ut apud fe artem exerceret. Volebat enim domum fuā à multis nobilibus adolefcentibus frequētari, ut fcribit *Plutarchus.*

TERPNUM citharœdum *Nero* liberali fuftentatione & ftipendio aluit. *Plut. Tranquillus* fcribit: ftatim ut imperium adeptus eft *Nero*, Terpnum citharœdum, vigentem tunc, præter alios accerfit, diebusq; continuis poft cœnam canenti in multā noctem affidens paulatim & ipfe meditari exercitariq; cœpit, nec eorum quicquam omittere, quæ generis ejus artifices, vel confervandæ vocis caufa, vel augendæ factitarent.

CONNUS, (alij Conus) Metrobij F. hac arte clarus fuit, quo præceptore ufus eft *Socrates*, & ob id ipfum Connū pueri, ὡς γεροντοδιδάσκαλον, irridebant *tefte Platone in Euthydemo* his verbis. *Unum verò hoc tantùm vereor, ne his hofpitibus dedecori fim, quemadmodum Conno Metrobij filio citharifta, qui me etiam nunc fidibus docet. Pueri igitur* συμφοιτηταὶ *condifcipuli mei me quotidie rident & Connum ipfum* γεροντοδιδάσκαλον *fenum Magiftrum nuncupant.*

JOPAS nomen Citharœdi apud Virgil.lib.1. Æneid.

——————cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.

CRETEA quendam Lyricum idem lib. 9. memorat:

Et Clytium *Æoliden & amicum* Cretea *Musis,*
Cretea Musarum comitem, cui carmina semper
Et cithara cordi, numerosq; intendere nervis.

JAPYS nomen auguris & Citharœdi apud eundem Poëta lib.12.

Jamq; aderat Phœbo ante alios dilectus Japys
Iasides, acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo
Augurium citharamq; dabat, celeresq; sagittas.

Imperante *Othone* Sylvio, *citharœdus* quidam *Neronem* Imperatorē se esse *finxit*, eoq; nomine maximos motus in Græcia atq; Asia movit. Ajebat enim, cùm Neroni in facie & voce persimilis esset, quo tempore Romæ disseminatum fuit, Neronem sibi vim intulisse, alium pro eo fuisse mortuum: *ut scripsit Fulgosius lib.9.c.16.*

Celebrarunt verò olim maximè *Citharam* & *lyram*, propterea quòd & *plectro* chordas pulsare & *simul viva voce* accinere possent.

Quo nomine etiam ALCIBIADES citharœdicæ artis Lyræq; studium comprobavit, quia plectrum & lyra nihil de ingenuâ formâ diminueret, & unà eo, qui eâ utitur, canente, sonum suum ederet.

Non parva itaq; fuit olim, ut dictum, citharisticæ artis peritorum laus, non parva æstimatio Lyricorum, quæ vox exinde appellationem duxit, quod metro Poëtico sonum quoq; harmonicum vocis vivæ, organivè musici cumprimis lyræ adhibebant.

Pluribus igitur *de peritis citharœdis & Lyricis* hoc loco agemus, sumpto quasi exordio ab ipso APOLLINE, quem in Deorum conviviis & in Musarum choro cithara vel lyra ludere, ejusdemq; sono accinere tradiderunt. Imo *Ovidius* scripsit *Trojana mœnia* fuisse extructa per sonum lyræ Apollinis in epist. Paridis. Ita enim canit:

Ilion aspicies, firmataq; turribus altis

Mœnia Apollinea structa canore lyra.

Saxum etiam ostensum, *testatur Pausanias in Atticis*, super quod citharam deposuerit *Phœbus*, cum esset opus aggressurus: quod saxum si lapide percuteretur, citharæ sonum emittere per aliquod tempus consuevisse dictum est. *Nat. lib.4.cap.10.* Alibi diximus illi ipsi *Apollini cithara inventionem* tribui. Dictus enim est *Apollo*, cum boves Admeti custodiret, otij pertæsus *citharam* invenisse; ut ait Pausanias in Eliacis. *Ovid.*1. Metam.

———— Per me concordant carmina nervis.

Quæ nimirum cithara *septem chordis* prius muniebatur. *Virgil.* lib.6.Æneid.

Nec non Trejcius longâ cum veste Sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum.

Qui chordarum numerus *Planetarum numero* conveniebat. *Nat.* lib.4 cap.8. Hunc ipsum *Apollinem* memorant *apud Dionysium* in Nysa civitate, tum ob inventam citharam & artem pulsandæ citharæ, magno *in honore habitum. Nat.* lib.6. cap.16.

In cujus honorem item *ludi* celebrabantur, vere ineunte, ab omnibus *Cycladum incolis* & ab alijs gentibus, & *cantus ad citharam* fuit institutus.

De quo Apolline illiusq; ad citharæ sonum cantu ex hymno Apollinis *apud Homerum* hæc legimus.

———————— τοῖο δὲ φόρμιγξ;

Hujus autem cithara Aureo à plectro strepitum habet amabilem. Et in fine ferè.

Dux autem erat illis Rex Iovis filius Apollo,
Citharam præ manibus habens, mira ratione
Cithara ludens Pulchrè ac sublimiter.

Idem *Apollo* certis quibusdam *citharœdicis nomis* à se inventis, multis *vitam produxisse* scribitur apud *Ludov. Vivem de Philos. laudibus.* Horatius quoque commendat *testudinem Apollinis* lib.1. Carm.Od.32. his versibus:

O decus Phœbi, & dapibus supremi
Grata testudo Iovis, ô laborum
Dulce lenimen.

Neq; hic sicco pede prætereamus, de quo & cap.11. diximus, quem idem *Horat*.lib.1.Carm. Od.10.vocat:

————————*curvaq; lyra parentem*
Callidum

MERCURIUM, quem citharâ ludentem ita depingit *Homerus* in ipsius hymno his verbis:

————————λαβὼν δ' ἐπ' ἀριστερὰ χειρὸς, &c.
Capiens autem sinistra manu
Plectro tentabat cantum, hac autem à manu
Horrendè sonuit.

Et paullò post:

————————λύρῃ δ' ἐρατὸν κιθαρίζων, &c.
————————*lyra autem amabile ludens*
Stabat utiq; confisus ad cœnam Majæ filius
Phœbi Apollinis, celeriter autem acutè cithara pulsans
Canebat alternatim, amabilis autem illam sequebatur vox
Miscens immortalesq; Deos, & terram tenebrosam,
Ut à principio facti fuère, & ut sortitus est partem singulus
Mnemosynem quidem in primis dearum honorabat cantione
Matrem Musarum.

Idem *Mercurius*, cum testudinem, χέλυν, invenisset, atq; consumtâ jam carne, sed superstitibus nervis, & percussione digitorũ sonum excitasset, ad exemplũ illius *Lyrã cõposuit*; ut scripsit *Pausanias* in Eliacis.

PHILAMMON (alij Philamon) Delphus, Apollinis filius arte citharœdica fuit nobilis (quod ex illo Ovidij lib.11. Metam. constat, ubi dicitur;

Nascitur è Phœbo (namq; est enixa gemellos)
Carmine vocali clarus citharâq; Philammon,)

Latonæ, Dianæ & Apollinis ortum carminibus celebravit, ac primus *choros* circa *templum Delphicum* instituit; ut annotat *Plut*.de Muf.

LINUS item Apollinis & Uraniæ filius, lyricæ musæ fuit peritissimus, in qna magni nominis habuit *discipulos*, Orphea, Thamiram: inter quos & *Hercules*, à quo ipsum plectro occisum ferunt, cum fidibus canentem nimis acerbè corripuisset, ut scripsit *Ælianus* lib. 3. *Pausanias* verò in Bœoticis *Amphimari* Neptuni & Uraniæ Musæ filium fuisse memorat, & *ab Apolline* de Musices gloria contendentem, occisum.

Quidam hunc *Linum* Apollinis & Terpsichores dicunt filium, qui ipse etiam primus *Lyricos* & *Doricos* modos concinuerit. *Lichanon* mediam citharæ chordam appellavit, à Musis inventam. *Intentionem* citharæ à patre *Apolline* accepit, quam ille observarat in arcu *Dianæ* sororis intenso. *Ejus mortem* non Græci tantùm, sed & Barbari luxerunt. *Ægyptii* enim ab illius nomine carmen *Lugubre Emanerum* dixêre, quod Græci *Linum*, Pamphus Atheniensis Poëta *Oetolinum*, id est, Flebilelinum appellavit. Hinc lugubria carmina αἴλινος dici cœpêre; ut *in Priori membro cap. 23.* dicimus. LINI discipulus fuit THAMTRAS Citharædus Tracius, inter cujus virtutes alias commemoratur, quod *carmen* ejus adeò sonorum atque concinnum fuerit, ut *ab ipsis Musis* compositum videretur. Victus autem à Musis, quas *in certamen* cantus provocaverat, *oculis & scientia* citharâ canendi privatus est, ut testatur Hom. 2. Iliad.

Αἱ δὲ χολωσάμεναι.
Iratæ Musæ cæcum fecère, sed illum
Et cantum citharamq; viro rapuere superbo.

Cum verò *lyram in fluvium* proximum abjecisset, effecit, ut is fluvius *à jacienda lyra* diceretur postea *Balyra: ut scripsit Nat. com. lib. 6. Mythol. cap. 14.*

AMPHIONEM quoq; Musicę & citharædicæ artis peritia illustrem reddidit Hic Amphion Thebanus Jovis & Antiopæ fuit filius, quem Myron Byzantius primum omnium *Mercurio aran* dedicasse, & iccircò *lyram ab eodem* accepisse. *Epimenides* Corcyræus *Amphionem*, scripsit, tractandis lyræ fidibus *Mercurio* usum fuisse *magistro*, ac adeò ad-

mirabilem fuisse illius cantum, ut *feræ & saxa* illum sequerentur; non minùs, quàm *Orpheum*. Antimenides tradidit à *Musis lyra* donatum lib.1.hist. At Dioscorides Sicyonius *ab Apolline Amphioni lyram* fuisse datam memorat. Hunc Heraclides in Musicorum breviario *principem citharæ* & *citharædicæ poëseos* architectum fuisse scripsit. Cui rei fidem faciunt, quæ *Sicyone* servantur acta; ex quibus sacerdotes Argivas Poëtas & Musicos nuncupant. *Plin lib.7.c.56.* Amphionem *Lydios* modulos & *citharam* invenisse tradit. *Lapides movisse* citharâ, atq; ita *muros Thebanos* condidisse ferunt, saxis in structuram concurrentibus, numeris musicis lectis, ut scripsit *Horat.* in arte Poët.

Dictus est Amphion, Thebanæ conditor urbis,
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere, quo vellet.

Verùm, *ut Solinus autor est*, Thebas condidit Amphion, non quòd lyra saxa duxerit (neq; enim par est id ita gestum videri;) sed quod affatus *suavitate* homines *rupium incolas* & incultus moribus rudes *ad obsequii civilis* pellexerit disciplinam.

Hanc autem nominis celebritatem in Musicis consecutus est, quòd ob affinitatem cum *Tantalo* modos edoctus fuit *à Lydis*, primusq; *tres chordas* addidit *tetrachordo*, à superioribus Musicis invento; ut ait lib.de Mus. *Aristocles.* Unde apud *Thebas* Bœotias *septem portarum*, portam *unam Neitidem* dixerunt: quod in cithara chordarum unam, cui *Nete* nomen, Amphion ante hanc portam invenerit. Hæc ipsa civitas, quoniam *per cantum extructa*, non poterat nisi *per cantum everti*, diruta est ab *Alexandro* M. *Ismenia*, quodam flebiles numeros cum tibia accinente, ut relatum fuit à Calisthene *Nat.lib.8.c.16.*

ORPHEUS, ex Libethris Thraciæ oriundus, Apollinis & Calliopes filius, cui *ab Apolline lyram* datam quidam asserunt, quam *novichordem* primus instituerit, cùm *Mercurius septichordem* tantum habuisset: Ante Trojana vixit tempora per XI. γενεὰς (γενεὰν intelligunt spatium 7. annorum) ipse vixit novem generationes usq; ad 63. annum, qui climactericus est. Ab eo lyra vocatur *Hæmonia*, *Threjicia*, *Orphea*, *Bistonia* & *Bistonis*. *Pythagoras* in adytis *Anactoron Ægypti* fertur Orphei

antiquam

antiquam *Septachordon* lyram inveniſſe, ejuſque proportiones obſervaſſe, quam *Terpander* Lesbius in *Ægyptum* proficiſcens ibi appenderat, apud Sacerdotes illos philoſophatus *Laërtius.* Hunc tantâ canendi peritia & citharâ ludendi excelluiſſe ferunt, ut ejus cantu delinitæ *arbores* ſuis ſe locis exeruerent, ſenſificatæ *cautes* choros agerent, *fluvii* ſurſum cohiberent, *aves* advolarent, *feræ* properarent, & exarmatæ feritatem ponerent. Quod ideò fictum; quoniam agreſtes & belluino propè ritu degentes homines ad meliorem vitæ cultum redegiſſet. Unde Horat. in arte:

Sylveſtres homines ſacer interpreſq́ Deorum
Cædibus & fœdo victu deterruit Orpheus:
Dictus ob hoc lenire Tygres, rabidoſq́ Leones.

Fingitur etiam hunc ſumptâ citharâ ad *inferos* deſcendiſſe, & placatis ſeveriſſimis mortuorum regibus, cantus citharœdici ſuavitate non ſolùm obtinuiſſe, ut ipſe poſt viſam *Euridicen* in lucem rediret, ſed ipſam etiam Eurydicen ſecum abduceret.

Cùm *Minyæ* per loca Sirenum navigarent, Ancæo navem gubernante, ſe citharam ſumſiſſe ſcribit *Orpheus* in Argonauticis, ſuoq; cantu *Sirenum* cantum retudiſſe: qui cum Deorum certamina caneret, minimè auditæ fuerunt Sirenum cantilenæ, ut eſt in his:

ἐνθάδ᾽ ἐφεζόμεναι λιγυρὴν ὄπα γηρύουσι κοῦραι:

Hic cantus dulci modulantur voce puellæ,
Atq; viros mulcent, ratibus qui marmora ſulcant.
Cœperat hic cantus Minyas mulcere, nec ullus
Prateriturus erat Sirenum triſtia fata.

Sirenes poſtea deſperatione captæ, mutæq́; factæ in mare muſica inſtrumenta abjecerunt, ut teſtatur idem Poëta his verſibus:

δή τότε φορμίζοντος ἀπὸ σκοπέλου νιφόεντος;

Dum citharam pulſat ſcopulo ſublimis in alto,
Sirenes trepidæ cantum tenuêre ſonorum:
Altera deinde chelyn è manibus jacit, altera lotos.

Idem ſcribit Apollon. lib. 4. Argon. Extremo namq; aliàs in periculo poſiti *Minyæ* periiſſent, niſi mox Thracius Orpheus:

Βιςονίην

Βιςονίην ἐνὶ χερσὶν ἑαῖς φόρμιγγα τανύσσας;

Bistoniam manibus citharam sumpsisset & aures

Sublimi cantu, cantu revocasset ab illo:

Virgineamq; chelys vocem superasset acuta.

Nat. com. lib.7.c.13.

MUSÆUS Orphei discipulus fuit Lini, aliis Orphei filius, post cujus mortem *lyram* obtinuisse dicitur: quam, quia eâ indignus esset, Jupiter *in cœlum* transtulit, *teste interprete Arati*, quæ à singulis Musis, quarum laudes eximiè cecinerat, *novem* insignibus *stellis* insignita scribitur, apud eundem *Nat.com.* lib.7.c.14.

ARION Methymnæus Lesbius, Cyclei F. Lyricus & citharædus Olymp. 38. *Priandro* Corinthiorum Tyranno gratissimus, scripsit cantilenarum prooemia ad *duo* ferè versuum *millia*. Hic *eximius* omninò fuit *citharædus* Arion ac *Poëta nobilis Dithyrambicus*, nemini mortalium secundus, eo tempore, in arte rectè pulsandæ citharæ, ac neque *Philoxeno* quidem *Citherio*, cujus nomen celeberrimum fuit ob hanc ipsam artem, ulla re inferior, quem *Cyclicos choros* primum omnium invenisse scripsit *Hellanicus in Cranaicis*, & *Dicæarchus*, atq; *Demarchus in lib. de Dionysiacis certaminibus*. Hic Arion omnibus mortalibus prior *Orthia carmina in Palladem* composuit & cantavit, quorū is erat rhythmus, ut eo hominum animi mirum in modum in bellum inflammarentur, quibus postea modulis usi sunt in castris *Methymnæi. Nat. lib.4. cap.5.*

Quidam eum chorum & *Tragicum* modum & Dithyrambum primum constituisse volunt & *Satyros* induxisse, qui per metra canerent.

Huic celiberrimo Citharædo erecta est *Statua*, cum Græco epigrammate, quod volaterranus. Latinum fecit hoc modo:

Cernis amatorem qui vexit Ariona Delphin

A Siculo subiens pondera grata mari. Volat.

De hoc etiam loquuntur Ovid. lib.2. Fastorum: Gellius lib.16.c.19. & Herodotus in Clio. De tribus Citharædis omnium præstantissimis meminit Pacificus his verbis:

Orpheus

Orpheus Evridicen cithara revocavit ab orco,
Eq; suis movit saxa nemusq; jugis.
Pisce fuit pelagus per longum vectus Arion,
Hac etiam Amphion *mœnia struxit ope.*

TERPANDER Lesbius ex Hesiodi, alijs, Homeri nepotibus, primus *septichorden lyram* constituit, ex tetrachordo heptachordum. Huc quadrare videntur, quæ Marsilius Ficinus in Platonis Timæum cap. 29. commentatur. Coaptationes fidium dicuntur in musicis instrumentis, sive in *unico tetrachordo*, quale & invenit *Mercurius*, & *Orpheus* confirmavit, sive in *duobus tetrachordis* per chordas *septem* unà conjunctis, qualia *Terpander* dicitur effecisse. Et cap. 31. In Terpandri tetrachordo *quarta* chorda *bis* pulsatur, ut quodammodo evadat *octochordũ.* Quam quidem conjugationem propterea secutus est Terpander, quia multiplicatio vocum manifestè inter se discrepantium ad sonum usq; septimum augetur. *Octavus* enim jam similitudine quadam *redit ad primum.* Primum verò gravissimumque sonum *Hypaten* nominant. Sequentem *Parhypaten:* Tertium *Lichanon*: Quartum *Mesen:* Quintum *Paramesen*, aut *Triten:* Sextum *Paraneten:* Septimum vero *Neten. Hæc Marsilius.*

Idem Terpander primus etiam νόμους λυρικοὺς invenit: quamvis alij horum inventione *Philammoni* tribuant. Invenit & *Cepionem* νόμον, *Bœotium*, *Æolium*, *Trochæum*. *Oxyn* & *Terpandrion*, ut alibi à nobis dictum ex Scaligero. Ab eodem *Lesbij* & *Iones* à plerisq; *morbis* fuerunt liberati cantus dulcedine.

Floruit Olymp. 35. antiquior *Archilocho & Anacreonte:* ita ut primus omnium *Carnia* vicisse dicatur, quæ Olymp. 27. *Lacedæmone* instituta fuerunt. Modorum quoq; *Scoliorum*, Terpander idem fuit inventor, & *citharœdicas leges* princeps omnium pervestigasse narratur. Ludis Apollinaribus sexies *victor* fuit. Homeri versus imitatus est, & in cithara Orphei modos.

Cùm *Lacedæmoniorum* res seditionibus tumultuarentur, consultum oraculum jussit, ut *Lesbium cantorem* accerserent. Accersitus

itaq; *Terpander* (Antiſſæus.) Is canendo illorum animos ſic delinivit, ut ſeditionem omnem ſedaret, redactis ad concordiam civibus. Hinc *Lacedamoniis Lesbiis cantoribus* primas in arte Muſica partes tribuerunt, ut ſi quem alium canentem audiſſent, protinus dicerent, μετὰ λέσβιον ᾠδόν. Zenodotus.

Plutarchus, eum ab Ephoris *multatum* aſſerit, ejusq; citharam affixam, quo antiquam immutaſſet muſicam, *unumq́ nervum* ſuperfluo intendiſſet. Solos namque ſimpliciores modos probabant, ut alibi pleniùs.

Timotheus Mileſius, Therſandri aut Neomyſi F. Citharœdus, Euripidi coævus, ſub Philippo Rege. Hic antiquam & duriorem Muſicam in manſuetiorem molli oremq; convertit.

Lyram, quæ *ſeptem* tantùm fides uſque ad Terpandrum Antiſſæum habuerat, *in plures chordas* diſiecit. *Decimam* quoque & *undecimam* chordam addidit. Damnatus proinde è *Lacedamoniis*, quòd ſeptem antiquæ citharæ chordis quatuor addidiſſet: & cithara ejus in *Sciade* porticu ſuſpenſa eſt. Pauſan. in Lacon. (ſupra cap. II.)

Cum *Alexandro* artem oſtentare vellet, peritè adeò Orthium Palladis carmen, ſeu *Phrygium* modulatus eſt, ut ardore cantus *ad arma* ſtatim Alexander proſilierit: rurſus eadem quaſi receptui canente, depoſuerit. Scripſit *nomos Citharœdicos* multis verſuum millibus.

Hic *Timotheus*, cùm in arte muſica omnium præſtantiſſimus eſſet, *duplicem mercedem* exigebat ab illis, quos ab aliis *magiſtris malè inſtitutos* acciperet: quòd hi priùs dedocendi, quàm erudiendi erant, à rudioribus verò & ignaris ſimplicem. *Alexand. ab Alex.* lib. 2. *genial. dier. cap. 25.*

Phrynis (quidam habent Phyrnis) Citharœdus Mitylenæus, primus putatur apud *Athenienſes* citharâ ceciniſſe & primas tuliſſe in *Panathenæis* callia prætore, Ariſtoclidis diſcipulus, qui Ariſtoclides celebris chariſta & familia Terpandri floruit in Græcia bello Medico. *Phrynis* antiquam etiam & maſculam Muſicam in *novam* traduxit. *E-*

merepes

merepes Ephorus Phrynidis Musici *duas ex novem fidibus* ascia *abscidit*, insusurrans, *μὴ κακούργει τὴν μουσικήν*, *Ne Musicam depraves.*

CTESIPHON Atheniensis Lyricus Colabus. *Colabi* autem dicuntur à colabis citharæ claviculis, quibus chordæ intenduntur.

THALETAS Cretensis ante Homerum Lyricos versus scripsit tanta citharæ suavitate, ut *morbos & pestilentias* curaret.

OLYMBUS Mysius, Poëta melicus & elegiarum Marsyæ Satyræ discipulus, pulsandæ citharæ *legem* dedit, *modosq;* pulsandi reperit & docuit. Floruit ante bellum Trojanum, à quo & mons in Mysia nomen accepit. *Suidas.*

CHIRON præter rerum cœlestium herbarumq; cognitionem mirificè fertur fuisse citharæ pulsandæ peritus: qua etiam ratione nonnullos *morbos* sedavit, *ut ait Staphylus lib. 3. rer. Thers.* Ab hoc *Chirone* Thessalo ipsius avo *Achilles* eruditus fuit, à quo præter alias artes citharam pulsandi artem edoctus est. *Nat. lib. 9. cap. 12.* valdè enim Achilles fortissimus Græcorum musicis cantibus oblectabatur; Sciebat enim, nihil esse utilius mortalium vitæ, quàm remedium habere ad abigendas ægritudines mentis, medullarum & omnis lætitiæ populatrices. Ideoq; harmoniam lyricam edoceri voluit, qua emergentes animi curas discutere, & pristinæ serenitati restituere se sibi posset.

De Chirone & Achille, Horatius in Epodis:

Nobilis ut cecinit grandi centaurus alumno.

Huc facit & illud *Ovidij 1.* de arte amandi:

Phillyrides puerum cithara præfecit Achillem,
Atque animos molli contudit arte feros.
Qui toties socios, toties exterruit hostes,
Creditur annosum pertimuisse senem.

Achillem imitatus *Alexander Macedo* citharæ dedit operam, ut haberet, unde serias illas de Monarchia & principatu meditationes quandoq; reprimeret, aut exercitio majore fatigatum corpus sublevaret.

DORCEUS cantu citharæ apud Thraces, secundam *post Orpheum* meruit palmam. *Val. Flac. lib. 3. Argon.*

Menander Rhetor in Epidicticorum ratione, *Lesbios* & inprimis *Mitylenæos* citharœdica arte plurimùm solitos gloriari, eâq; re sibi inprimis placuisse, *scribit Cœlius lib. 16. cap. 3.*

Ex Athen. lib. 4. accepimus, nullas gentes *Alexandrinis* magis Musices studiosas & peritas, præcipuè περὶ κιθαρῳδίαν in tractanda cithara, qua in re etiam *vilissimus quisq;* è nostris popularibus, & qui neq; literarum elementa quidem didicerit, usque adeò exercitatus est, ut celerrimè deprehendat & reprehendat τὰ περὶ τὰς κρούσεις ἁμαρτήματα γιγνόμενα, si quid peccatur in ea pulsanda. *Hyberni* Musices quoq; sunt peritissimi canunt enim tùm voce tùm fidibus eleganter, sed vehementi quodam impetu; sic ut admirabile sit in tanta vocis linguæq; atque digitorum velocitate, posse artis numeros servari: id quod illi ad unguem faciunt, *ut refert Balæus Cent. 13. Britan.*

Jam porrò de STRATONICO *Citharœdo* aliquid dicamus, deque ejusdem in imperitos quosdam Citharœdos salitis salibus. Hic Stratonicus Atheniensis primus videtur *multas chordas* in tenuem citharam detulisse, primusq; Harmoniarum discipulos habuit, formulasq; constituit. Victis *Sicyone*, qui adversus illum certaverant, in *Æsculapij delubro trophæum* erexit, inscriptione hac additâ: ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΟΣ ἀπὸ τῶν κακῶς κιθαριζόντων, *Stratonicus de iis, qui citharam malè pulsant.*

Zethum Citharisticam de Musica differentem, de arte illa loqui maximè dedecêre inquit Stratonicus, nomen à Musis alienissimum sibi quia delegisset, quod *Zethum* se, non *Amphiona* voluisset appellari. *Amphion* enim Musices gloria fuit clarissimus. *Zethus* verò ejus frater, bellicosus quidem, sed Musicæ penitus rudis *Athen. lib. 8.*

Cumq; doceret ille citharistas adolescentes duos in *ludo*, ubi erant *Musarum novem* imagines, cum *Apollinis* statua; quodam suscitante, *quot* haberet *discipulos*, cum Dijs, inquit, duodecim.

Jocus est in voce *σὺν θεοῖς*: quâ, cùm præfationis loco, ad conciliandum vel exprimendum favorem divinum uti consueverint Græci, ipse ad numerum denotandum jocosè transtulit.

Athen. lib.8 hæc quoque *de Stratonico* refert. Cantor malus *excepit aliquando* convivio Stratonicum, *epularum magnifico apparatu & splendido: artemq; inter potandum ostentavit suam:* Auscultans *canentem Stratonicus, nec habens, cum quo colloqueretur, alterum, exhausto poculo, majus poposcit, cyathisq; multis acceptis, soli calices ostendit, ac statim potus obdormivit, Fortunæ permittens omnia. Ad commessationem verò accedentibus quibusdam aliis casu, ut fit, familiaribus, confestim temeto jacuit Stratonicus ebrius. Illis autem excitantibus extemplo respondit: Hic insidiator ac* execrandus cantor *ad cœnam invitatum me occidit, ut ad præsepe bovem.*

Casaub.verò *lib. 8.cap.9. Stratonicum* non auscultasse, *sed occasionem potiùs quæsivisse animum ab ejus cantu avocandi. Itaque cum omnibus silentibus, & ad cantorem diligenter attendentibus, haberet neminem, qui cum colloqueretur, appositum sibi* poculum fregit: *quasi eo pacto habiturus, qui secum sermones sereret, & colloquii vices exciperet. Et Stratonicus Citharædus imitatur Tragicos Poëtas, apud quos qui somnia vidêre, si neminem habent, cui suas calamitates narrent, soli illas recitant: quia ut verè ait sanctissimus Nazianz. Φάρμακον ἄλγεός ἐστι καὶ ἠέρι μῦθον ἐνισπεῖν. Sic Stratonicus, qui neminem habebat, cui præbiberet, soli calicem ostendit propinanti similis.*

Cùm *Ephesi* ineptus citharædus discipulum quendam suum amicis ostentaret: Stratonicus casu interveniens dixit: *ὃς αὐτὸς αὑτὸν οὐ κιθαρᾷ, ἄλλους κιθαρᾷ.* *Qui non potest seipsum facere citharædum, alios facit.* Vox *κιθαρᾷ* lasciviâ ingenii vel à *Stratonico* vel à *Machone* est ficta joçosè, vel ab antiquiore Poëta, pro cithara oblectare.

Mirante quodam, quòd *universam Græciam peragraret*, nec in ulla maneret civitate, *παρὰ τῶν μουσῶν ἔφη εἰληφέναι πλὴν τοὺς ἕλληνας ἅπαντας, παρ' ὧν πράττεσθαι μισθὸν ἀμουσίας*, id est, dixit Stratonicus, *à Musis se accepisse ad vectigal omnes Græcos: à quibus mercedem exigat ipsorum imperitia.* Salsum & venustum dictum. Respicit Stratonicus *ad magnorum Prin-*

cipum antiquam consuetudinem: qui Satrapis & dynastis suis, aliisque, quibus cupiebant, certas vel provincias, vel urbes assignabant, unde vectigalia in usus suos exigerent. Eò respiciens Stratonicus, homo εὐφυὴς, Musas quidem Monarchæ alicui assimilat, cui omnes mortales non ut subditi, verùm ut ἄμουσοι & indocti, tributum teneantur pendere. Ex omnibus porrò provinciis unam sibi concessam, Græcorum nempe, à quibus id tributum exigat. *Casaub dicto loco.*

Corinthi, cum vetula quædam eum intentius aspiceret, caussam rogavit. Et illa demiror, inquit, matrem *decem* te *mensibus* gestasse: quem, per *unum diem* auditum, urbs nostra fastidire incipit.

Superbiente *Polyda*, quod Philotas, discipulus suus, Timotheum cantu superasset; Miror, inquit *Stratonicus*, si nescis Timotheum νόμους condere, Philotan verò ψηφίσματα.

Nomos psephismate longè præstantior.

Et lepidè *Stratonicus in* Citharædum *imperitum*, (cui nomen erat CLEON, sed vulgò dicebatur *Bos*) jocatus est: *olim*, inquiens, *asinus ad lyram proverbio dicebatur*; *nunc verò Bos ad lyram.* Cum *Bizantii* citharædus *proœmium* benè cecinisset, at *in reliquis* aberrasset, assurgens Stratonicus buccinam inflavit, pronunciavitque: *Quisquis Citharædum, qui proœmium cecinit, invenerit, mille drachmas accipito.*

Cumque vocatus fuisset aliquando ad audiēdum Citharædū, postq; audisset Homericum illud dixit: τῷ μὲν τοι θεοί ἄλλο δόσαν, ἄλλο δ' ἀνένευσαν.

Illi concessit Deus hoc, ast abnuit illud.

Malum *esse Citharistam dedit, benè autem* canere abnuit. *Athen. lib. 8.*

Simili modo *Diogenes* Citharædum quendam illusit, quem, quoties fidibus luderet, & ab auditoribus desereretur, obviam ita salutavit: Salve Galle. *Quum ille offensus salutationis novitate diceret, Quid ita? Quoniam*, inquit, *cantu tuo excitas omnes.* Salsissimè autem jocum captavit ex ambiguitate verbi ἀναγείρειν, quod Græcis est & *dormientem* è somno *excitare*, quod Galli gallinacei canentes facere solent: & qui *sedentem excitat*, ut surgens abeat; *ut scriptū reliquit Laërtius lib. 6 c. 2.*

Pręter hos peritissimos Citharædos fuerunt & alii, qui nomen citharædorū meruerunt, *Echion & Glaphyrus* apud Juvenalem Sat. 6. ubi ait:

Accipit

Accipit uxorem, de qua Citharædus Enchion,
Aut Glaphyrus fiat pater Ambrosiusq́; Choraules.

Hic Choraules proprium est nomen viri fistulicinis.
Hydimeles, nomen est etiã Citharædi apud Juvenalem Saty.6. Scribentẽ.

Quotener Hydimeles operam dedit, hunc tenet hoc se
Solatus, gratoq́; indulget basia plectro.

Anaxenori Citharædo M. Antonius tributa quatuor civitatum legenda concessit, propter ejus artis peritiam.

Aristonus Citharædus fuit, qui quum sexies Pythia vicisset, ut Lysandri amicitiam demereretur, pollicitus est se servum ejus palàm proclamaturum, si denuo vinceret.

Hipparchion & *Ruffinus* præcipui fuerunt apud Græcos Citharædi, qui cum solennibus ludis inter se certaturi essent, contigit, ut theatri tumultu & strepitu commotus & attonitus Hipparchion obticuerit. Unde natum proverbium, Mutus Hipparchion. De his qui repente silent, à quibus tamen grande aliquid expectatur.

Clinias philosophus fuit secta Pythagoreus, qui si quando ad iram concitaretur, motus animi sumpta protinus cithara levabat, quod & Achillem fecisse prædicant. *Nicostratus* & *Laodocus*, Citharædi fuerunt, qui cum in certamen venissent, Nicostratus, dixit, Laodocum esse in magna arte paruum, se verò in parua magnum. *Epicles* fuit citharista, magno quondam in pretio apud Athenienses, quẽ Themistocles oravit, ut apud se artem exerceret. Volebat n. domum suã multis frequentari.

Pylades fuit Citharædus, qui quosdam Timothei versus, audiente Philopemene, cantavit ad citharam. Quorum sequens citatur à Plutarcho, *Hoc duce libertas Græcas ornaverat urbes.*

Philomelus nomen est Citharædi apud Mart. lib. 3.

Plus habuit Didymus, plus Philomelus habet.

Fuit & *Tarpeius* Citharædus Vespasiani tempore Autor Tranq.

Carneus fuit citharistes, qui Terpandrum vicisse legitur.

Inter Imperatos verò Citharædos numerantur, *Moschus*, qui citra respirationem diu & in longum producebat vocem, neq; tamen sonabat aliquid, quod ad stomachum auditorum faceret. Hinc adagium

gium natum: *Moschus canens Bœoticum:* in multiloquos, & intempestivos locutores. Bœoticum, genus erat cantionis. *Erasmus.*

Aspendius fuit citharistes, qui omnia sibi intus cecinisse dicitur.

Conna fuit citharædus seu lyrista, extremæ sortis, qui devorato patrimonio factus est pauperrimus, & homo nihili. Hinc adagium natum, *Connacalculus:* in hominem nullius momenti, cujusque opinio nihili æstimatur.

Jalemus, Calliopes fuit filius, musicus quidem, sed infelix, & in cantu multùm frigidus. Hinc *Ialemi cantilenam*, pro despicabili & abjecta posuerunt.

Verum hæc de Citharædis peritis & imperitis dixisse sufficiat.

Caput XVI.

De TUBA. Ejusq; materia, figura, generibus, usu.

De Tuba verba facturi præmittimus Varronis etymon, qui eam à *tubo*, vel canali deducit, cujus similitudinem referebat. Tubæ à Tubis inquit Varro, quod etiam nunc ita appellant tubicinæ sacrorum. Græcis dicitur σάλπιγξ qua voce sonus velut quidam innuitur. Imò pro ipso tubæ sono quandoque sumitur.

Tyrrhenorum quidam tradant esse *inventum*. Hyginus fab. 274. scribit. *Tyrrhenus* Herculis filius *tubam* invenit, qui *Concha* pertusa buccinavit & pagum convocavit. Unde etiam *Tuba Tyrrhenum melos* dicitur. Alii *Dircaum* Poëtam, alii *Maletum* faciunt inventorem. Consule Musicam sacram de Tuba. Plin. lib. 6 cap. 56. *Diseo* Tyrrheno attribuit. *Tuba*, (inquit *Stuckius* loco sæpiùs citato de sacris & sacrificis gentilium) erat instrumentum incurvum *ex ære argentové*, cujus sonitu non tantum *sacrificantes* excitabantur, sed *milites equiq;* ad prælium inflammabantur, à *tubi*, hoc est, canalis concavitate nomen habens.

Tuba

Tuba verò *ære directo* ducta est, canali ad exitum latiore. *Directo*, dico, qua voce eam discriminat Ovidius à cornibus.

Non tuba directè, *non* æris *cornua flexi.*

Et Juvenalis:

Cornicini, sive hic recto *cantaverit* ære.

Nescio, inquit, cornicinem hunc, an tubicinem fuisse dicam. *Ex ære* igitur fuit fabricata, & tali quidem figura. Julius Pollux lib. 4. c. 11. *Tubæ materiam* dicit *æs* & *ferrum*, *lingulamq;* vocat *osseam*. Ex sacris accepimus etiam *ex argento* à Mose factas; de quibus *parte prima in Theoria organices, cap. 1.*

Propertius: *Et struxit querulas rauca per ossa tubas.*

In hoc versu mutarunt quidam *ossa* in *æra*. Lipsius verò lib. 4. de Militia Romana c. 10. retinet *ossa*, additq; posse laxè & ποιητικῶς *per tubam cornu* intelligi: vel potest quis dicere, *primas tubas* ab exemplo cornuum structas, potest deniq; simpliciter capi & asseri, in ipsa tuba *osseum aliquid* fuisse, quod insitum aut impactum ad sonorem.

Artemidorus lib. 1. c. 58. de ijs, qui *in somnio tubâ canere* visi, id tale somnium, inquit, *ægrotantes tollit*, breviq; illos *vitam cum morte* commutaturos portendit. σύγκειται γὰρ ἡ σάλπιγξ ἐξ ὀστοῦ καὶ χαλκοῦ: composita est enim tuba ex *osse* & *ære*. Subtilis interpretatio inquit Lipsius. Mortem tuba præsignificat, quianam? quòd ex *ossibus* facta notat, in cineres & *ossa* te iturum.

Potuisset & alia addi ratio, quòd nimirum *funera* olim quædam elata *ad tubam*.

Idem *Lipsius* genera & *discrimina Tubarum* ex Eustathio in Iliad. 2. petita annotat, qui scribit, *Homerum* quidem cognitam habuisse Tubam, *nusquam* tamen *Heroibus* tribuisse, quia *nondum* tunc *in usu Græcorum*.

Facit autem *sex* ejus genera: *Primam* quam *Minerva* invenit, quæ etiam *Argivis* colitur hoc cognomento, σάλπιγξ ἀθηνᾶ.

Alteram apud *Ægyptios*, quam *Osiris* repperit, quæ *Chnove* dicitur ipsis, utunturq; ad *sacrificia*. *Tertiam*, *Gallicam*, conflatilem, haud nimis magnam, quæ os habeat deformatũ in bestias, & cœnalem ipsum

plumbeum, in quem inſpirant Tubicines: atque eſſe eam acuti ſoni. Vocatur autem ab ipſis Gallis *Carnyx*.

Quartam Paphlagonicam, cujus os effigie *bovis*, gravi mugitu ſurſum inflandam.

Quintam Medicam, è calamo tubum habentem gravi ſono. *Sextam Tyrrhenicam*, cujus inventores *Tyrrheni*, quæ ſimilis *tibia Phrygia*, habens orificium ſciſſum aut fractum: Ea eſt valdè acuta. *Hæc ille Scholiaſtes*. Et notabis, addit Lipſius, de *Tyrrhenica*, quam volunt eſſe hanc *noſtram* & *Romanam*, atq; ab ijs traductam: Volunt Græci Latiniq; mutuo conſenſu. *Diodorus lib.5. de Tyrrhenis*; τὴν δὲ σάλπιγγα λεγομένην: *Et tubam dictam invenerunt, utiliſſimam* ad bella, *qua ab ijs* Tyrrhena *appellatur*.

Athenæus cornua etiam adjungit *lib.4. Dipnoſoph.* Tyrrhenorum *inventum ſunt* cornua *&* tubæ.

Addit & Suidæ locum de Tyrrhena tuba: κώδων, inquit, καλεῖται τὸ πλατὺ σάλπιγγος: &c. Hoc eſt: Codon *dicitur latior pars*, os & orificium *tuba*. *Sophocles in Ajace: Tanquam* ærei Codonis *è* Tyrrhenia. *Sunt enim multa* genera tubarum, Ægyptiæ, Libycæ, Tyrrhenicæ. Primus *porro* Archondas (*anno circiter octogeſimo poſt Trojam captam*) *Heraclidis commilitans, adduxit* in Græciam *Tyrrhenicam tubam*. *Ideo Sophocles dixit Tyrrhenicam*. Totidem iſta in Scholiaſte Sophoclis: & obſerves, monet Lipſius, *tempus* ſignatum, *quo ad Gracos* deniq; hæc tuba. An ergò *eadem Gracanica* cum *Romanâ*? Siquidem ab eadem uterque populus. *Non vult Livius*, qui de capta per inſidias Tarento lib. 25. *ſcribit*:

Terrorem (potius errorem) & tuba audita ex theatro faciebat. Nam & *Romana* erat à proditoribus ad hoc ipſum præparata, & inſcienter à *Graculo* inflata, quis aut quibus ſignum daret, incertum faciebat. Et ſanè grandiorem fortiorisq; ſoni *Romanam* fuiſſe, Fabius autor eſt.

De varijs tubarum generibus legimus apud Alex. lib.4. genial. dier. cap.2. Varia *tubarum* inquit, traduntur *genera*. Nam *pracentoria* erant, & *Vaſca*, quibus in *ſacris* præcinebant, & *puellatoria* ſono clariore,

ac *Gingrina* & *Milvina* quæ in acutos exeunt ſonos, ſicut à locis, *Lydia*, *Corinthia*, *Ægyptia*, ſonis diverſis & nominibus varijs.

Uſus tubarum varius. De Tuba *in ſacris* loquitur Feſtus: *Armiluſtrum*, feſtum quo res divinas *armati* faciebant, ac dum *ſacrificabant*, *tubis* canebant. Ipſe etiam Varro: *Tubiluſtrum* appellatum, quod eo die ſacrorum Tubæ luſtrantur.

Suidas ſcribit: σάλπιγξ;

Tuba, *ſacrum* hoc *inſtrumentum*. Sacerdotes namque utebantur tuba. Unde qui in ſacris tuba canit ἱεροσαλπιγκτὴς *ſacro tubicen* dicitur. Artemidorus item, σαλπίζειν δοκεῖν σάλπιγγι τῇ ἱερᾷ; Videri ſacrâ tubâ canere, ſervos & omnes, qui in miniſterio aliquo liberat & abſolvit, Proprium enim *liberorum* hoc *inſtrumentum*. *Diſcis* hinc & vile nihil in hac re fuiſſe. Ut in Dione lib. 57. *Norbanus Conſul* tubâ canere ſolitus, & in ea re multus, prodigium tamen fecit, quod ipſis Kalendis anni cecinit, quaſi *belli ſignum* dediſſet. Præterea *Romæ* olim *mortui* ad tubam efferebantur; ſed mortuos intellige *nobiliores*: neque enim vulgò ea utebantur, ſed in *funeribus* dubio procul *Indictivis*: ſcilicet ad populum *claſſico* convocandum. Quare Propertius amoliens illam pompam canit:

Nec mihi tunc fulcro lectus ſternatur eburno
Nec tuba ſit fati vana querela mei.

Quod ipſum in *militibus* decorè ſervatum, ut ij *ſepelirentur* ad bellicum hoc inſtrumentum. Tertullianus de corona militis: Et *mortuus tuba* inquietabitur æneatoris. Quod exemplum hodie *Romani* ſervant, & cum aliquis decedit, *tubicines* cantant, & amici convocantur, teſtandi gratià, eum neq; ferro perijſſe, *Lipſius de milit. Rom. l. 4. Dial. 10. ita etiam habes uſum funeralem. Cape & militarem.*

Militaris autem Tubæ has facit cantus partes Julius Pollux. *Primò* eſt *incitatoria* vox ἐξορμητικὸν φώνημα. Unde dixerunt, tubæ ſignum dare. *Præcones* etiam tuba utebantur. Heſychio Præco etiam dicitur σιγηποσάλπιγξ, quod illius *tubæ ſonus ſilentium* indicet. *Secundò* erat παρακελευστικὸν τὸ κατὰ τῆς μάχης συμβολὴν,

Adhortatoria ad pugnæ conflictum, absque dubio cum *classicum* caneretur, cui Suetonius solam Tubam destinat in Jul. cap. 32. Raptâ ab uno tuba, ingenti spiritu classicum exorsus est. Et in his talibus, *inquit Lipsius*, non est aliud, quam τὸ πολεμικὸν, sive τὸ παρακλητικὸν σημαίνειν bellicum & incitatorium canere, certis videlicet modis. Quod in pugna quidem legitima fiebat etiam tubis. *Fab. lib. 2. cap. 18.* Quid aliud in nostris *legionibus* cornua & tubæ faciunt? quorum concentus quantò est vehementior, tantò Romana in bellis gloria cæteris præstat. *Tertiò* ἀνακλητικὸν, *Receptus signum*, quod è pugna revocat, diciturque receptui canere. *Quartò* ἀναπαυστήριον, *sedatoria* castrametantium acclamatio.

Universi autem qui canebant, appellabantur *Æneatores*, quia organa erant ex ære. Æneator dicitur & σαλπιγκτής. In Ammiano: *Æneatorum occentu, signo dato progrediendi ad pugnam.*

Dion lib. 47. Deinde Tubicen unus utrinque insonuit, & mox alij pariter responderunt. Priores quidem ij, qui rotundi quodam loco constituti, tubis certum aliquod modulabantur; quo ut consisterent, & prælio se pararent milites admonebantur: tunc deinde omnes reliqui, qui animos irasq; militum acuebant & ad pugnam excitabant. Hic vides *triplicem tubæ sonum*, ut observat Lipsius. *Primus* est *unius* & singularis tubicinis; qui *primopili* fortassè, haud longè ab Imperatore, ejusq; nutu incinuit: *Secundus* aliquot aliorum, qui in *loco* quodam *orbiculato* & fortassis *editiore* stabant, ad signa & aquilas: *Tertius*, omnium *aliorum per cohortes*, turmas, qui pariter jam classicum canebant. Nam duo *priores* soni non nisi *expediendo* militi, paulatimq; ejus animi & iræ motæ. Facit enim profectò hoc sonus, & magnam vim habet ad spiritus & sanguinem evocandum. Ideo placent hîc quoque *Romani*, qui non *in Equitibus* solùm Tubas, ut nos, sed *& peditibus* habebant.

Tubæ autem illius *primæ* exemplum fortasse in *Apulejo* de Mundo, in quo multi mores reconditi, paucis verbis advelati: *Cùm tuba*

bellicum concinit, milites clangore incensi, alius accingitur gladio, alius clypeum capit, alius equum frenis temporat. Est enim ad huc non verum classicum, sed præparatorium illud ad pugnam. Tangitur & totus iste mos *ab Hirtio*, bello Africano: Cùm, inquit, Cæsar deliberaret etiam de pugnâ; subitò dextro cornu tubicina injussu Cæsaris canere cœpit. Ecce in cornibus etiam tubicines, & omninò sparsi per manipulos: sed ii signum à Primopili Tubicine aut Imperatoris, exspectare debebant tum succinere. Legimus & in Græcorum militia: Centuriam *quamq; habere supernumerarios aut* extraordinarios quinque; *unum signiferum, Uragum,* Tubicinem, *ministrum, Præconem.*

Dio Cassius in pugna Pompeii nocturnâ cum Mithridate: πρῶτον μὲν, ait: *Primum* tubicines omnes *ex composito simul* bellicum *cecinerunt.* Quemadmodum & *Tuba ad vigilias* fuit adhibita, Josephus scribit 2. hist. τὰς φυλακάς; *Vigilias* & excitationes Tubæ præsignificant. Quo referri posse videtur, quod apud Sophoclem in Lemniis, ἀσάλπιγκτος ὥρα dicitur *media nox*, eò quod *vespere* tantum *& mane tuba* canere solerent, ut scribit *Hesychius.* Idem testatur *Polybius* de Scipionis stratagemate, quo castra Syphacis incendit: ἔθι γὰρ ἔθος ῥωμαίοις; *Est enim Mos Romanis, sub* tempus cœnæ buccinatores *&* tubicines *omnes canere ad Prætoris tabernaculum ut tunc* vigiliæ nocturnæ *constituantur.* Alibi (nim. in Priori Membro c.12.) plura annotavimus de usu tubarum in bello.

Est & quidam *usus tubæ πομπικος* in *Pompis* & solennitatibus; quemadmodum apud Romanos olim etiam *triumphanti*, qui laureatus curru vehebatur, tubis accinebatur: *apud Livium lib.* 6. *dec.* 3.

Addere & hoc lubet, quod *pace inter Alexandrum III. & Fridericum Barbarossam* venetorum operâ compositâ, inter insignia, quibus instructa erat Veneti ducis majestas, *Tuba argentea* adhibebatur, quod non minimum est tubæ dignitatis argumentum. *Vide Egnatium lib. 2. c.1. Exemplorum.*

Postremo attexamus quoq; *de* quibusdam *Tubicinibus* historiam. *Dircæus* Poëta & Tubicen *primus* tubæ *modulos* dedisse memoratur.

Polydorus eum vocat *Tyrtæum* lib.1.cap.16. Cum *Lacedæmonii* (*autore Iustino lib.*3.) bellum adversùs *Messenios* gererent, diuque extraherent dubium Martis eventum, *responsum acceperunt ab Apolline, si vellent vincere, Atheniense duce uterentur.*

A quibus rogati Athenienses, contumeliæ causa ipsis *Dircæum*, quendam claudum, luscum, omnique ex parte corporis deformem dederunt. Usi sunt hujus auxilio Lacedæmonii, quibus ille cantum monstravit *tubarum*, quarum in audito territi *sono Messenii fugam* fecerunt, adeptique sunt victoriam Lacones.

Homerus de *Stentore* tubicine in bello *Trojano* scribit, eique ferream tribuit vocem, adeò ut quinquaginta alios voce sua vincere potuerit. Unde & *vox Stentoris* proverbio locum dedit.

Misenum Æoliden, Virg. ait, fuisse tubicinem *Hectoris*; mortuo verò Hectore adhæsisse *Æneæ* comitem, & tandem à *Tritone* Deo submersum, quod ad *certamen tubæ* Deos marinos irritasset:

Quo non præstantior alter,
Ære ciere viros, Martemq; accendere cantu.

Nota hîc breviter *usum* tubarum *agonisticum*, in quo, ut & in pompico, excelluisse scribitur *Aglais* Megaclei filia, quę Tuba satis validè utebatur; ut notat *Pollux li. 4.c.*11. Hujus Aglaidis mulieris, tuba canere doctę, meminit etiam *Ælianus*, his verbis, καὶ γυνὴ δὲ ἐσάλπισεν Ἀγλαΐς ἡ μεγακλέους ἐν τῇ πρώτῃ ἀχθείσῃ μεγάλῃ πομπῇ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τὸ πομπικόν. *Casaub.*lib.10. cap. 3. *Hermon* erat comœdiæ actor, inquit Pollux, qui cum post multos sortem agendi accepisset, à theatro aberat, vocis experimentum sumens: cumque omnes, qui ante hunc erant, defecissent, Hermonem præco revocavit, hic verò non obœdiens, multâ (mulcta) scilicet hac perculsus, ut *certatores tuba revocarentur*, autor fuit, & hoc in singula transferre stadia *Tubicinem*, quinquaginta cum ipsa tuba stadia transeuntem, quemadmodum & *Hermolocrum* de Philopatre *duabus* cecinisse tubis, *Isæus tradit.* Cæterùm *Megarensi Herodoro* tubam inflanti, difficile erat appropinquare πληττομένων διὰ μέγεθος πνεύματος ob vocis horrendæ stuporem. De hoc legimus apud *Athen.lib.10. Demetrio Argos* obsidente, cum ad trahendam helepolin machinam bellicam,

robur

robur militibus deesset, per *Herodorum duabus* simul *tubis* canentem, rediisse illis virtutem & præcordia, qui tanto milites animi robore replevit, impetu forti & cursu ad machinam hanc ferrentur. *Pollux lib.* 4. *cap.* 11. *Et tantum de Tuba.*

Tubicines.

Misenum Æolidem Virgilius ait fuisse tubicinem Hectoris: mortuo demum Hectore, adhæsisse Æneæ comitem, & tandem à Tritone Deo submersum, quòd ad certamen tubæ Deos marinos irritaret. Verba Virgilii sunt hæc:

Atque illi Misenum in littore sicco
Ut venêre, vident indigna morte peremptum,
Misenum Æolidem, quo non præstantior alter
Ære ciere viros, Martemq́ accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes, &c.

Triton fertur esse Deus & tubicen marinus. Ovid. lib. 2. Metam.

Cæruleos habet unda Deos Tritona canorum.

Stentor fuit tubicen in bello Trojano, cui Homerus ferream & invictam tribuit vocem. Juvenal. Saty. 13.

Tumiser exclamas, ut Stentora vincere possis.

Homerus apud Erasmum:

Stentoris in specie validi, cui ferrea vox, qui
Quinquaginta alios æquat clamore sonoq́.

Olympius Phrygius tubicen fuit ætate Midæ regis.

Aglais Megaclis filia tubicinio vitam fovit.

Agyrtes nomen est tubicinis apud Statium in Achil. lib. 4. scribentem:

Tecum lituo bonus adsit Agyrtes,
Occultansq́ tubam tacitos apportet in usus.

Caput XVII.

De Lituo, Cornibus & Buccina.

L*Itui* etymon Festus dicit esse, quod *litis* sit testis. *Lipsius* lib.4. de milit.Rom. c.10.dictum putat à *similitudine* Auguralis *litui*, vel baculi qui in extremo incurvus. Contrà *Cicero* lib. 1. de divinat. scribit. Quid, ait, *Lituus* ille vester (quod clarissimum est insigne auguratus) unde vobis est traditus? Namque *eo Romulus* regiones direxit, cùm urbèm condidit. Qui quidem *Lituus* ab ejus *litui, quo canitur, similitudine* nomèn habet. Estque lituus autore Festo, *buccinæ genus*, incurvum, gracilem edens sonum, quo in *bello* utebantur.

Aduncâ illa, vel incurvâ *figura* à tuba *distinguitur*. *Seneca* in Oedipo:

> *Sonuit reflexo classicum cornu*
> Lituusque adunco *stridulos cantus*
> *Elisit* ære.

Et *Lucanus* lib.1. apertè sejungit à tuba.

> ———— *Stridor lituum clangorq; tubarum.*

Acutum lituus dat sonum, ut *Ennius* prodit, *Inde loci lituus sonitus effudit* acutos: & Statius *lib. 6.*

> *Et lituis aures circumpulsantur* acutis.

Stridulum *Seneca*, in versibus datis & alibi idem:

> *Jam tacet murmur grave classicorum*
> *Jam silet* Stridor *Litui strepentis.*

Equibus colligitur, grandem & patulum canalem non fuisse. Nec malè fortasse Charisius lib. 1. Liticen *à Lituo, quod est tubæ genus minoris.*

Fuit igitur *medium* aliquid *inter tubam & cornu*, *non rectum* prorsus, ut illa, nec totum incurvum, ut istud. Quin tamen *confundant* interim scriptores, non est dubium; ut Immianus, *vocum lituorumq; intonante fragore cohorruit*, de classico ipso loquitur.

Scholiastes Horatij *Lituum* dicit *equitum* fuisse,ut *peditum Tubam*.
Classico namq; etiam additur,ut lib.1.Carm.Od.1.

Multos castra juvant, & lituo tuba
Permistus sonitus.

Et lib.2. Od.1.

Jam nunc minari murmure cornuum
Perstringis aures: jam litui strepunt.

De Cornibus hæc scribit Lipsius dicto loco: Varro de ijs: Cornua, quod ea quæ nunc sunt ex ære, tunc fiebant ex *bubulo cornu*.

Nihil verius & prima *origo* à *boum* cornibus, & *pastorum* instituto. Nam illi sic calabant pecus,aut boves. *Propertius*.

Nunc intra muros pastoris buccina *lenti*
Cantat.

Columella lib.4. Ad sonum buccinæ *pecus* repetere septa consuescat. Et in Dionysio sunt *κέρατα βόεια cornua bubula*, de convocando *populo* ad Buccinam,ut & apud *Lucill.* lib.7. legitur, *Rauco conventionem sonitu & curvis cogant cornibus*. Quidam dicunt,Cornu est *genus tubæ obtortæ*, à quo *cornicines dicti sunt*.

Ergò olim nihil discriminis fuit inter Buccinam & Cornu: postea verò factum *discrimen*, & cornua ista ex ære facta grandiora & magis reflexa. In lapidibus & monumentis apparent figuræ. *Distinguit* & *Vegetius* apertè,Tubicines,Cornicines,Buccinatores,qui vel tubam, vel ære recurvo,vel buccina committere solent.

Artemidorus de cornibus: *στρογγύλῃ δὲ σάλπιγγι σαλπίζειν, πονηρόν*; *Inflexâ tubâ*, id est, recurvo ære, *canere malum: non enim sacrum hoc organum,sed bellicum.* *Confundere* etiam postea *Vegetius* videtur: *Buccina*, inquit, *quæ in semet æreo circulo reflectitur.* *Idem lib.3.cap.5.* Cornu etiam facit,quod ex *uris* agrestibus argento nexum, temperato arte spiritu auditur. Inconstans est,& ante ex ære recurvo id conflavit.

Verior tamen sententia Buccinam à cornu sejunctam fuisse & alijs, quod etiam *Vigiliæ* ostendunt. Nemo illic cornu,aut tubam sonuisse dixerit,sed Buccinam signanter pleriq; omnes,ut postea dicemus.

Fuit autem *cornu bovillum*: unde nec malè à bove derives, ut instrumentum, quod *bubus* canit, aut quod *boves* canit & vocat.

Varro 2. de re Rust. Primò cum incluserunt, cum buccinatum est, aperiunt, ut exire possint. Varro tamen Buccinatorem à vocis similitudine & cantu dictam mavult, quia *Bou Bou* canit. Quod Isidorus ineptè flexit, & *buccinam* à voce, quasi *Vocinam* deducit, quod pagani eâ vocabantur. Fortasse etiam à Græco βυκάνη.

Habuit igitur Buccina similitudinem cornu eâq; retenta & sono, ex ære facta fuit.

Buccinæ illius *figura* apud Ovidium:

——— *cava buccina sumitur illi*
Tortilis in latum, quæ turbine crescit ab imo.
Buccina, quæ medio concepit ubi aëra ponto,
Litora voce replet sub utroq; jacentia Phœbo.

Concham enim illam curiosè contemplantibus, figura apparet turbinatiore.

Hieron. ad Darium *Bucca* vocatur *tuba* apud *Hebræos*, deinde per *diminutionem buccina* dicitur. Secundùm aliquos *pastoralis* & cornu recurvo efficitur. *Columell.* lib. 7. Ad quem saturæ pabulo libenter recurrunt, cum *pastorali* signo, *quasi receptui* canitur. Nam id quoque semper *crepusculo* fieri debet, ut ad sonum buccinæ, pecus si quod in sylvis substiterit, septa repetere consuescat.

Apud *Varronem* videtur esse instrumentum, quod inflari possit, cùm inquit: *Orphea* vocari, qui cùm eò venisset, stola & cithara cantare esset jussus, buccinam inflavit. *Tubam & buccinam diversa* esse ostendit Apul. 3. Florid. cum ait (*Siquidem* vox hominis *& tuba rudiore torvior, & lyra concentu variatior, & tibia questu delectabilior, & fistula susurro jucundior, & buccina significatu longinquior. Salmuth in Panciroll.* lib. 1. de rebus memorab. tit. de moribus. Exercitus, tradit, *Inter classica* instrumenta musica *Buccinam* tenuisse primas; quippe quæ in se-

met

metipſam æneo circulo reflexa, ornamentum erat totius legionis ingreſſu conflictus & ejus reditu: *ut ait Vegetius*.

Præcipuum fuiſſe *Buccinæ uſum* ad *vigilias* ſuprà attigimus, cujus rei teſtis eſt Polyb. ὁ γὰρ ταύτης ταξίαρχος τὴν ἐπιμέλειαν ποιεῖται τοῦ κατὰ φυλακὴν βυκανᾶν. *Ejus centurio curam habet ad* quamque vigiliam *buccina ſignum dandi*. *Lipſius* lib.V.de milit.Rom.Dial.IX.

Livius lib.7. Ubi *ſecunda vigilia* buccinà ſignum datum eſſet.Idem lib.26. Ut ad *tertiam buccinam* præſtò eſſent.

Propertius lib.4.

Et jam quarta *canit venturam* buccina *lucem*.

Silius lib.7 —— mediam ſomni cùm buccina *lucem*,
Divideret, jamq; excubias ſortitus iniquas
Tertius ab rupta vigiliret ad arma quiete.

Ubi attende, inquit Lipſius, item de ſorte ad vigilias, & mediam noctem, id eſt *tertiam iniquiſſimam* habitam, quia turbaret totam quietem. Nam reliquis bonam partem primæ, aut ſequentis noctis licebat dormire.

De Buccina item *Frontinus* lib.1.cap 5.

Sulla bello ſociali nocte profectus, relicto *buccinatore*, qui *vigilias* ad fidem remanentium divideret, & *quartá vigilia* commiſſa eum ſequeretur, incolumes ſuos perduxit. Idem aſtus in Cæſare, quem Varus inſtituit contra Curionem, *Buccinatore* in caſtris & paucis ad ſpeciem tabernaculi relictis, de *tertia vigilia* exercitum ſilentio in oppidum reduxit.

Ad hunc morem *Cic.* reſpexit orat. pro Mur. *Te gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat*.

Vegetius: A tubicine, inquit, *omnes vigiliæ* committuntur, & finitis horis *à Cornicine* revocantur. Itaq; *tubam* adhibet *ad initia*; *cornu*, ſive *buccinam ad finem*. *Silius* lib.15 in ea re Buccinam nominat:

———— *bis clarum buccina ſignum*
Præterea gemino prodibat juncta magiſtro
Caſtra regi.

Ut fortaſſe ad vigilias ipſas hæc ſint referenda: & in *unis caſtris Buccinam unam* ſonuiſſe: niſi cum *duo Prætoria* & *duo duces*.

In *Tacito* autem lib.15. Annal. quod legitur, inter ſolennes militiæ ritus numerandum: *Initia vigiliarum* per centurionem denunciari, *convivium* buccina dimitti. Hic mos & ſenſus. Ante cœnam claſſicum ceciniſſe; eo ſigno, *Prætorem* alioſq; cœnaſſe: tum *centurionem* nunciaſſe *Vigilias* incipere: & mox ad primam Buccinam convivium dimiſſum: ut quiſq; ſcilicet ad ſe iret, nec ultrà diſcurſu ullo caſtra inquietarentur.

Poëtæ *buccinatorem Neptuni* fingunt *Tritona*, buccina à ſe inventa canentem, & immani tubæ clangore aquas increpantem.

Hinc *Virg.* in Ætna;

Nam veluti reſonante diu Tritono canoro
Pellit opes collectus aqua, victuſq; movetur
Spiritus, ut longas emugit buccina voces.

Quod & *Ovidius* imitatus ita exprimit;

Cæruleum Tritona vocat, conchaq; ſonanti
Inſpirare jubet, fluctuſq; & flumina ſigno
Jam revocare dato.

Tiberio Principi nunciavit *Olyſiponenſium* legatio, viſum auditumq; in quodam ſpecu *concha* canentem *Tritonem*, qua naſcitur forma, cujus

Frons hominem præfert, in priſtrin deſinit alvus.

Romani, (ut ſcribit *Pierius lib. 47. Hieroglyph.* de Tuba) in *Saturniæ ædis* faſtigio *Tritonas* tubicines imponebant, *caudis abditis* & abſconditis; id ſcilicet eo hieroglyphico ſignificantes, quod *hiſtoria geſtarum* rerum *ab Saturni* commemoratione ad noſtram uſq; ætatem in obliteranda celebritate, *nota*, clara & quaſi vocalis eſſet: quæ verò *ante Saturnum* geſta fuerint, *obſcura* & incognita in tenebris deliteſcere.

Idem ſcribere videtur *Nat. Com.* lib.8. Mythol. cap.3. his verbis. Apud Romanos ſuper templo *Saturni Triton* quidam eximiæ magnitudinis fuit collocatus, qui *buccinam inflabat*, quoties oriebatur ventus, *caudamq;* intra terram occultabat. Per illum ſignificare tradiderunt

nonnul-

nonnulli res *gestas ante Saturnum* silentio fuisse involutas: at *post imperium Saturni* clarissima historiographorum voce fuisse celebratas. *Natalis verò ita* ἱερογλυφικῶς *exponit; occultatam scilicet veram religionem* ante Christum *fuisse: ac* post Christi adventum *clarissimo sanctorum Apostolorum praeconio omnibus gentibus veram, sanctam & saluberrimam doctrinam omnibus celebratum iri, Christo altissimo Dei Filio credentibus.* Nam alioquin insulsum esse videbatur, ut sapientes antiqui caudatos etiam Deos habuerint.

CAPUT XIIX.

De Instrumentis, tinnitu quodam obstrepentibus; ut Sistro, Crembalo, Cymbalo, Tintinnabulo, &c.

S*Istrum*, (Græcis eodem nomine σεῖστρον ἀπὸ τοῦ σείειν, quod est *concutere*, agitare) dictum fuit instrumentum quoddam Musicum argutum & *sonorum dum percuteretur.*

Erat autem hoc organum *Ægyptiis* peculiare è metallo arguto, ab agitatione nomen habens. Nam agitatum & concussum tinnitus argutos edebat, quo nomine *sonabile sistrum* à Poëtis dicitur. *Martialis* dixit garrula sistra:

Si quis plorator collo tibi vernula pendet,
Hæc quatiat tenerâ garrula sistra *manu.*

Poëta Sulmonensis lib. 1. de Ponto Eleg. 1. *tinnula sistra* appellat à sono, quem agitata reddunt.

Hujus *species ovalis* erat & manubriata in ora, undique *tintinnabula* habens, ut agitatum tinnitum redderet maximum, & quæ pulsarentur; ut describit *Adrianus Turnebus* lib. 26. Adverf. c. 33.

Et rectè dixit *agitatum*, quoniam *non spiritu, sed motu* concussum æneum illud crepitaculum, sive sistrum, personabtt; ut scribit *Alex.* ab *Alex lib. 7. gen. dier. c. 8.*

Non ſolùm *ex ære*, ſed etiam *auro* & *argento* confici ſolita innuit Apuleius his verbis: *Ær.is & aureis & argenteis ſiſtris argutum tinnitum conſtrepentes.*

Ægyptii Siſtris uſi in *ſacris Iſidis*; unde *Tibullus* lib.1. Eleg. 3.

Quid tua nunc Iſis tibi, Delia? quid mihi proſunt
Illa tuâ toties æra repulſa manu?

Ubi tamen mihi, non tibi, ex veteri ſcriptura legendum monet Scaliger. Nam liquet, Deliam Tibulli amicam in caſto Iſidis fuiſſe; de quo apud *Propert.* lib.2 Eleg.

Hinc *Iſiacos Sacerdotes* Martialis vocat *turbam ſiſtratam*, à geſtamine ſiſtrorum lib.12.

Linigeri fugiunt calvi, ſiſtrataque turba.

Hoc idem inſtrumentum iiſdem *Ægyptiis tubæ vicem* exhibebat, unde Virg.

——— *patrio vocat agmina ſiſtro.*

Dicebatur & κρόταλον, *crepitaculum*, inſtrumentum, quod manu pulſatum crepitabat, quemadmodum & κρέμβαλον, *crembalum*, crepitaculi genus erat, quod digitis agitatum edit ſtrepitum. Hæc & ejus generis alia organa Muſica *Athen. lib.14.* ψόφου μόνον παρασκευαστικὰ, crepitu ſolùm obſtrepentia: de quibus *Dicæarchus* in lib. de Græciæ ritibus ait, propularia, ſupra quam credat aliquis, inſtrumenta fuiſſe, *altationibus & cantilenis fœminarum* accommodata, quibus percuſſis digitis ſuavis ederetur ſtrepitus, eaque ſignificari in cantico Dianæ, canebat alius habens in manibus *crembala ænea, deaurata.* *Hermippus* in divis dixit κρεμβαλίζειν, *crembala pulſare.*

Didymus ſcribit, quoſdam ſolitos, *lyræ vice, conchis & teſtis compoſitis*, numeroſum ſonum *ſaltantibus* excitare, (ut teſtatur & in Ranis *Ariſtoph.*) Noſtratibus ex teſtis, vel oſſibus, inter digitos inſertis; vel ex puſillis tintinnabulis alligatis; Hiſpanis, ex æneis duabus velut exiguis lancibus colliſis; ſtrepitum ejuſmodi illi vocant *Caſtagnetas.*

Græci etiam inſtrumentum ejuſmodi quoddam πλαταγὴν dixerunt,

runt, crepitum quendam edens, cujus materiam & pulsum expressit *Apollon. lib. 1. Argon.*

———— χαλκείην πλαταγὴν ἐνὶ χερσὶ τινάσσων Δοῦπει.

Hujus instrumenti strepitus traductus ad hominem garrulum, aures sermone suo obtundentem, instar crepitaculi, & *proverbio locum* dedit, Ἀρχύτου πλαταγή, *Archytæ crepitaculum.*

Archytam namque crepitaculi genus æreum *excogitasse* scribunt, quod *pueris insitantibus* daretur, ne quid interim ex vasis domesticis contingerent & confringerent: necesse enim est, ut pueri habeant, quod agant, οὐ γὰρ δύναται τὸ νέον ἡσυχάζειν, *ut loquitur Philos.* lib. 8. Polit. c. 5.

Et consentaneum est, Tarentinum illum Philosophum *Archytam* ejus organi fuisse opificem, utpote qui fertur in mechanicis mirè præcelluisse. Alii al um putant & faciunt inventorem. Sed cujuscunque fuerit inventum, verosimile est, hujusmodi quoddam organum fuisse, *quod suâ sponte sonaret.*

Quemadmodum & in *adagii* consuetudinem abiit, Δωδωναῖον χαλκεῖον, *Dodonæum Cymbalum*, aut *tintinnabulum*, de homine improbæ & importunæ loquacitatis. Quod *Zenodotus* citat ex Ariphoro Menandri.

Tradit autem in Dodona duas *fuisse sublimes* columnas, *in altera positam* pelvim *aream, in altera pensile* pueri *simulacrum*, flagellum æreum *manu tollentis, quoties verò* ventus *vehementius flaverit, fieri, ut scutica impulsa, crebrius lebetem feriat, isque percussus tinnitum reddat, ac multùm etiam temporis resonantem.*

Ad hoc *Adagium* allusisse videtur Juvenalis cùm ait:

Tot pariter pelves, tot tintinnabula credas
Pulsari.

muliebrem garrulitatem taxans.

Suidas aliam adagii affert *interpretationem* ex Dæmone. *Scribit Jovis* oraculum, *quod olim erat in* Dodonâ, *lebetibus* & tintinnabulis *æreis undique cinctum fuisse, ita ut invicem sese contingerent. Itaque*

necessum

necessum erat fieri, ut, uno quopiam pulsato, vicissim & omnes resonarent, sonitu per contactum ab aliis ad alios succedente. Durabatque in longum tempus tinnitus ille, videlicet in orbem redeunte sono.

Plutarchus verò περὶ τῆς ἀδολεσχίας indicat, in Olympia Porticum quandam fuisse, ratione mathematicâ ita compositam, ut pro una voce multas redderet, atque ob id ἑπτάφωνον appellatam.

Casaub. lib. 5. in Athen. de Antiocho scribit, quomodo vilissimorum hominum *conventus* adierit *commessabundus*, nec rudes cantantium concentus aspernarit, nec figlina vasa, quibus sonorum edebant strepitum ex prisco more: semper enim, inquit, *commessatores* tibias vel aliâ musica organa deferebant. *Antiochus* ut magis se dejiceret, *testas* circumferebat *tibiarum loco*: pauperes in eo imitatus, qui fictilibus crepitaculis & vasorum figlinorum collisione soliti se oblectare, inopia melioris Musicæ. Quemadmodum ex Didymo recitat Athen. lib. 14. hisce verbis: Δίδυμος φησὶν εἰωθέναι τινὰς ἀντὶ τῆς λύρας κογχύλια καὶ ὄστρακα συγκρούοντας ἔυρυθμόν τινα ἦχον ἀποτελεῖν τοῖς ὀρχουμένοις.

Videntur autem vetustiores soliti in hanc rem *acetabulis* uti, quæ fictilia erant, & *bacillo* percussa suavem quendam sonum edebant. Hæc est, quam Græci vocant ὀξυβάφων μουσικὴν vel ἁρμονίαν.

Cujus inventorem facit Suidas *Dioclem*, Poëtam Comicum Atheniensem aut Phliasium: φάσιν, ait, Διοκλέα τὸν Ἀθηναῖον εὑρεῖν τὴν ἐν τοῖς ὀξυφάφοις ἁρμονίαν, ὀστρακίνοις ἀγγείοις, ἅπερ ἔκρουσεν ξυλιφίῳ.

Postea ceperunt fabricari in illum usum *acetabula* ex *variis metallis*. Sed & *Suidas* autor est, quo magis sonora essent ista vascula, solita fuisse confici ex *pluribus metallis*, in unum confusis. ἄλλως, inquit, χαλκὸς ἠχεῖ, καὶ ἄλλως σίδηρος, καὶ ἄλλως μόλυβδος, καὶ ξύλον. διὸ καὶ τὰ ὀψόβαφα (*suprà* ὀξύβαφα, εἰώθασιν ἐκ διαφόρου κατασκευάζειν ὕλης, ἵνα τῇ διαφορᾷ τῶν ἀπηχήσεων τὴν ἁρμονίαν ἀποτελέσωσιν.

Cassiod. lib. 4. in erudit. ep. ad Symmachum, Quid *acetabulorum* tinnitus? Quid dulcissimi soni referam varia percussione modulamen. Atque hæc sunt, quæ vocantur in Musicorum organorum divisione ἔνηχα, *sonora* ψόφου μόνον παρασκευαστικά. Hujus etiam generis fuerunt & *Scabilli* & κρέμβαλα, quæ sine ulla operosiore harmonia ipso delecta-

bant sono: ut hodie quæ vocantur *Gallis carcaveaux*. quanquam his jam ars est adhibita. Inde κρεμβαλιάζειν est Hesych. interprete, κογχύλια καὶ ὄστρα ἅμα συγκρουόντας ἀρρυθμὸν ἦχον ἀποτελεῖν τοὺς ὀρχουμένους, *Hæc Casaub. lib. 5. in Athen. cap. 4.*

Porrò *cybelen* invenisse *cymbalum* quidam tradiderunt: Zenodotus verò autor est, *Lybicum* quendam *quatuor cymbala* fabricatum fuisse, certis *proportionibus* ita inter se respondentia, ut primi spissitudo *epitriti* rationem haberet ad secundum, ad tertium *hemioli*, ad quartum *dupli*, eaque pulsata harmoniam quandam Musicam reddidisse.

Hoc instrumentum Musicum *ex ære* effici solitum, sonorus, quem reddebat, sonitus arguere videtur, quod ex ipso *nomine* quoq; constat, quod *tinnitu* quodam *pronunciari* certum est. Unde *de Apione* Grammatico Plinius in præfatione ad Imperatorē *Vespasianum* ipsum *à Tiberio* Cæsare, *cymbalum mundi* vocari solitum scribit, ob nominis, ut opinantur, celebritatem. Is enim *Apion* ajebat eos à se donari *immortalitate*, ad quos aliqua componeret: *Huc* Tiberius *alludens nominabat illum cymbalum mundi: quod hominem honestâ fama donaret, quæ per universum mundum (instar sonori cymbali) amabiliter resonaret.*

Plinius verò *ob arrogantiam* rectiùs illum appellari censet, Tympanum, non cymbalum *publicæ famæ, quòd famam daret potiùs, quam honestam famam, quemadmodum tympanum resonat quidem, sed inamœno strepitu.*

Et allusisse videtur Plinius ad illud, quod *tympana* fiunt è *pelle asinina*, ut est apud Erasmum in Adagijs. Ad *cymbalorum* pulsum *Indi* etiam legiones *adversùs hostes* eduxerunt *tubarum* loco, teste *Alex.* lib. 3. cap. 2. Eorundem ad *saltationem* usum aperit Lucianus de Salt. ἐκυμβάλισε καὶ προσωρχήσατο.

Præterea ut de *Tintinnabulis* hæc subjiciamus. Apud Euripidem in Rheso, sonitus ex tintinnabulis vocantur κωδωνοφόροι κόμποι. *Equi* quoq; *tintinnabulorum sonitu* explorabantur, an *bellicos tumultus* intre-

pidè ferre possent. Unde absq; dubio, qui sonitum illum perferre non poterant, sed ad illum trepidarent, ἀκωδώνιστοι dicti. Nec de nihilo est, quod *Græcis Tintinnabula* ad excitandum *atq; vigilias* fuisse adhibita accepimus, quemadmodum Thucydides lib. 4. τοῦ γὰρ κώδωνος, inquit, παρενεχθέντος; *Tintinnabulo enim prolato, priusquam rediret is, qui tradiderat, ita in vacuum locum scalarum admotio facta est.* De *Brasida* loquitur, qui *Potidæam* conatus capere noctu, dum is, qui circuit, tintinnabulum porrigit, atq; ita locum paulisper deserit. Et *Dio Cassius* lib. 54. *Romanis Vigilibus* in urbe videtur ea *tintinnabula* dare, cùm scribit, Augustum somnio monitum, *Jovem Tonantem* quasi προφύλακα *procubitorem Jovis Capitolini* fecisse, eoq; *tintinnabulum* ei appendisse. οἱ γὰρ addit τὰς συνοικίας νύκτωρ φυλάσσοντες; *qui enim vicos noctu* custodiunt, tintinnabulo *vel* campanulâ *utuntur, ut significare inter se cùm voluerint, possint.*

Suidas de illo ritu: οἱ περίπολοι οἱ τὰς φυλακὰς περιπολοῦντες; Circuitores, *qui* vigilias *circumibant & explorabant, euntes ad vigiles, tintinnabula habebant,* atq; ea concutiebant explorantes, si quis dormiret, & ut *vigilantes voce responderent.* Notatu dignum est, quòd in *Triumphantis curru* olim *campanula* vel *tintinnabulum* pendebat, ut meminisset Triumphans posse scilicet se in eam calamitatem eáq; tempora incidere, quibus & ipse flagellis cœdi, aut etiam capite plecti posset. Qui enim *decapitandus* erat, *campanulam* gerebat appensam, ne tanquam sacer & contaminatus à quoquam tangeretur. *Panciroll. lib. 1. memor. tit. de Triumphis.*

Angelottus Cardinalis S. Marci, cùm ejus familia *deducendi Domini* gratiâ (sicuti mos est) ad *pulsati tintinnabuli* signum rara conveniret, negligentiæ illorum per jocum coarguẽdæ caussâ *ad horam mensæ vulpinâ caudâ*, ne sentiretur, æs percuti mandavit, ita ut pauci admodum fortè præsentes, tantùm discumberent. *Volat. lib. 23. Anthropol.* Jam postremò *usum tintinnabulorum & campanularum* ad *horologia* subjiciamus, quorum usum improbavit falsè apud Plautum Parasitus; ubi stomachatur in eos, qui *horologia commenti sunt, cùm* venter *sit* optimum horologium. *Erasmus in Adag.*

Simon

Simon Majolus in diebus canicularibus colloq. 23. hæc memoriæ tradidit. *In urbibus, aut, insignioribus, tùm Italiæ, ut Venetijs & Bononiæ, tùm Flandriæ plerisq; oppidis* horologiorum machinæ *adeò insigniter componuntur, ut,* cùm instet hora, statuæ æneæ *libramentis ferreis, aut æneis commotæ excurrant, equitum, aut peditum more,* manibus *malleos ferentes* campanam *magnis ictibus percutiant, quæ horarum numerum probrè referant, ac mox visuntur statuæ redire in sua latibula, nimirum munere suo perfunctæ.* Et paucis interjectis. *Ac quod vires humanas videtur excedere, si statueris* tertiâ aut quartâ *vigiliâ* excitari, *tantâ arte componuntur* horologia, *ut* quá volueris hora, *neq; antea neq; post te æris insolito sonitu* excitabit, *perinde ac si servus te excitet, totus huic rei intentus.*

Et quibusdam in locis conspiciuntur rari artificij *horologia*, in quibus præter alia, tintinnabula & campanulæ pro diverso temporis statu *diversas cantilenarum* imitantur & repræsentant *melodias*; cujusmodi &, ut notum est, *Soræ* in Silesia, & in alijs urbibus conspiciuntur, multorum cum magna admiratione.

De Tintinnabuli sonitu plura vide in Partis primæ Theoriâ organices cap. 12.

Caput XIX.
De Tympano.

T*Ympanum* dicunt instrumentum ex una parte planum, membranâ clausum, (nostra vulgaria hodie ex utraq; parte) intus vacuum, quod baculis pulsatur. *A pulsando* nomen habens, quia eo pulsato sonitus cietur. Dicitur & τύπανον, ut apud Hom. hym. in matrem Deorum τυπάνων ἰαχὴ, tympanorum sonus, qui adjunctum quendam habet strepitum; unde apud Euripidem in Cyclop. dicuntur τυμπάνων ἀράγματα, *Tympanorum strepitus.* Et Scaliger in Bacchum Galliambo: *Creperi crepante crispans cava tympana digito.* Ab hoc instrumento *Tympanista* & *Tympanistria*, apud Plautum in Truculento

est *Tympano tuba*, qui tympanum cient & pulsant. Modò dicebamus Plinium respexisse ad id, quod *tympana* fieri consuevêre *ex pelle asinina*, eo ipso, quod *Appionem* dixerat *tympanum mundi*, non ut *Tiberius cymbalum* mundi.

Lipsius lib.4. de Militia Romana dial.10. *Apud Romanos Tympana* in usu fuisse negat, & locum illum habet suspectum apud Dionysium lib.4. in classibus describendis sub Ser. Tullio, duas centurias *Tibicinum* & *Tympanistarum*, & qui alijs quibusdam organis ad bella vocabant. Præter hunc *nemo* præterea *tympana Romanis* assignavit. Imo in convicio apud illos *Tympano tuba*, & *Galli* matris Deûm, id est effœminati pulsabant. Quid quòd ipse Dionysius non repugnat, qui dicta sua re colligens σαλπιςὰς καὶ βυκανιςὰς nominat, nulla tympanorum facta mentione.

Idem lib.7. facit, ubi de classibus hæc repetuntur. Vetera tamen *Tympana*, & ab ipso Baccho, sed in eo ferè choro relicta & apud molles. *Polyænus* de Baccho ejusque rebus lib.1. Straton. *Et cymbalis & tympanum dedit loco tubæ.* Et ab eo fortassis est, quod *in bello* tympano usi etiam *Indi*. Curtius: *Indi Tympana suo more pulsantes.* Iterum: *Post elephantos Porus peditem posuerat, ac sagittarios tympana pulsare solitos, id pro cantu tubarum Indis erat.* Scriptor quispiam apud Suidam: σάλπιγξιν Ἰνδοὶ ȣ̓ χρῶνται; *Tubis Indi non utuntur, sed pro ijs sunt flagella, quæ excutiunt in aërem: & tympana item horribilem quendam bombum emittentia.* Accepimus *Abaros* quoq;, gentem barbaram, alij *Hunos* vocant, habuisse *Tympana*. Ut scriptum reliquit Menander historicus: οἱ δὲ ἄβαρες κατὰ τὴν τȣ̃ πολέμȣ κίνησιν; *Abari initio prælij statuerant excitare mixtum quendam & ferum sonum, simulq; cum barritu personare tympanis.*

Cujusmodi tamen *hæc Tympana* fuerint, haud probè memoriæ proditum.

A nostris verò *diversa* illa *Indorum* tympana, quæ sic confecta erant.

In abjetis (Lipſio palmæ arboris) ſtipitem excavatum *nolas*, ſive *tintinnabula* ex orichalco inſerebant, & os deinde vaſis *taurino corio* obtegebant: atque ita tympanum illud in altum ferebant, concutiebantque in acie. Tum, quæ in eo erant, tintinnabula, & multa & magna, atque intus in operto ſonantia, obſcurum & inconditum edebant ſonum, *mugitui non abſimilem.*

Fuit ergo tympanum illud *infrà rotundum, ſuprà planum*, atque ibi *corio* inductum, quod bacillis pulſabatur: qualia ſunt hodie tympana *noſtra equeſtria*, Heerpaucken.

Quamquam etiam *ligno cavo* ex utraque parte pellem obductam fuiſſe ſcribit Iſiodorus; id tamen Inſtrumenti genus, non tàm Tympanum, quàm *Symphoniam* appellans. *Salmuth. in Pancirol. lib.* 1. *rer. memor.*

Plutarchus *Parthos* quoque facit non cornibus, aut Tubis incitare ſe ad pugnam: ἀλλὰ, inquit, ῥόπτρα βυρσοπαγῆ; *Sed* ſtipites *quoſdam* corio *tectos & concavos* tintinnabulis æreis *circumpoſitis plurifariam ſimul pulſant. Illi vero obſcurum aliquid & terribile reſonant*, ex ululatu *ferino &* tonitru *commixtum.*

In marmoribus, (*inquit Lipſius*,) *Galli* matris Deum conſpiciuntur, *Tympanum* manu tenentes rotundum infrà, ſuprà planum: atque ibi corium inductum, quod bacillis pulſant. Hæc talia quoque deſcribit Apollodorus & vult *Salmoneum* iis *tonitru imitatum*: καὶ βύρσας μὲν ἐξηρημμένας; *Et pelles detractas, in curru, cum æneis lebetibus agitans, dicebat ſe tonare.*

Imo tales etiam pelles non in ære tantùm, in ligno etiam ſic cavato & aptato, apud Iſidorum: Tympanum, *inquit*, eſt pellis vel corium ligno ex una parte extentum. *Dimidiatum noſtrate Tympanum*: jam plenum in eodem ſed alio nomine. Nam *Symphoniam* vocat. *Symphonia* inquit, vulgò appellatur lignum cavum ex utraq; parte pelle extenſa, quam virgulis hinc & inde Muſici feriunt.

Illud verò non caret admiratione, quod Salmuth annotat; ſi nimirum altera pars tympani *lupinâ*; altera *Ovilla pelle* obducta fuerit; tum pulſo Tympano ilico *rumpitur ovilla*: & quod majus eſt, ſi *duo* fuerint

tympana, alterum *lupino* corio, & alterum itidem *ovillo* obtectum, *lupino illo separatim percusso, ovillum planè obmutescere*, Alciatus putavit; ut eleganti illo Emblemate his versibus:

Cætera mutescent, coriumq; silebit ovillum,
Si confecta lupi Tympana pelle sonent.
Hanc membrana ovium sic exhorrescit, ut hostem,
Exanimis, quamvis non ferat exanimem.
Sic cute detractâ Cischas in Tympana versus,
Bohemos potuit vincere Pontifices.

Tanta quippe inter utrumque istud animal est *antipathia*, ut ne morte quidem finiatur, sed vel tum quoque lupus ovi formidolosus existat. Alciatus quoque mentionem facit *Cischa* (vel Ziscæ) *Hussitarum Ducis* invicti, de quo memorant, quòd moriens Thaboritas *jusserit, post mortem suam* sibi pellem detrahere, *in* usum Tympani *quo in acie uterentur ad terrendos strepitu illius hostes, ut qui fuerit vivus, mortuus etiam foret terrori hostibus.* Cùm enim moriturus rogaretur, de suo corpore, quid fieri mandaret: *Pellem*, inquit, *mortuo demite, relictoq; feris cadavere, ex ea tympanum facite.*

CAPUT XX.

De Hydraulico Organo, ejusq; inventore & Structura.

PAncirollus lib. 1. rerum memorab. scribit de quadam *Musices specie*, quam veteres *Mutam* nominarunt: *quod aqua sono, solis manuum, vultus, pedum gestibus exercebatur*: iidemq; & intelligebantur, & mirabiliter populum oblectabant actibus in scena intermediis.

Qui verò hanc exercebant, *Mimi & Pantomimi* dicebantur: cujus rei præcipuè Cassiodorum adducit ibidem loci testem, qui lib. 1. varior. ad Albinum scribens, in fine ait: *Istam Musica partem veteres appellarunt mutam: qua quibusdam gestibus facit intelligi, quod linguâ aut*

ſcripturâ melius exprimi haud poſſet. Hæc verò ars ivit in fumum, & nec ullum ejus extat veſtigium. Eodem loco ſcribit de *Organo Hydraulico*, quod à Græco deſcendit. Græcis enim ὕδωρ *aqua* eſt, & ἀυλέω, *ſono*.

Hujus inſtrumenti *Hydraulici*, cui κάτ' ἐξοχὴν *quidam organi* appellationem tribui volunt, unde & in veteri gloſſario ὕδραυλις *Organarius* dicatur, hujus, inquam *inventorem* faciunt ὁμοψήφως ſcriptores *Cteſibium*, qui vixerit *tempore Ptolomæi*, cognomento Evergetis, in Alexandria Ægypti, ubi organum illud ex *aqua commotione* ſonum edens reperit. Hic *Cteſibius* paſſim laudatur ab hiſtoricis, pneumaticâ ratione & hydraulicis organis repertis. *Vitruvius* lib. 9. cap. 9. *De Cteſibio refert, cùm animadvertiſſet ex tactu cœli & expreſſionibus ſpiritus voceſq; naſci, certis principiis uſus, hydraulicas machinas primus inſtituit, atque ſpiritus naturales, pneumaticaſq; res invenit: quod dicit etiam* Plinius *lib. 7. c. 37.*

Pneumatica autem *organa*, (quaſi dicas, ſpiritalia) ſunt machinæ, quibus vi aëris conceptique ſpiritus aqua extollitur. Quæcunque igitur nullâ manifeſtâ cauſsâ, ſed vi aëris aut fiunt, aut moventur, ea certè pneumaticis organis fieri intelligimus: Sicut quæ aquarum expreſſionibus fiunt, hydraulicis, quaſi fiſtulis contenta aqua; *ut annotat Philander in Vitruvium.*

Et lib. 10. cap. 12. ab eodem, ſcribit, conſtructas machinas hydraulicas, *Merulas dictas*, quibus reddebantur *voces humanarum* imitatrices, & *cantus avium* effectrices.

De Hydrauli porrò hæc accepimus *ex lib. 4. Athen. Dipnoſoph.* Huiuſmodi, ait, *multa convivis* ultrò citrò confabulantibus, auditus eſt è propinquo *hydraulis ſonus* quidam, jucundus & ſuavis admodum, qui nos modis illis delectatos, omnes in ſe convertit.

Tum *Ulpianus* Muſicum *Alciden* cùm aſpexiſſet, Audis, inquit, muſices omnium peritiſſime, elegantem hanc vocis gratiam, quæ nos omnes ad ſe traxit allectos Muſices voluptate. Tum *Alcides*, Hoc tu, inquit, muſicum inſtrumentum, ſive reponas inter ea, quæ fidibus tenduntur, ſive inter ea, quæ inflantur, inventum certè eſt noſtratis *Alexandrini tonſoris* arte, cui *Cteſibius* nomen fuit, quod *ab Ari-*

ſtocle

stocle lib. de Choris memoriæ traditum est, his verbis: *Hydraulus an ex instrumentis sit, quæ animantur, an ex iis, quibus fides adaptantur, ambigitur. Certum tamen inter organa ἐντατὰ, quæ chordis intenduntur, non posse referri.*

Quare si alterutrum dicendum, inter ἐμπνευστὰ, quæ spiritu inflantur, erat numerandum. In quam sententiam etiam *Aristocles* incumbit, quòd ejus *fistulæ flatum ab aqua* accipiant. καταστρημμένοι γὰρ εἰσιν οἱ αὐλοὶ εἰς τὸ ὕδωρ· *Quia hydraulis aqua illapsu spiritum accipit, fistulis in aquam obversis, & aquam juvene quodam agitante, axibusq́ præterea instrumentum pervadentibus. Sic enim fistulis immittitur spiritus, lenemq́ sonum illa reddunt.*

Erat igitur *hydraulicum* instrumentum *aræ rotundæ simile*, & canales, sive fistulas in aqua tenebat: quâ per puerum motâ, illæ animâ, seu vitâ replebantur, nervulorum quorundam, seu lingularum inclusarum medio: atque ita suavissimum edebant sonum: *ut tradit Athen. lib. 4.*

Tertullianus lib. de anima c. 5. ait, *Inventorem* hujus organi fuisse *Archimedem* Syracusanum, summum Mathematicum: & addit, *Organum illud multas habuisse tibiarum acies, & per earum unam spiritum recepisse, ad instar Organorum nostratium.*

Qui hoc utebantur, *Hydraulæ* nominabantur, (ut in l. hydraulæ 4. C. de excusat. mun.) ubi Græci Hydraulas interpretantur Musicos, qui cantabant organis, à folliculis quidem inflatis, sed ab aquâ tamen artificiosè mota sonoris. *Tiburti*, inquit Pancirollus, quod propè Romam est, itidem *fons* conspicitur, simili cum arte sonum movens: sed haud credo, eum ita suavem esse, ut de veteri illo hydraulico instrumento memoriæ est proditum.

Præterea *Vitruvius* lib. 10 cap. 13. de Hydraulicis machinis, quibus organa perficiuntur, hæc ordine refert; verùm non omnibus (ut ipse in calce cap. subdit) expedita ad intelligendum, præter eos, qui in his generibus habent exercitationem. Quod si qui parum intellexerint è scriptis, cum ipsam rem cognoscent, invenient, curiosè & subtiliter omnia esse ordinata.

De

De materia, inquit, *compacta basi, arca in ea ex ære fabricata collocatur supra basim eriguntur regulæ dextra ac sinistra scalari forma compactæ, quibus includuntur ærei modioli fundulis ambulatilibus, ex torno subtiliter subactis, habentibus fixos in medio ferreos ancones, & verticulis cum vectibus conjunctos, pellibusq; lanatis involutos.*

Item in summa planitia foramina circiter digitorum ternum, quibus foraminibus proxime in verticulis collocati ærei Delphini, pendentia habentes cymbala ex ore, infra foramina modiolorum chalata intra arcam, quo loci aqua sustinetur.

Inest in id genus uti infundibulum inversum, quod subter taxilli alti circiter digitorum ternum suppositi librant spatium imum, ima inter labra phigæos & arcæ fundum. Supra a. cervicula ejus, coagmentata arcula sustinet caput machinæ, quæ Græcè κανὼν μυσικός appellatur: in cujus lõgitudine canales, si tetrachordos est, fiunt quatuor, si hexachordos sex: si octochordos, octo. Singulis a. canalib. singula epistomia sunt inclusa, manubrijs ferreis collocata, quæ manubria cùm torquẽtur, ex arca patefaciũt nares in canales. Ex canalibus a. Canon habet ordinata in transverso foramina, respondentia in naribus, quæ sunt in Tabula summa, quæ tabula Græcè πίναξ dicitur. Inter tabulam & canona regulæ sunt interpositæ, ad eundem modum foratæ & oleo subactæ, ut faciliter impellantur, & rursus introrsus reducantur, quæ obturant ea foramina, pleuritidesq; appellantur: quarum itus & reditus, aliàs obturat, aliàs aperit tenebrationes. Hæ regulæ habent ferrea choragia fixa & juncta cum pinnis, quarum pinnarum tactus motiones efficit regularũ. Continentur supra tabulam foramina, quæ ex canalibus habent egressum spiritus. Regulis sunt annuli agglutinati, quibus ligulæ omnium includuntur organorum. E modiolis autem fistulæ sunt continenter conjunctæ ligneis cervicibus, pertinentesq; ad nares, quæ sunt in arcula, in quibus axes sunt ex torno subacti & ibi collocati, qui cum recipit arcula animam, spiritum non patientur, obturantes foramina, rursus redire. Ita cùm vectes extolluntur, ancones deducunt fundos modiolorum ad imum, Delphiniq;, qui sunt in verticulis inclusi, chalantes in os, cymabala replent spatia modiolorum, atq; ancones extollentes fundos intra modiolos vehementi pulsus crebritate, & obtu-

rantes foramina cymbalis superiora aëra, qui est ibi clausus, pressionibus coactum, in fistulas cogunt, per quas in lignea concurrit, & per ejus cervicem in arcam: motione verò vectium vehementiore, spiritus frequens compressus epistomiorum aperturis influit, & replet anima canales. Itaq; cùm pinna manibus tacta propellunt & reducunt continentes regulas, alternis obturando foramina, alternis aperiundo ex musicis artibus, multiplicibus modulorum varietatibus sonantes excitant voces.

Ex his procul dubio *Hydraulus* valdè similis fuisse colligitur ei, quod nunc communi omnium instrumentorum genere, *Organum* & κατ᾽ ἐξοχὴν appellamus, nisi quòd in nostro nullius est aquæ usus.

De quo vide plura in 2. Exercitatione Sethi Calvisij pag. 115. 116. 117.

CAPUT XXI.

Ἐπίβλημα, vel Corollarium

De Instrumentorum Musicorum, nostro tempore usitatorum, descriptione & pleniori distributione.

ΠΡΟΑΥΛΙΟΝ.

PErvulgata est philosophorum distinctio, quâ res omnes in naturales & artificiales dispescuntur: illæ; quia constantem naturæ ordinem sequuntur, sub certam scientiæ formam redigi possunt; hæ verò, ut multiplici varietati obnoxiæ, accuratam tractationem non admittunt: quippe cùm contingentium sit ars, & circa accidentia efformanda in subjecto, vel materia naturali occupetur, πᾶσα γὰρ τέχνη οὐσίαν οὐκ ἀπεργάζεται, ἀλλὰ τὰ περὶ τὴν οὐσίαν, *Nulla ars fabricat substantiam, sed quæ circa substantiã.* Hoc ipsum videre est in *Instrumentorum Musicorum* effectione. Mechanicus enim in illis præparandis, materiam sumit à Naturâ, providâ illa rerum Architectrice, illamq; debito modo expoliendo, artificiali figurâ velut eleganti induit veste, (*Ars namq; adjuvat Naturam, & in quo hoc deficit, hoc illa perficit*) idq; quisq; pro ingenij acumine, & sagaci inventione. Hinc varia illa in

la insignis suavitatis prodierunt *Instrumenta Musica*, quæ quia accuratissimâ pertractari nequeunt Methodo, (nostro enim de omnibus rebus vel scientia, vel ars, est tanquam umbra in Sole, & quemadmodũ olim, vulpecula elusa à ciconia, vitreum vas lambimus, pultem haud attingimus) levi hoc penicillo ac umbratili hac & informi formâ adumbrare operæ precium duximus, consideraturi. *I. Instrumentorum Musicorum in genere descriptionem*, idq; cursim & succinctè pro instituti ratione: *II.* n quantum fieri potest à nobis, *accuratiorem & pleniorem eorundem distributionem* investigaturi.

I. MEMBRUM.

Historica, vel Definitiva generalis Instrumentorum Musicorum.

IN omni dubia & fluctuanti re est omnium firmissima anchora definitio, à quâ in rei perceptionem deducimur, quare & nos quodammodo in cognitionem Musicorum Instrumentorum deducet, hæc quam ponimus, qualiscunq; eorundem descriptio, qua *Instrumenta Musica* definiuntur, *fabricæ, ingeniosorum & præstantium Mechanicorum studio & operâ inventa, ex idoneâ materiâ, debitâ figurâ & convenienti proportione efformata, sonum harmonicum efficiendi & adjuvandi apta, ut DEI gloriæ inserviant, hominumq́ animos mira voluptate percellant &* afficiant. Quâ descriptione omnes caussæ Musicorum Instrumentorum ob oculos ponuntur.

Caussa efficientis locum tenent Mechanici artifices, qui per rudiora principia, assiduis animi laboribus & studijs ejusmodi invenerunt instrumenta, inventa alij excoluerunt, exculta alij perfecerunt. Inventis namq; alterius laboribus alter semper aliquid novi addere studuit, atq; æmulâ manu perfectius edere opus sategit; Estq; hæc honesta illa & laude digna æmulatio, à qua proximus ad virtutis ædes gradus. De his artificibus alio loco. *Materiam & Formam* quod attinet, generali hac descriptione non explicantur, sed in cujusq; speciali & propria definitione vel delineatione manifestari & notari necesse est.

Causa finalis additur in descriptione duplex: *Una primaria*, gloria Dei, quæ omnium nostrarum actionum mensura, censura & cynosura meritò judicatur; *altera secundaria*, voluptas hominum, quia suavi titillatione aures afficit, ebullientes tumultuantium affectuum fluctus sedat & componit, & ad graviora mentem serenat atq; allicit.

2. MEMBRUM.

Meristica, vel distributiva tractatio Musicorum Instrumentorum.

QUi aptè & commodè rem dividere possit, hujus se vestigia secuturum affirmat Plato, ὡς ἴχνια Θεῶ, ut vestigia Dei, adjicimus & nos album calculum Platonis sententiæ, & libenter, si nostris sciremus propitium votis numen, optaremus (absit Ethnicismi dictis suspicio) cum virgulâ divina Evodium Deum, qui dextrè divisiones eruat, vel Hegemonam Deam, quæ ex his labyrinthis ad optatum finem deducat, ac dedalæâ manu nos vindicet in libertatem. Interim salvo politioris & acutioris judicij jure, *Instrumentorum Musicorum* aggredimur *distinctionem*; & quamvis accuratâ divisione in species distribui nequeant; nec à materiâ discrimen sumi possit, quæ differre non facit πρώτως primariò, sed δευτέρως secundariò, imò pluribus potest esse communis: in quo autem quæq; res cum alia convenit, in illo non differt ab ea re: Prætereaq; differentiæ à formis sumendæ veniant; quia tamen Instrumentorum Musicorum formæ (quæ propriè figuræ dicuntur) strictas artis leges non admittunt, qualicunq; modo illa distinguemus, considerando eadem, vel *quoad soni*, quem habent, *qualitativam generationem*, vel quoad ejusdem soni *quantitativam mensurationem*, distinctis sequentibus paragraphis.

I.

Quod ad soni *qualitativam generationem* attinet, caussatur vel procreatur sonus ille vel ab aëre, non tamen solo, sed alijs requisitis adhibitis, & hinc quædam *Instrumenta* vocantur ἐμπνευστὰ, *Inflata*: vel sonus ille oritur à percussione, quæ κρουστὰ *Pulsata* dicuntur.

II.

ἐμπνευστὰ, vel *Inflata Instrumenta sunt*, quæ idoneâ figurâ ex apta materia ab artificibus præparata, per aërem susceptum sonora redduntur, &, vento *per cannas* & tubulos transmisso, concitantur.

III.

Quæ iterum sunt in duplici differentia: Quædam enim sonora evadunt, quando aër, follibus attractus, immittitur, tubulis, artificiosè constructis adjuncta clavium, digitorumque motione & officio: Quædam spiritu vel flatu humano inflantur. Illius generis sunt; *Organum, Pneumaticum* κατ' ἐξοχὴν dictum, *Positivum, Organum portatile, Regale*.

IV.

Quæ spiritu humano inflata harmonicum sonum edunt, illa vel solius oris officio indigent, ubi solùm artificis os admotum & inspirans regitur, absque Instrumenti motione seu ductu; cujusmodi est *Tuba*. Vel oris & manuum seu digitorum motione simul opus habent. Et hæc vel nulla habent foramina, ubi ad soni productionem requiritur etiam Instrumenti, seu cannarum ductus & reductus; ut *Buccina*, seu *Trombone*, Ein Posaune.

Quædam vero habent foramina: eaque 1. vel in anteriori parte tantùm. 2. vel in anteriori & posteriori. 3. vel in parte anteriori, posteriori & laterali simul, quæ singula adhibitâ digitorum agilitate circa cannarum foramina varium sonum reddunt, ut sunt Aulœdorum & Tibicinum Instrumenta pleraq; omnia.

V.

Primi generis iterum sunt duplicia: 1. aut enim annexum habent utriculum, ut *Tibia utricularis*, SchafOrgel oder Schäferpfeiffe. 2. aut carent utriculo, ut sunt: *Tibia transversa, vel Traversa*, Querflöte/ *Lituus, Piffari, Fifari*, Schalmeyen/ Lierlauen/ kleine alt Bombartte.

VI.

Secundi generis sunt hujusmodi instrumenta:

Cornu, Cornetto, Cornet / ein schwartzer krummer Zinck.
Corna muti, Ein gelber gerader Zinck.

Corna muse, Krumhörner.
Tibia, Fistula, Flauti, Ein Flöte/ oder Blockpfeiffe.
Fagotti, Dolzaine, Ein Dulcian/ Fagott.
Bombyces, Grosse Baß vnd andere Pommen.
Bassanelli. Cæteræ *Tibiæ utriculares*, als Bock/ Hummelchen/ Dudey.

VII.

Tertii generis sunt: *Racketti, Sordani, Doppioni, Schriari.* Et hæc sunt Instrumenta, quæ vocantur ἐμπνευστα, vel Inflata: sequuntur ἄπνευστα, quæ à modo tractandi κρουστὰ appellantur.

IIX.

Κρουστὰ, vel *Pulsata* dicuntur omnia illa *Instrumenta*, quæ resonant adhibitâ pulsatione.

Et hæc iterum commodâ distinctione possunt dividi, quod alia sint ἄχορδα, nullas vel chordas, vel nervos habentia, alia verò sint ἔγχορδα, chordas vel nervos habentia.

IX.

Ἄχορδα, *quæ nullas chordas habent*, tantùm pulsando concitantur ad sonum: Idque vel

1. Per bacilla; qualia sunt:
   Tympanum, Ein Paucke/ Trummel.
   Crepitaculum, Ein Triangel.
   Item die Strofiedeln/ quæ *Clavi tympana* vocari possent.
2. Vel pistillis seu malleolis & globulis sonora redduntur, hujusmodi sunt:
   Campana, Glocken.
   Tintinnabula, Glöcklein.
   Cymbala, Cymbeln.
   Sistra, Röllichen.
   Nolæ, Schellichen.

X.

Instrumenta ἔγχορδα sunt, quæ vel chordis ex ære diductis, vel ner-

vis ex inteſtinis animalium, imprimis ovium, factis, intenduntur, harmonicumq; concentum edunt.

XI.

Quæ nervis intenduntur, ſonora evadunt:

1. aut digitorum tantùm moderamine tacta; ut,

Teſtuao, Chelys, Laute.

Theorba, iſt wie ein groſſe Baßlaute / Cujus Inſtrumenti deſcriptio ex 2. parte Tomi ſecundi Syntagmatis Muſici petenda.

Quinterna, Arpa, Pſalterium, Ein Harffe.

2. Aut ſimul nervorum tenſione, per arcum & hinc inde ductum pectinem piloſum, ſonum reddunt. Ejuſmodi ſunt:

Lyra, Lyroni: Italianiſche Lyere.

Arciviolate Lyre, Groſſe Lyere.

Viole de Gamba.

Violino Rebechino, Fides, fidicula, Kleine Geigen / ſonſt *viol de bracie*.

Viol Baſtarda.

Chorus ſeu *Tympani ſchiza*, Ein Trumſcheidt / Inſtrumentum eſt, inſtar trabis oblongum, cujus quatuor nervi (ut vielle) arcu rotantur, vnd gibt einen Reſonantz / als wenns vier Trommeten weren / vnd ein Clarien mit eingeblaſen würde.

3. Aut clavium tactu & ſimul rotæ agitatione, ut

Lyra pagana, ſeu *Ruſtica*, Ein Gemniæ oder Pawren Lyere.

XII.

Et hæc ſunt *Inſtrumenta ἔγχορδα*, nervos ex inteſtinis factos habentia: ſequuntur, *quæ chordis æreis* & ex metallis ductis intenduntur & ſonora efficiuntur:

1. Vel digitis extremis ſaltem tacta, ut: *Pandora, Penorcon, Orpheorcon, Harpa Irlanaica*.

2. Vel plectro, ſive calamo: ut *Cithara*.

3. Vel mediantibus ligneis lamellis, iiſdemq; inſertis calamis tanguntur, ut *Virginale, Spinetta, Clavicymbalum, Clavicytherium, Arpichordium, Clavichordium*.

4. Vel

4. Vel ligneo deniq; plectro seu bacillo: ut
Sambuca, *Barbytus*, Ein Hackebret.

XIII.

Hucusque à nobis pertractata & enarrata *Instrumenta*, respectu sequentium, alicujus distinctionis gratiâ, possunt indigitari *Prima*, sequentia verò, à *Primis Orta*, quia ex superioribus quasi composita & mixta videntur; nimirum partim ex ἐμπνεύστοις & ἐγχόρδοις, Quale Instrumentum est *Claviorganum*, in quo tàm fistulæ per folles, quàm chordæ æreæ per calamos, clavium impulsu moventur, & musicum concentum edunt: Partim verò sicut ἔμπνευστα spiritu humano adjuvantur, simulque tanquam κρουστὰ digitis pulsantur: ut
Crembalum, Ein Brumeysen oder Maultrummel.

XIV.

Hactenus Instrumentorum Musicorum sonum consideravimus, quoad illius qualitativam generationem, & inde qualescunq; deprompsimus distinctiones: reliquum est, ut eodem stilo & filo sonum perpendamus, quoad alias affectiones, vel *quantitativam mensurationem*, quæ & ipsa consideratio, non inutiles nobis suppeditabit observationes, secundùm quas etiam aliquam Instrumentorum Musicorum possumus instituere divisionem, quatenus nempe illorum *sonus est quantitative mensurabilis*, 1. κατὰ τὸ μῆκος, secundùm *longitudinem*. 2. κατὰ τὸ πλάτος, secundùm *latitudinem*, & 3. κατὰ τὸ βάθος, secundùm *profunditatem*.

XV.

Ratione & respectu *longitudinis*, vel κατὰ τὸ μῆκος, Instrumentalis Musicæ sonum considerando:

1. Quædam *Instrumenta* eundem edunt *sonum*, *firmum ac stabilem*, & licèt frequentissimè assiduo usu adhibeantur, uniformem tamen usque retinent, ut sunt præter κρουστὰ ferè omnia, pleraque etiam ἐμπνευστὰ quæ humano flatu reguntur, & ex illis, quæ follibus moventur, *Organum* & *Positivum*.
2. Quædam contrà *sonum* habent *mobilem & inconstantem*, qui facilli-

mè & sæpissimè alteratur; Ejusmodi est inter ἐμπνέυςα, *Tibia utricularis*, unà cum ἐγχόρδοις reliquis ferè singulis, cum æreas chordas habentibus, ut *Cithara*, *Pandora*, *Penorcon*, *Orpheorcon*, & *Arpa Hybernica*: tùm & potissimùm nervis, ex intestinis factis, intensis: ut Arpa communis, *Testudo*, *Theorba*, *Violini*, *Viole*, *Lyre*, *Arceviolate lyre*.

3. *Quædam medio modo se habent*, nec adeò labilem aut mobilem & inconstantem, nec adeò immobilem & constantem: quale est inter ἐμπνέυςα, *Regale*: inter κρȣςὰ ἄχορδα, *Tympanũ*: inter κρȣςὰ ἔγχορδα, *Clavichordium*, *Clavicymbalum*, *Spinetta*.

XVI.

Quoad *latitudinem* vel κατὰ τὸ πλάτος si Musicum sonum consideres, (si modò est aliqua soni latitudo, salvo tamen acutiorum judicio sic loqui liceat, qui has affectiones quantitati adjudicant, unde impropriè sono, ut qualitati, tribuuntur, interim possumus sano sensu, sono has ipsas voces accommodare) *Instrumenta* quædam:

1. Erunt πάντονα, *Omnisona*, vel *Omnivoca*, quæ omnes vel plures simul figuralis cantus voces exprimere possunt: ut Organum, *Regale*, *Clavicymbalum*, *Virginale*, *Testudo*, *Arpa*, *Cithara doppia* Doppel Cithern/ *Pandora*, *Penorcon*, *Arceviolate lyre*.

2. Quædam πολύτονα, *Multisona* vel *multivoca*, quæ quidem multas, non tamen omnes imitari & repræsentare possunt Musicæ figuratæ voces: ut *Cithara parva*, *Lyra parva*, *de bracu* & *Lyra de gamba*.

3. Quædam sunt μονότονα, *Univoca*, vel *Unisona*, & non nisi unius vocis modulationi inserviunt: ut sunt omnia ἐμπνέυςα, quæ spiritu humano agitantur: & aliquot Enchordæ Instrumenta, utpote *Fidicula*, *Viole*, & quæ sunt hujus generis alia.

XVII.

Respectu *profunditatis*, & κατὰ τὸ βάθος, aut κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν, secundùm *elevationem & depressionem*, si denique sonorum diversitatem consideraveris:

1. Musica quædam Instrumenta singulari & certa limitatione sonum terminant, & ultra foramina, quæ habent, sonus nec elevari, nec deprimi potest: ut sunt τὰ κρουστὰ omnia, tàm ἄχορδα, quàm ἔγχορδα, cum quibusdam ἐμπνευστοῖς, ut sunt Sorduni, Racketti, Schriari, Bombardi, Bassanelli, Lituus Cornamuse: Et illis, quæ suos habent folles, nimirum *Organo* & *Positivo*.

2. Quædam ultra naturalem sonum à perito artifice & Magistro, beneficio labiorum compressorum & immissi spiritûs, cogi & elevari possunt, ut in sequenti Tomo secundo patebit, ubi omnium istorum Instrumentorum natura & figura
plenius & planius demonstrabitur.

I, SYNOPSIS, seu Tabella Instrumentalis.

Instrumenta Musica dividi possunt, aut secundum

- *Qualitativam Musici soni generationem, in*
  - *Prima quæ vel*
    - *ἐμπνευστὰ quæ inspirantur, vel flatu.*
      - *Follium ut sunt*
        - *Organum Pneumaticum.*
        - *Positivum.*
        - *Organum Portatile.*
        - *Regale.*
      - *oris humani: idque*
        - *labiis solummodò motis absque Instrumenti ductu, ut Tuba.*
        - *Præterea adhibita.*
          - *canna attractione, & retractione, ut Buccina.*
          - *digitorum agilitate circa cannarum foramina, aut*
            - *1. in parte anteriori tantum, & vel*
              - *cùm adhærente utriculo, ut Tibia utricularis.*
              - *absque utriculo ut*
                - *Traversa*
                - *Lituus.*
            - *2. in parte anteriori & posteriori, ut*
              - *Cornetti.*
              - *Cornamute.*
              - *Cornamuse.*
              - *Flauti.*
              - *Fagotti Dolraive.*
              - *Bombyces.*
              - *Bassanelli.*
            - *3. in parte anteriori, posteriori & simul laterali: ut*
              - *Racketti.*
              - *Sorduni.*
              - *Doppioni.*
              - *Schriari.*
    - *ἄπνευστα pulsatione κρουστὰ dicta, suntque vel*
      - *ἄπνευστα ἄχορδα, quæ pulsantur per*
        - *Bacilla ut*
          - *Tympanum*
          - *Crepitaculum.*
          - *Clavitympanum.*
        - *Malleolos, ut*
          - *Campana*
          - *Tintinnabulū.*
          - *Cymbalum.*
          - *Sistrum.*
          - *Nola.*
      - *ἄπνευστα ἔγχορδα quæ constant, aut*
        - *Nervis ex intestinis, & tanguntur mediante vel*
          - *1. Solo digitorum moderamine, ut*
            - *Testudo*
            - *Theorba*
            - *Quinterna*
            - *Arpa Psalterium.*
          - *2. Simul & nervorum per arcum tensione, ut*
            - *Violine, Rebechine vel Viol de bracio.*
            - *Viol de gamba.*
            - *Viol bastarda.*
            - *Lyra, Lyroni.*
            - *Arciviolate Lire.*
            - *Chorus:*
          - *3. Clavium tactu & Rota agitatione, ut, Lyra Rustica.*
        - *Chordis æreis, & moventur partim*
          - *1. digitis, ut*
            - *Pandora.*
            - *Penorcon.*
            - *Orpheoreon.*
            - *Arpa Hybernica.*
          - *2. Calamis: ut*
            - *Cithara parva.*
            - *Cithara doppia.*
          - *3. Plectris, ut Sambuca.*
          - *4. Clavibus, ut*
            - *Nablium.*
            - *Clavichordium.*
            - *Virginale spinetta.*
            - *Clavicymbalum.*
            - *Clavicytherium.*
            - *Arpicordium.*
  - *à primis orta, vel mixta, quæ ex natura superiorum velut composita sunt*
    - *Claviorganum per folles & nervos.*
    - *Crembalum.*
- *Quantitativam mēsurationem institutā, scil. quoad soni Musici vel*
  - *Longitudinem, secundū quam dividuntur Instrumēta, in*
    - *Stabilia*
    - *Mobilia, quorum quædam*
      - *rarò*
      - *facilè &*
      - *sæpè*
      - *mutantur.*
  - *Latitudinem & sunt vel*
    - *Omnivoca*
    - *Multivoca.*
    - *Univoca.*
  - *Crassitudinem secundum quam sunt vel*
    - *Conformia.*
    - *Transpositabilia.*

II. SYNOPSIS.

Instrumenta Musica edunt vel

- *unum eundemq; sonum; ut*
  - *Campanae*, *Cymbala* } *simplicia.*
  - *Tympanum militare*, *Triangulum* } *composita.*
- *diversos sonos, eaq; sunt*
  - *pneumatica vel* ἔμπνευστα, *& haec in actum producuntur, vel flatu*
    - *follium ut:*
      - *Organa in templis*
      - *Positivum*
      - *Regale &c.*
    - *humano, utpote in Instrumentis quae vel*
      - *determinatos sonos ex foraminibus emittunt, ut*
        - *Tibiae*
        - *Cornua*
        - *Vtriculae*
        - *Fistulae*
        - *Tibiae*
        - *Lituus &c.*
      - *ore humano reguntur, idq; vel*
        - *absq; Instrumẽti motu, ut Buccina militaris,* Trummet.
        - *Instrumenti ductu, ut Tuba ductilis,* Posaun.
  - *Chordis tẽsa, in actum producuntur, vel per*
    - *Claves omnes ut*
      - *Instrumenta specialiter sic dicta, ut:*
      - *Clavicymbalum:*
      - *Spinetta:*
      - *Clavichordium, &c.*
    - *paucas claves, ut Lyra pagana.*
    - *absq; clavibus manuum beneficio tractantur: quae vel*
      - *simul chordas movent, ut Barbitus, Harpa.*
      - *altera manu chordas ad sonorũ dimensiones per digitos premente; altera chordas movet, vel*
        - *digitis, ut in Testudine:*
        - *pectine, ut in Cithara:*
        - *arcu setis equinis tẽso: ut Violae*

- *Instrumenta sunt*
  - *Sonantia*
    - *Simplicia; ratione*
      - *formæ*
        - Tibiæ, *quæ sonum edunt mediante flatu*
          - *Solo*
            - *per folles*
              - *Organum pneumaticum*
              - *Positivum*
              - *Organum portatile*
              - *Regale*
            - *ex ore humano - Tuba.*
          - *Adminiculato*
            - *Ductibus - Buccina*
            - *foraminibus existentibus vel*
              - *In una serie*
                - *cum utre, Tibia utricularis.*
                - *Sine utre*
                  - *Traversa.*
                  - *Lituus.*
              - *in pluribus partibus: ut*
                - *Duabus: anteriori & posteriori.*
                  - *Cornetti.*
                  - *Cornamuti.*
                  - *Cornamusæ.*
                  - *Flauti.*
                  - *Fagotti.*
                  - *Dolzaine.*
                  - *Bombyces.*
                  - *Bassanelli.*
                - *Tribus: anteriori posteriori & laterali.*
                  - *Racketti.*
                  - *Sorduni.*
                  - *Dappioni.*
                  - *Sbriari.*
        - Fides, *quæ super aëra conclusum tonsæ sonum edunt motu. Sunt*
          - *Ex ære*
            - *Attinguntur tantum, ut Clavichordium*
            - *plenè moventur*
              - *Digitis*
                - *Pandora.*
                - *Penorcon.*
                - *Orpheorcon.*
                - *Arpa Hybernica.*
              - *Plectris.*
                - *ligneis*
                  - *Sambuca.*
                  - *Barbytus,* Hackebrett.
                - *Plumeis quæ admoventur vel*
                  - *Manibus statim ipsis*
                    - *Cithara.*
                    - *cithara doppia.*
                  - *Clavibus*
                    - *Nablium*
                    - *Virginale*
                    - *Spinetta*
                    - *Clavicymbalum*
                    - *Clavicitherium*
                    - *Arpichordium*
          - *Ex intestinis, moventur vel*
            - *Solis digitis*
              - *Testudo.*
              - *Theorba.*
              - *Quinterna.*
              - *Arpa, Psalterium.*
            - *Instrum. resina-to; quod est vel*
              - *Arcus*
                - *Violino, violdebracio.*
                - *Viol de gamba.*
                - *Viol bastarda.*
                - *Lyra, lyroni.*
                - *Arciviolatelyre.*
                - *Chorus.*
              - *Rota: Lyra rustica.*
      - *Accidentis*
        - 1.
          - *Stabilia*
          - *Mobilia*
        - 2.
          - *Univoca*
          - *Multivoca*
        - 3.
          - *Conformia*
          - *Transportabilia &c.*
    - Composita, *in quibus tibiæ & fides concurrunt & componuntur. Claviorganum.*
  - *Tinnientia*
    - *Campana.*
    - *Tintinnabulum.*
    - *Cymbalum.*
    - *Sistrum.*
    - *Nola.*

IV. SYNOPSIS, seu

- *Instrumenta sunt vel*
  - *Prima*
    - *inflatilia*
      - *follialia, ut*
        - *Organum pneumaticum.*
        - *Positivum.*
        - *Regale.*
      - *labialia*
        - *solitaria, Tuba.*
        - *socia*
          - *cannaria, ut Buccina.*
          - *foratilia in parte vel*
            - *antica tantùm & quidem vel*
              - *cum* / *sine* — *utriculo*
                - *Vtricularis tibia.*
                - *Lituus, Traversa.*
            - *antica & postica simul.*
            - *antica, postica & laterali.*
    - *tangibilia*
      - *fidibus destituta, tangenda per*
        - *bacillos.*
        - *malleolos.*
      - *è fidibus constituta, vel*
        - *carneis, quæ tanguntur digitis*
          - *immediatè*
            - *Testudo. Theorba.*
            - *Quinterna. Psalterium.*
          - *mediatè per*
            - *arcum:*
            - *clavium manubrium:*
            - *rotæ ductum, ut Lyra rustica.*
        - *æreis, quæ tanguntur digitis*
          - *immediatè.*
          - *mediatè per*
            - *calamum.*
            - *plectrum.*
            - *clavium manubrium.*
  - *orta*
    - *Claviorganum.*
    - *Crembalum.*

PRÆTERMISSA.

Quia in primi Tomi parte prima, membri primi capite quarto pag. 15. Johannis VValtheri mentio facta, & ipsius conatus & industria in vitiositate cantus choralis emendanda commendata fuit, aptum tunc fuisset statim verba ipsa reverendi istius Senis subjicere, & ex iis de mente ejus cognoscere: at cum prætermissa ibidem fuerunt, potius quàm planè omitterentur hîc in calce appendicis quasi loco ea annectere placuit, quorum lectionem benevolus lector facilè cum loco supra allegato conjungere potest.

De vitiis quibusdam Musicis, quæ in antiquis cantionibus Choralibus occurrunt, & eorundem per VValtherum correctione.

A Quingentis etiam, & quod excedit, annis, veteres quidam Musici, inter quos Berno & Gvido, de corruptione & vitiositate Psalmodiæ Ecclesiasticæ conquesti sunt: & inde usq; ferè in unaquaq; Ecclesiâ, scioli dicam, an artifices? inventi sunt, qui cantiones illas, ut vocamus, Chorales, ut plurimum à præcellentissimis, & artis Musicæ peritissimis viris, & Patribus, D. Gregorio, Ambrosio, & Augustino, artificiosè & exactè observatâ prosodiâ, & genuinâ Latinæ lignæ pronunciatione, compositas (quasi illis volupe essent cornicum oculos configere) mutare & corrigere conati sunt.

Quod omnino puritati & sinceritati Psalmodias antiquæ corrumpendæ & adulterandæ fuit: illiq; meritò corruptela illa, quæ animadvertitur, accepto ferenda est. Ea verò, quæ difficultatem habent, & animadversionem censoriam desiderant (desiderant vero non pauca) facilè ad horum referas aliquod.

Nam aliquando confusæ, & trajectæ sunt notulæ, nec hisce textus aptè subjunctus. Id quod librariis (chalcographia enim necdum inventa erat) tribuendum, quorū partim socordia, partim tumultuaria scriptio, & quod characteres situ vetustatis penè deletos oculis nō satis ad-

ſequebantur, talia σφάλματα peperit & reliquit. Aliquando pronunciationis proprietas ſuſq; deq; habita eſt. Videlicet ſyllabę ſub gravi tono ſupprimendæ quandoq; exacuuntur & extolluntur; quandoq; plurium notarum tractu quaſi circumflectuntur & extenduntur.

Etſi verò hujuſmodi tam frequentia occurrant, ut illis omnibus medicinam adhibere, atq; hoc Augiæ ſtabulum perpurgare, impoſſibile penè ſit, & non unum Herculem requirat: tamen nonnihil tentavit ante annos plus minus octoginta Johannes VValtherus, Electoris Saxonici tum temporis chori Muſici Magiſter. Is diſtinctis primò accuratè notis, quæ quibus deinde verbis conjungenda eſſent demonſtravit, nec non potiſſima in pronunciationem Latinam commiſſa vitia, Barbariſmos inſuper etiam, quibus ſcatebant Pſalmodiæ vetuſtiores, quantum ejus fieri potuit, correxit & ſuſtulit. Quod verò reſtare videbatur, in quantitatis ſyllabarum ratione exactè ſubducendâ, neceſſariò ſibi relinquendum putavit: ne antiquæ & conſuetæ clauſulæ, diruptæ, planè novum quid & peregrinum ſonarent, aureſque offenderent. Quod faciendum fuiſſe ipſi quoque Luthero viſum fuit: cujus verba, ex præfatione libelli Cantionum funebrium, hæc ſunt: Es iſt nicht vnſere meinung/daß dieſe Noten ſo eben müſſen in allen Kirchen geſungen werden. Ein jegliche Kirche hat jhre Noten vnd Buch nach jhrem brauch/Denn ich ſelbſt nicht gerne höre/wo in einem Reſponſorio oder Geſange die Noten verrücket/anders geſungen werden/weder ich in meiner Jugend geſungen vnd gewohnet bin/ꝛc.

Et ſanè optandum fuiſſet, illos VValtheri labores, tùm plus ſucceſſus habuiſſe, tum lucem adſpexiſſe publicam. Verùm tamen eam lampada, quam inextinctam ad metam uſq; optatam perferre non potuit VValtherus, ſuſcepit Lucas Loſſius. Ejus Pſalmodiæ, non minus correctæ & emaculatæ, paulò poſt in publicum prodierunt, & incredibili applauſu exceptæ ſunt. Quippe quo opere non tantum iis, qui in ſcholis & templis Muſicæ ſacræ vacant, quos plurimis faſtidioſiſque tranſſcriptionum laboribus ſublevavit; ſed omnibus ſimul piis, quibus cultus divini curæ cordique ſunt, ſuccurſum eſt. Maximæ igitur jure

merito eo nomine Deo debentur gratiæ. Mihi equidem tantoperè placuit ille liber, ut eum totum, Dei beneficio & auxilio, harmonicis numeris includere in animum induxerim. Præterquam enim quod à primis unguiculis incredibili & singulari studio hujusmodi cantilenarum ductus sim; rationibus etiam & argumentis tum alijs, tum ijs præsertim, quæ in manuscripto prædicti Dn. JOHANNIS WALTHERI, viri pij & suavissimi Musici habentur, inductus; & in eo proposito magis magisq; confirmatus sum. Et cur minus ipsa WALTHERI verba vulgari linguâ referam caussæ nihil video.

VERBA
Des alten Johan Walthers.

DJe Vrsachen / warumb ich den Choral Gesang (welcher im Text reine / in den Noten aber sehr verfelschet) corrigiret/seynd diese:

Dann 1. erstlich/ haben mich darzu bewegt vnserer Vorfahren/vor vnserer zeit/ lieben Christen vnd Heiligen/schöne/ köstliche/ Geistreiche künstliche lateinische vnnd deutsche Gesänge / aus der Propheten vnd Aposteln Schrifften gezogen/ welche sie Christo zu ehren gemachet/vnd in jrer Gemeine/Gott zu lobe/gesungen. In welchen Gesängen man spüret/ vnnd aus den frölichen Melodyen klärlich siehet / die grosse Frewde vnd Brunst jres Geistes/vber dem Göttlichem/vnerforschlichem hohem Werck der Menschwerdung Christi vnd vnser Erlösung / Derer ich etliche erzehlen muß: Als da ist/das

Verbum Caro factum est.
Puer natus est nobis.
Grates nunc omnes reddamus Domino Deo.
Natus ante secula Dei Filius.
A solis ortus cardine.
Corde natus ex parentis ante mundi exordium.
Dies est lætitiæ.

Ein Kindelein so löbelich.
Illuminare Hierusalem.

Item/von der frölichen Aufferstehung Christi.

Christus resurgens.
Victimæ Paschali laudes.
Salve festa dies.
Resurrexit Dominus.
Ad cœnam Agni providi.
Pax vobis ego sum, Halleluia.
Christ ist erstanden.

Von der Auffarth Christi.

Ascendo ad patrem.
Summi triumphum regis.
Ite in urbem universum.
Christ fuhr gen Himmel.

Vom heiligen Geist.

Apparuerunt Apostolis.
Veni sancte Spiritus, & emitte cœlitus.
Sancti Spiritus adsit nobis gratia.
Veni creator Spiritus.
Nun bitten wir den heiligen Geist.

Von der heiligen Dreyfaltigkeit.

Summæ Trinitati.
Benedicta semper sit Trinitas.
O adoranda Trinitas.
O veneranda Unitas, &c.
O lux beata Trinitas.

Vnd solcher dergleichen Gesänge seind vielmehr: von welchen herrlichen Gesängen alle Christen bekennen müssen/daß sie hohen reichen verstand der heiligen Schrifft in sich haben/ Vnd wann sie mit andacht vnd auffmerckung gesungen werden/die Hertzen der Menschen kräfftiglich zu Gott erwecken/ vnd zu seinem Lobe reitzen.

Vnd wiewol man Leute findet / welche allein die deutsche alte Christliche Lieder für gut achten vnd loben / die Lateinische erzehlete Gesänge aber Päpstisch heissen/Solches ficht mich wenig an. Denn/ so gedachte lateinische Gesänge deßhalben Päpstisch sein solten/ daß sie von den Papisten in jhren Stifften gesungen werden / so müsten die deutsche Christliche alte Lieder auch Papistisch sein vnd heissen/ weil sie die Papisten eben so wol als wir in jhren Kirchen singen.

2. Zum andern/ so habe ich/ Gott zu lobe vnd preiß/ vnnd dem lieben Evangelio Christi zu ehren/ zu solchem Wercke/auff bitte vnd anhaltung etlicher frommer Christen/mich vermögen lassen/ vnd das empfangene Pfund/ von Gott/nicht vergraben wollen.

3. Zum dritten/so weis vnd zeuge ich warhafftig/ daß der heilige Mann Gottes Lutherus, welcher deutscher Nation Prophet vnd Apostel gewest / zu der Musica im Choral vnd Figural Gesange grosse lust hatte/ mit welchem ich gar manche liebe Stunde gesungen/ vnd offtmahls gesehen/ wie der thewre Mann vom singen so lustig vnd frölich im Geist ward/daß er des singens schier nicht köndte müde vnd satt werden / vnd von der Musica so herrlich zu reden wuste. Denn da er vor viertzig Jahren die deutsche Messe zu Wittenberg anrichten wolte / hat er durch seine Schrifft an den Churfürsten zu Sachsen / vnd Hertzog Johansen/ hochlöblicher gedächtnuß/ seiner Churfürstlichen Gnaden die zeit alten Sangmeister Ehrn Conrad Rupff/ vnd Mich gen Wittemberg erfordern lassen / dazumahlen von den Choral Noten vnd Art der acht Ton vnterredung mit vns gehalten / vnd beschließlich hat er von jhm selbst die Choral Noten octavi Toni der Epistel zugeeignet/ vnnd Sextum Tonum dem Evangelio geordnet / vnnd sprach also: Christus ist ein freundlicher HERR/ vnd seine Rede sind lieblich/ darumb wollen wir Sextum Tonum zum Evangelio nehmen/ vnd weil S. Paulus

ein ernster Apostel ist / wollen wir Octavum Tonum zur Epistel ordnen: Hat auch die Noten vber die Episteln / Evangelia/ vnd vber die Wort der Einsetzung des wahren Leibes vnnd Bluts Christi selbst gemacht / mir vorgesungen/ vnd mein bedencken darüber hören wollen. Er hat mich die zeit drey Wochen lang zu Wittemberg auffgehalten/die Choral Noten vber etliche Evangelia vnnd Episteln ordentlich zu schreiben / biß die erste deutsche Meß in der Pfarkirchen gesungen ward / do muste ich zuhören / vnd solcher ersten deutschen Messe Abschrifft mit mir gen Torgaw nehmen/ vnd hochgedachten Churfürsten jhrer Churf. Gn. aus befehl des Herrn Doctoris selbst vberantworten. Denn er auch die Vesper, so die zeit an vielen Orten gefallen/ mit kurtzen reinen Choral Gesängen/ für die Schüler vnd Jugend widerumb anzurichten/befohlen: Deßgleichen/ daß die arme Schüler/so nach Brod lauffen/für den Thüren lateinische Gesänge/Antiphonas vnd Responsoria,nach gelegenheit der zeit / singen solten: Vnd hatte keinen gefallen daran / daß die Schüler für den Thüren nichts denn deutsche Lieder sungen. Daher seind die jenigen auch nicht zu loben/ thun auch nicht recht/ die alle Lateinische Christliche Gesänge aus der Kirchen stossen/ lassen sich düncken es sey nicht Evangelisch oder gut Lutherisch/ wenn sie einen Lateinischen Choral Gesang in der Kirchen singen oder hören solten: Wiederumb ists auch vnrecht/wo man nichts denn lateinische Gesänge für der Gemeine singet/daraus das gemeine Volck nichts gebessert wird. Derowegen seind die deutsche Geistliche/ reine/ alte vnd Lutherische Lieder vnd Psalmen für den gemeinen hauffen am nützlichsten: die Lateinischen aber zur vbung der Jugend vnd für die Gelärten

Vnd sihet/ höret vnnd greiffet man augenscheinlich / wie der heilige Geist/so wol in denen Autoribus,welche die lateinischen/als auch im Herrn Luthero/ welcher jetzo die deutschen Choral Gesänge meistestheils gedichtet/ vnd zur Melodey bracht/selbst mit gewircket: Wie denn vnter andern aus dem deutschen Sanctus (Jesaia dem Propheten das geschah/2c.) zuersehen / wie er alle Noten auff den Text nach dem rechtē accent vñ concent so meisterlich vnd wol gerichtet hat/ Vnd ich auch die zeit seine Ehrwürden zu fragen verorsachet ward / woraus oder woher sie doch diß Stücke oder Vnter-

richt

richt hetten: Darauff der thewre Mann meiner Einfalt lachte/ vnnd sprach: Der Poët Virgilius hat mir solches gelehret/ der also seine Carmina vnd Wort auff die Geschichte/ die er beschreibet/ so künstlich applicirn kan: Also sol auch die Musica alle ihre Noten vnd Gesänge auff den Text richten.

Synopsin etiam totius Leiturgodiæ seu Cantionum choralium, quarum recensitionem & explicationem in membro secundo instituimus, introspicere dignetur benignus lector.

SYNOPSIS seu TABELLA,

Universi operis LEITURGODIARUM SIONIARUM *partitionem explicans & exhibens.*

LEITURGODIA SIONIA, *est in universum, vel*

- 1. εἰδική, & Specialior: *in certis Ecclesiasticis actibus & conventibus usitata: dividiturque in*
  - 1. πρωϊνῳδίαν: *per quam in horis seu* precibus Matutinis *canuntur, in*
    - *Ingressu:* -
    - *Progressu:* -
    - *Egressu:* - -
  - 2. MISSODIAN, *quæ sub se complectitur.*
    - εὐαγγελιῳδίαν: *per quam ante verbi Evangelici prædicationem cantantur, in* &
      - *Ingressu:* -
      - *Progressu:* -
      - *Egressu:* -
    - ἱεροδειπνῳδίαν: *per quam circa Cœnæ Dominicæ administrat. cantantur, in*
      - *Ingressu:* -
      - *Progressu:* -
      - *Egressu:* -
  - 3. ὀψιμῳδίαν: *per quam in horis seu* precibus Vespertinis *canuntur, sub*
    - *Ingressum:* - - -
    - *Progressum:* - - -
    - *Egressum:* - - -
- 2. γενική, *& communior seu* Generalior: *in omnibus promiscuè actibus & congressibus Ecclesiasticis usurpanda: vel tanquam* - - - -

Psal. 55. vers. 19. ἑσπέρας καὶ πρωῒ καὶ μεσημβρίας, *vespere & manè & Meridie perstrepam, (in Hebræo* heist es אָשִׂיחָה *aschichah*, das ist so viel: als ein stilles/ vnd mit Creutzgedåcktes Stimlein/ von lauter achtzen/ seufftzen/ flehen vnd klagen zugerichtet/ wie die gedackte Stimmen in der Orgel/ *quasi in silentio & spe,* ἐν τῷ σιγᾷν geschlagen wird) *meditabor & annunciabo: & exaudiet vocem meam.*

— Veni sancte Spiritus, reple tuorum, &c.
Invitatorium: Venite exultemus.

— Antiphonæ cum Psalmis & Responsoriis, *ex Vespertinarum precum officio mutuò petitis.*
Symbolum Ambros. & Augustini: Te Deum laudamus.

— *Canticum Zachariæ:* Bened. Dom. Deus.

} *Vocatur aliàs* OFFICIUM MATUTINUM.

— Introitus.
Kyrie, Gloria, & in terra.

— Gradualia, *vel Halleluia.*
Sequentiæ, *vel Prosæ.*

— *Symbolodia, in qua Symbolum Nicen:* Credo in unum Deum, Patrem.

— Præfationes & Sanctus.

— Benedictus & Agnus Dei.

— *Responsorium* Discubuit Jesus.

} *Vocatur aliàs,* OFFICIUM SUMMUM: *& comprehenduntur hæ Cantiones omnes in mea* MISSODIA.

— Antiphonæ *cum Psalmodia;*

— Responsoria, *cum* HYMNODIA.

— Parthenodia, *sive* MEGALYNODIA: *in qua* Magnificat, *seu Canticum Virginis Mariæ.*

} *Vocatur aliàs,* OFFICIUM VESPERTINUM.

—
1. Μυςοχορωδία: *quæ est Ecclesiastæ ad aram, & Cantoris in Choro, devotioni mutuæ,* Versibus, Collectis, Præfationibus & Eucharistiæ benedictioni *alternatim respondens* Cantio: *& repetitur* Missodiæ, *post Kyrie & Gloria in terris, inserta.*
2. Εὐλογωδία: *ut sunt,* Benedicamus, *& Odæ Completorii correctæ, quæ seorsim excusæ sunt in* EULOGODIA.
3. Ἐπιλογωδία: *ad quam pertinent diversa* Gloria & Amen, *quæ in Collectarum & quarundam Leiturgodiarum Conclusione promiscuè adhibentur: & inveniuntur* Missodiæ *in fine annexa.*

Ne pigeat etiam benignum lectorem audire verba Pontificis Max. Johannis XXII. in extravag. com. De vita & honest. cleric. quibus melodiæ antiquitus in choris usurpatæ simplicitatem commendat, & nimium novandi studium improbat & punit.

Docta sanctorum patrum decrevit auctoritas, ut in divinæ laudis officiis, quæ debitæ servitutis obsequio exhibentur, cunctorum mens vigilet, sermo non cespitet, & modesta psallentium gravitas placida modulatione decantet. Nam in ore eorum dulcis resonabat sonus. Dulcis quippe omnino sonus in ore psallentium resonat, cum Deum corde suscipiunt, dum loquuntur verbis, in ipsum quoque cantibus devotionem accendunt. Inde etenim in ecclesiis Dei Psalmodia cantanda præcipitur, ut fidelium devotio excitetur, in hoc nocturnum diurnumq; officium, & missarum celebritates assiduè clero ac populo sub maturo tenore, distinctaq; gradatione cantantur, ut eadem distinctione collibeant, & maturitate delectent. Sed nonnulli novellæ scholæ discipuli, dum temporibus mensurandis invigilant: novis Notis intendunt, fingere suas, quam antiquas cantare malunt, in semibreves & minimas Ecclesiastica cantantur, notulis percutiuntur; nam melodias hoquetis intersecant, discantibus lubricant, triplis & motetis vulgaribus nonnunquam inculcant, adeò ut interdum antiphonarii & gradualis fundamenta despiciant; ignorent super quo ædificant, tonos nesciant, quos non discernunt, immo confundunt; cum ex earum multitudine notarum ascensiones pudicæ, descensionesq; temperatæ, plani cantus, quibus toni ipsi secernuntur adinuicem obfuscentur: currunt enim, & non quiescunt; aures inebriant, & non medentur: gestibus simulant quod depromunt, quibus devotio quærenda contemnitur, vitanda lascivia propalatur. Non enim inquit frustra ipse Boëtius, lascivus animus vel lascivioribus delectatur modis, vel eosdem sæpe audiens emollitur & frangitur. Hoc ideò dudum nos & fratres nostri correctione indigere percepimus, hoc relegare immo prorsus abjicere & ab eadem Ecclesia Dei profligare efficaciùs properamus. Quocirca de ipsorum fratrum consilio districtè præcipimus, ut nullus deinceps talia, vel his similia in dictis officiis, præsertim horis canonicis, vel cum Missarum solemnia celebrantur, attentare præsumat. Si quis verò contra fecerit, per ordinarios locorum ubi

ista commissa fuerint, vel deputandos ab eis in non exemptis; in exemptis verò per præpositos seu prælatos suos, ad quos aliàs correctio & punitio culparum & excessuum hujusmodi vel similium pertinere dinoscitur, vel deputandos ab eisdem per suspensionem ab officio per octo dies auctoritate hujus canonis puniatur. Per hoc autem non intendimus prohibere, quin interdum, diebus festis præcipuè, sive solemnibus in Missis & præfatis divinis officiis aliqua consonantiæ, quæ melodiam sapiunt, puta octava, quinta, quarta & hujusmodi supra cantum Ecclesiasticum simplicem proferantur: sic tamen ut ipsius cantus integritas illibata permaneat, & nihil ex hoc de benè morata musica immutetur: maximè cùm hujusmodi consonantiæ auditum demulceant, devotionem provocent, & psallentium Deo animos torpere non sinant.

Atque hîc, insertis etiam his prætermissis, Primus Tomus ad suum umbilicum deductus esto.

M. P. C.

DEDICATIO Primæ Partis διατυπικῶς ita habet:

- *In Ecclesia concionem & cantionem junxit*
  - *Sanctionis dignitas ex*
    - *fine hominis qui duplex*
      - *Veritatis cognitio, hic Concio*
      - *Virtutis electio, hic Cantio*
      - *ad duplicem hunc finem homo est.*
        - *Conditus*
        - *reparatus*
        - *resuscitandus*
    - *mysterijs*
      - *cultus Paradisiaci in arbore.*
        - *Scientiæ hic θεωρία Concionis*
        - *Vitæ hic πρᾶξις Cantionis,*
      - *ritus Levitici in*
        - *Urim hic Concio.*
        - *Thumim hic Cantio.*
      - *visus Prophetici, adumbrata*
        - *Concio*
        - *Cantio*
        - *in 2.*
          - *Columnis.*
          - *Cherubim.*
          - *Tubis.*
  - *intentionis utilitas*
  - *functionis sedulitas.*
    - *in Testamento*
      - *Veteri per*
        - *Levitas ubi Concio Sacrificiorum.*
        - *Cantores ubi Cantio Psalmorum.*
      - *Novo in Ecclesia*
        - *primitiva*
          - *Apostolorum dicta*
          - *Imperatorũ exẽpla*
          - *conjungunt*
            - *Concionem.*
            - *Cantionem.*
        - *derivativa ubi*
          - *Objectionis discussio.*
          - *Dedicationis executio.*

Secundæ partis Dedicatio διατυπικῶς ita habet.

- *Dicti Paulini*
  - *Explicatio per*
    - *πράττειν Iustitiæ ubi*
      - *autoritas Platonis.*
      - *Similitudo Domus.*
    - *ἡσυχάζειν Sapientiæ ubi autoritas*
      - *Salom. prohibentis*
        - *ἀτεχνίαν*
        - *ματαιοτεχνίαν*
        - *περιεργίαν*
        - *πολυπραγμοσύνην*
      - *Lutheri in margine.*
  - *Applicatio ratione*
    - *conatus qui*
      - *musicus*
      - *aulicus*
    - *eventus. Calumnia, cum tamen πολυπράγμων*
      - *aliena curet. Non ego.*
      - *propria negligat. Non ego: testatur Syntagma quod dedicatur ut sit voluptati*
        - *non illicitæ*
        - *sed honestæ*
          - *Ecclesiasticæ in pietatis motibus ciendis.*
          - *Politicæ in laborum molestiis superandis.*

F I N I S.

INDEX
TOMI PRIMI
SYNTAGMATIS MUSICI
M. P. C.

D.

E.

ὀπιγρα-

F.

G.

Gradua-

H.

I.

Justitiæ

Eorun-

P.

T.

Tibias

V.

FINIS.

Nomina Autorum.

 Dio-

Macro-

Synesius.
Szegedinus.

T.

TAcitus.
Telestes.
Tertullianus.
Theodoretus.
Theodorus Gaza.
Theognis.
Theocritus.
Theophrastus.
Theopompus Colophonius
Thucydides.
Tibullus.
Timomachus.
Tremellius.
Trithemius.
Turnebus.

V.

VAlerius Flaccus.
Valerius Probus.
Varro.
Vatablus.
Vegetius.
Victorius.
Virgilius
Vitruvius.
Wilhelmus Canterus.
Volaterranus.
Vopiscus

Z.

ZAcharias.
Zarlinus.
Zenodotus.
Zonoras.
Zvingerus.

Lector Amice.

En tibi farraginem Erratorum Typographicorum, quæ nobis negligentia, & prope dixerim, somnolentia eorum peperit, quorum erat ista vel præcavere vel tollere. Nam in prima parte tota (quæ VVolfferbyti impressa est) cujus Correctioni ipse adesse potui, vix tot inveniuntur σφάλματα, quot in alterius partis (quam VVitteberga excudere curavi) vel unico ternione, vel saltem sola Dedicatione. Habeto itaq; me excusatum, & sicubi aliæ adhuc restent mendæ, quas nostra transcursoria nondum attendit lectio, eas pro tua benevolentia emendato.

Proinde legendum.

In Epist: Dedicatoria

a. 4. fac. 2. lin. 18. Adamas.
l. 19. sangvineus.
b. f. 1. l. 12. 1. Reg. 7. 2. Paralip. 3.
f. 2. l. 10. solvant.
b. 2. f. 1. l. 15. Regionis,
l 19. intelligo,
f. 2. l. 2. Depositi.
b. 4. f. 1. l. 11. Atque.
A. f. 1. l. 13. congruis l. 17. se-ponuntq;.
f. 2. l. 10. dilucidarenturq; :
A. 2. f. 1. l. 1. Θεωρία.
l. 11. impudenter.
l. 18. Theodoro.
f. 2. l. 3. Φιλομούσων.
A. 3. f. 1. l. 7. Antistites.
f. 2. l. 22. Liberalitatis.
A. 4. f. 1. l. 7. 8. superstitione ac errore
Cantionibus.
f. 2. l. 6. destructores.

In parte prima.

pag. 40. l. 17. communicandum.
p. 85. l. 19. zufallen.
p. 88. l. antep. intelligimus.
p. 120. l. 9. Judæos.
p. 146. l. 4. Exhortatorius.

In altera parte.

p. 155. l. 20. perampla, multa sunt,
p. 156. l. ult. quando vita
p. 157. l. 12. παρέργων
p. 158. l. 17. & Duce,
p. 159. l. 6. expeditiùs
l. 12. offerendæ
l. 18. nihilominus
l. 20. allaborari
p. 160. l. 14. 15. Philologorum
l. 25. ut debui, ita volui
l. 26. V V. M M.
p. 161. l. 4. Arcadici? lin. 8. 9. Vestrûm
l. 17. gaudijs. Xerxes,
p. 165. l 17. operæ
p. 165. l. 16. extra septa Ecclesiæ ab antiquis decantatam & excultam, viæ ac Methodi, &c.
p. 177. l. 23. Transpadana.
p. 182. l. 28. & in clave ī
p. 195. l. 4. ut, pro, &
p. 229. l. 24. remedio
p. 256. l. 4. molos, l. 5. Priami filius,
p. 264. l. 19. Bagoas
p. 321. l. 13. enarratoris
p. 322. l. 1. TERPSICHORE Jovis;
l. 7. annuus.
p. 325. l. 23. litui, tubæ,
p. 327. l. 23. inter nodos.

p. 329. l. 24. ſtatuère
p. 333. l. 6. Φορβειᾷ Tibicinibus
p. 336. l. 27. hinnuleorum
p. 337. l. 8. emedullatam
p. 341. l 23. Terpandri
p. 343. l. 12. nuptialis
p. 344. l. penult. Appellat
p. 349. l. 7. ad reconciliationes
l. 8. invitantibus.
p. 351. l. 28. paucis multa
p. 352. l. 10. 11. Pæonibus & proceleuſmatibus.
p. 359. l. penult. lepidiſsimi
p. 365. l. 24. exemptis
p. 367. l. 8. Semeles
p. 369. l. 1. citharœdum
p. 370. l. 2. Briſeis
p. 372. l. 1. Gratias
l. ult. molliens
p. 374. l. 26. vetuſtiſsimos
p. 376. l. 25. Magado Thrace

p. 383. l. 2. perſequendis
p. 391. l. 15. Quomodo,
p. 392. l. 8. pro
p. 394. l. 8. Poëtam
l. 28. 29. Convivijs.
p. 399. l. 1. antiquam
p. 400. l. 26. celeberrimo
p. 403. l. 7. Olympus
p. 407. l. antep. imperitos
p. 410. l. 11. ab ijs
p. 419. l. 13. vigilaret
p. 429. l. 23. in curru
p. 432. l. 22. artificiosè
p. 436. l. 14. Dædalea
p. 438. l. 4. Pommern
p. 439. l. 23. Gemeine
p. 441. l. 24. ἐμπνευστὰ
p. 443. l. 4. Organum
l. 21. 22. Fagotti Dolzaine
l. 27. & ſimul laterali: ut

FINIS.